QVAESTIONVM MORALIVM SELECTIORVM

LIBER SECVNDVS

DE LEGE EXTERNA.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Auguſtæ Vindelicorum,
Sumptibus MARTINI HAPPACH & FRANC. XAVERII SCHLVTER.

Anno MDCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM

Quæ in ſecundo Libro continentur.

1 *AN ad Legis valorem requiratur iuriſdictio.*
2 *An iuriſdictio per conſuetudinem acquiratur.*
3 *An iuriſdictio acquiratur per præſcriptionem.*
4 *An lex ad obligandum, requirat promulgationem.*
5 *An lex obliget omnes exiſtentes in territorio legiſlatoris.*
6 *An lex obliget extra territorium exiſtentes.*
7 *An aliqua lex obliget extra territorium exiſtentes.*
8 *An lex ciuilis obliget perſonas Eccleſiaſticas.*
9 *An lex, directe præcipere poſſit actum internum.*
10 *An lex indirecte præcipere poſſit actum internum.*
11 *An lex obligare poſſit grauiter in materia leui.*
12 *An lex obliget, etiam cum quocunque incommodo, ac periculo.*
13 *An lex obliget ad praueniendum impedimentum.*
14 *An lex pœnalis, obliget in conſcientia.*
15 *An lex pœnalis obliget ad pœnam, antequam ſit poſitus effectus prohibitus.*
16 *An lex pœnalis ſemper obliget, effectu prohibito ſecuto.*
17 *An lex pœnalis obliget, effectu, extra territorium ſecuto.*
18 *An lex pœnalis obliget ad pœnam ante Iudicis ſententiam.*
19 *An lex conuentionalis obliget ad pœnam ante Iudicis ſententiam.*
20 *An lex pœnalis ſub disiunctione lata, habeat vim obligandi.*
21 *Ad quos, lex pœnalis ſe extendat.*
22 *An lex interdicens Clerum ad Religioſos ſe extendat.*
23 *An lex interdicens Populum vnius Ciuitatis, comprahendat etiam a ibi domicilium habentes.*
24 *An lex obligans ad reuelandum, comprahendat rem ſub ſecreto ſcientes, & actu in territorio non exiſtentes.*
25 *An lex obligans ad denunciandum, delicti complicem comprahendat.*
26 *An lex à Diuinis ſuſpendens, ſuſpenſum choro aſſiſtentem diſtributionibus priuet.*
27 *An lex ſuſpendens à beneficio, priuet diſtributionibus, & fructibus beneficiorum extra ſuſpendentis territorium exiſtentium.*
28 *An lex irregularitatem inducens ex defectu lenitatis, ad alios, quam ad publicos iuſtitiæ Miniſtros ſe extendat.*

Digitized by Google

29 *An lex irregularitatis, ſe extendat ad mandantem homicidium, ſi mandatarius occidatur.*

30 *An lex irregularitatis, ſe extendat ad eum, qui alium mortis periculo exponit, ſi occidatur.*

31 *An lex irregularitatis ſe extendat ad eum, qui alium ad propriam defenſionem occidit.*

32 *An lex irregularitatis comprahendat eum, qui alium ad defenſionem libertatis, ac bonorum occidit.*

33 *An lex irregularitatis comprahendat eum, qui alteri duos digitos abſcindit.*

34 *An lex irregularitatis ad beneficii priuationem ſe extendat.*

35 *An lex excommunicationis, ad priuationem fructuum beneficij, ſe extendat.*

36 *An lex excommunicationis irritans beneficij collationem, ad eiusdem acceptationem ſe extendat.*

37 *An ignorantia facti excuſet ab obligatione legis irregularitatem inducentis.*

38 *An periculum infamiæ, ſemper excuſet à legis obligatione.*

39 *An ratio famulatus, ſit cauſa ſufficienter excuſans à legis obligatione.*

40 *An iuſta excommunicatio, à pœna legis excuſet.*

41 *An iuſta excommunicatio, ſit impedimentum ſufficienter excuſans à legis obligatione.*

42 *An iniuſta excommunicatio à legis obligatione excuſet.*

43 *An voluntas creditoris, ſit cauſa ſufficienter excuſans à legis obligatione.*

44 *A quo tolli poſſint cenſuræ in mortis articulo.*

45 *A quo tolli poſſint peccata in mortis articulo.*

46 *An abſolutio cenſuræ, dari poſſit ſub conditione.*

47 *An per abſolutionem vna cenſura tolli poſſit ſine alia.*

48 *An abſolutio, ante partis ſatisfactionem data, ſit valida.*

49 *An priuilegium procedere debeat ab habente iurisdictionem.*

50 *An priuilegium, ad ſui valorem priuilegiati acceptationem requirat.*

51 *Quænam ſit cauſa priuilegij executiua.*

52 *An priuilegium ſtricte ſit interpratandum.*

53 *An quodlibet priuilegium ſtricte ſit interpratandum.*

54 *An priuilegium, ad res vel perſonas in ea non expreſſas, extendi poſſit.*

55 *An priuilegium, ob falſi narrationem, ſit inualidum.*

56 *An quodlibet mendacium, ad priuilegium irritandum ſufficiat.*

57 *An qualibet taciturnitas ſufficiat ad priuilegium irritandum.*

58 *An, ceſſante cauſa priuilegij, ceſſet priuilegium.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS
DE LEGE EXTERNA.

SICVT Conſcientia, ſiue Lex Interna, eſt operationum noſtrarum regula immediata; ita Lex Externa, eſt regula mediata, quatenus ipſa etiam nobis per conſcientiam propoſita, oſtendit quæ agenda ſint, quæ fugienda, & ad rectè operandum nos dirigit, non minus, quam Lex Interna. Fuit autem hæc Lex Homini neceſſaria; Primò, vt ſuam erga Deum ſubiectionem agnoſceret, & Dei poteſtatem, dominium, ac prouidentiam, quæ illum, per hanc Legem, ad finem ſuum vltimum dirigit. Secundò; Quia Homo, cum naturà ſuà liber ſit, & ad benè, vel malè agendum indetermina-

tus; aliqua Lege, ac regulà indigebat, per quam ad benè agendum determinaretur. Tertiò; Vt, quæ illi ſummam fælicitatem conciliare poterant, aut ſummam miſeriam, cognoſceret, cum *Rom.* 3. dicatur: *Peccatum non cognoui niſi per Legem.* Quartò denique; vt cum alijs conuiuere poſſet; Si enim ſine Lege vnusquisque, arbitrio ſuo viueret, nec bonis ſtatuta eſſent præmia, ac malis ſupplicia; omnia peruerterentur, & humanus conuictus omnino tolleretur. Huius ergo Legis natura, cauſæ, effectus, ac ſpecies, varijs propoſitis caſibus, perpenduntur, quorum plerique, ſunt in materià Cenſurarum; Tum quia, Cenſuræ, Leges quædam Eccleſiaſticæ ſunt, quarum notitia, eſt maximè neceſſaria. Tum quia, ex illis colligi faciliùs poterit, quid de alijs Legibus dicendum ſit. Tum denique, quia in illis, prima quædam principia vniuerſalia ad plurimos caſus reſoluendos perutilia, continentur.

QVÆ-

QVAESTIO I.

An ad legis valorem requiratur iuriſdictio.

CASVS.

1 EPISCOPVS Carthaginenſis, quamuis ob publicam, ac enormem Clerici percuſſionem, eſſet excommunicatus vitandus, quia tamen in eius Diœceſi vigebant blaſphemiæ, illas ſub excommunicatione prohibuit, & alia plura ſtatuta propter bonum commune ſuæ Diœceſis condidit. Quæritur, Vtrum huiuſmodi ſtatuta fuerint valida.

SVMMARIVM.

4 *Statuta ab Epiſcopo vitando lata, videntur fuiſſe valida.*

9 *An & quid ſit poteſtas gubernatiua.*

10 *Cur à Deo Reipublicæ data ſit, & quomodo.*

11 *In quo differat à poteſtate dominatiua.*

12 *Statuta ab Epiſcopo vitando lata, fuerunt inualida.*

13 *Epiſcopus ille, non habebat iuriſdictionem.*

14 *Statutorum inſtitutio, eſt præcipuus actus iuriſdictionis.*

15 *Lex, ad Reipublicæ conſeruationem ordinatur.*

16 *Habet vim directiuam, & coactiuam.*

17 *Leges à Tiranno latæ, à Republica approbantur.*

18 *Lex, habet vim, ſolùm pro vt procedit ab habente vim coactiuam.*

19 *Capitulum, viuente Epiſcopo, leges ferre non poteſt.*

20 *Finis legis, obtinetur per vim coactiuam.*

21 *Non eſt ratio, cur lex formaliter obliget.*

22 *Lex, procedere debet ab habente poteſtatem ſupremam.*

23 *Procedere etiam poteſt ab habente delegatam.*

24 *Reges, Duces, & Supremi Principes, leges ferre poſſunt.*

25 *Etiam Generales Religionum ſaltem in Capitulo generali.*

26 *Etiam Epiſcopi, Abbates, aliique Prælati.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm in omnibus, finis ſit primum, 2
quod ſtatui debet, eo quod ſit regula, & menſura cæterorum, quæ ſunt ad finem; ſupponimus nunc, finem legis eſſe bonum commune; hoc eſt Reipublicæ tranquillitatem, ac fælicitatem, ſiue temporalem, ſi lex ſit ciuilis, ſiue æternam, ſi lex, ſit canonica; & cauſam efficientem inquirimus. Quamuis autem certum ſit, cauſam legis efficientem, eſſe poteſtatem iuriſdictionis, cum ſine illà, lex, nullam vim habeat, ac efficaciam; Quia tamen hoc ipſum ad legis naturam melius cognoſcendam valdè confert; illud examinare non erit inutile.

Epiſcopi ergo ſtatuta videntur eſſe va- 3
da. Ita *Silueſter. v. filij quæſt.*22. *Nau.*

*c.*14.

Digitized by Google

c.14. num.12. & c.23. num.36. Abbas in c. quæ Eccleſ. num.7. de conſtit.

4 Primo; Quia ad ſtatutorum, ac legum valorem, neceſſaria non videtur iuriſdictio; leges enim latæ à Tyranno, cenſentur communiter, & approbantur tanquam validæ, ſi ordinentur ad bonum commune, quamuis in Tyranno non detur iuriſdictio. Ergo ſimiliter, quamuis Epiſcopus Carthaginenſis, ob excommunicationem, iuriſdictione careret, adhuc eius ſtatuta valida fuerunt, cum ad bonum commune eſſent vtilia.

5 Secundò; Quia, vt lex aliqua vim habeat communitatem obligandi, ſatis eſt, vt ad bonum illius Communitatis ordinetur, eiusque obſeruantia conferat ad tale bonum, quamuis non procedat ab habente iuriſdictionem, ſic enim de facto, in communitatibus à Republicà approbatis, quales ſunt, Vniverſitas Doctorum, Academiæ, Communitates Opificum, Sartorum, Sutorum, &c. ſtatuta ab ipſis condita, vim habent obligandi homines illius Communitatis, ſolùm per hoc, quod conferant ad bonum illius Communitatis; licet huiusmodi Communitates iuriſdictionem non habeant. Ergo ſimiliter, Epiſcopi ſtatuta poterunt eſſe valida, per hoc ſolùm, quod conferant ad bonum Diœceſis, quamuis in ipſo Epiſcopo non ſit iuriſdictio.

6 Tertiò; Quia Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, etiam viuente Epiſcopo; aliquas leges ac ſtatuta ad bonum regimen, ac ordinem Capituli pertinentia, etiam ſine conſenſu ipſius Epiſcopi, ferre poteſt; *arg. c. cum omnes; de conſtit.* Sed Capitulum, viuente Epiſcopo, nullam habet iuriſdictionem; Ergo leges, & ſtatuta condi poſſunt à non habente iuriſdictionem. Similiter in pluribus Ciuitatibus, & Oppidis, extant peculiaria ſtatuta, etiam iuri communi contraria, ab illis ad bonam adminiſtrationem, ac gubernationem lata, quæ appellantur ſtatuta municipalia; & tamen in Ciuitatibus illis, ac Oppidis, nulla datur iuriſdictio, cum iuriſdictionem omnem transtulerint in Principem, & conſequenter à ſe abdicarint. Denique Pater filijs ſuis legem imponere poteſt, & tamen publicam poteſtatem, ac iuriſdictionem non habet. Ergo ad legis valorem, non requiritur, vt feratur ab habente publicam poteſtatem, ac iuriſdictionem; & conſequenter valida fuerunt Epiſcopi ſtatuta, quamuis ſine poteſtate, ac iuriſdictione, lata.

Quartò; Quia finis legis eſt, facere, 7
quantum ex ſe eſt, homines bonos; lex enim nihil eſt aliud, quam dictamen rationis in Legislatore exiſtens, quo homines gubernantur, & ad aliquod bonum ordinantur, vel politicum, ſi lex ſit Ciuilis, vel Spirituale, ſi lex ſit Canonica, ſiue Eccleſiaſtica. Poteſt autem lex facere homines bonos, etiam ſi non procedat ab habente iuriſdictionem, ac vim coactivam; per hoc enim, quod homines per obedientiam illi conformentur, erunt boni bonitate, quæ intenditur à lege. Vnde, ſi lex ſit Ciuilis, erunt boni bonitate politicà, ita vt rectè, ac pacificè inter ſe viuant, & fruantur fælicitate temporali; Si verò lex ſit Canonica, erunt boni bonitate ſupernaturali ad æternam beatitudinem ordinata; Sicut potentia iraſcibilis, & concupiſcibilis, per hoc ſunt bonæ, quod ſubijciantur, ac obediant rationi.

Quintò;

Digitized by Google

8 Quintò; Quia valor, & vis obligandi in lege, non oritur ex eo, quod procedat ab habente iuriſdictionem, ſed ex eo, quod ſit medium neceſſarium ad conſecutionem finis à lege intenti; Cum enim homines obligationem habeant procurandi finem legis; hoc eſt, fælicitatem temporalem, ac æternam; obligationem etiam habent conſequenter ponendi media ad illam conſequendam neceſſaria. Hoc autem medium, eſt legis obſeruantia. Sicut ergo potentiæ iraſcibilis, & concupiſcibilis, tenentur obedire rationi, quia hæc obedientia, ac conformitas, eſt medium neceſſarium, vt homo fælicitatem conſequatur; ita homines tenentur obedire legi, ſiue dictamini rationis in Legiſlatore exiſtenti; quia hæc obedientia, & conformitas, eſt neceſſaria ad hoc, vt temporalem, ac æternam fælicitatem conſequi poſſint; alias enim illam numquam conſequerentur. Valor ergo, ac vis obligandi in lege, non oritur ex eo, quod procedat ab habente iuriſdictionem; quamuis enim intelligatur ab illo non procedere, adhuc intelligitur habere vim obligandi; ideoque Epiſcopi ſtatuta potuerunt eſſe valida, quamuis ipſe, propter excommunicationem, iuriſdictionem non haberet.

NOTABILIA.

9 ADuertendum eſt primò; quamcunque Rempublicam, ac Communitatem independentem, cum ſit corpus quoddam politicum, habere ius ſe ipſam gubernandi, ſicut habet homo; habet enim ius ſe ipſam conſeruandi, ac perficiendi, ſicut habet homo, & ſuo modo lapis, ac res quæcumque creata. Hoc autem ius, in Republicà, nihil eſt aliud, quàm poteſtas gubernatiua; hæc enim eſſentialiter ordinatur ad ipſam Rempublicam, per rectam gubernationem, ac leges, conſeruandam, ac perficiendam; ſicut in lapide grauitas, ſiue potentia motiua ad centrum, eſſentialiter ordinatur ad ipſum lapidem conſeruandum, ac perficiendum per motum localem ad ipſum centrum. Hinc autem fit primò; vt hæc poteſtas gubernatiua, ſit cuicumque Reipublicæ debita, tanquam proprietas; eſt enim ad eius conſeruationem, ac perfectionem neceſſaria, non minus, quam grauitas lapidi. Secundò, vt hæc poteſtas, ſit eſſentialiter ordinata ad Reipublicæ conſeruationem, ac perfectionem, per rectam gubernationem, ac leges obtinendam, tamquam ad ſuum finem vltimum; ſicut grauitas, eſt eſſentialiter ordinata ad lapidis conſeruationem, ac perfectionem obtinendam per motum localem ad centrum, tanquam ad vltimum finem ſuum. Tertiò, vt hæc poteſtas, ſit talis, & quo ad efficaciam, & quo ad amplitudinem, qualis requiritur ad talem conſeruationem, ac perfectionem obtinendam, cum ſit medium ad illam; & medium habere debeat proportionem cum ſuo fine; finis enim eſt menſura cæterorum, quæ ſunt ad finem. Reipublicæ autem perfectio, quam in hac vita adipiſcimur, eſt beatitudo naturalis, ſiue tranquillus, ac pacificus eius ſtatus; quàm verò in alia conſequi cupimus, ac ſperamus, eſt Beatitudo ſupernaturalis, ad quam omnia huius vitæ referenda ſunt; Et quæ legum omnium finis, ac ſcopus eſſe debet; vt, ſcilicet omnia ad

ad rectum Reipublicæ ſtatum, & ad beatitudinem ſupernaturalem ordinentur.

10 Aduertendum eſt ſecundò; hanc poteſtatem gubernatiuam, datam eſſe Reipublicæ, tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæculari à Deo, eo modo, quo homini ab eodem datæ ſunt potentiæ naturales ad totius ſuppoſiti bonum ordinatæ, & eo modo, quo data eſt lapidi grauitas, ſiue potentia motiua deorſum; Qui enim dat eſſe, dare etiam debet conſequentia ad eſſe. Non eodem tamen modo data eſt hæc poteſtas Reipublicæ Eccleſiaſticæ, ac Sæculari; nam reſpectu Eccleſiaſticæ, non eſt immediatè data toti corpori, ſed ſolum capiti; ſoli enim Petro dictum eſt; *paſce oues meas: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis:* reſpectu verò ſæcularis, data eſt immediatè toti corpori, deinde verò per populi conſenſum, Deo annuente, aut permittente, in aliquem, vel aliquos translata eſt, qui re bene circumſpecta, leges toti populo darent, quibus ille vitam pacificam agere poſſet. Fuit autem hoc conueniens, quia ſæpè euenit, vt, vbi eſt multitudo, ibi ſit confuſio, & plerumque etiam difficile ſit, totum populum in vnum ad leges condendas conuenire. Hinc autem fit, vt hæc poteſtas, diuerſimodè ſit in Pontifice, ac in alijs Principibus; nam in Pontifice, eſt immediatè à Deo, independenter à populo; ideoque eſt abſolutiſſima perfectiſſima, ac ampliſſima; in Principibus verò Sæcularibus, eſt immediatè, ſolum dependenter à populo, & ex eius conſenſu orta; ideoque talis, qualem populus eis ab initio conceſſit, & non alia, licet in ipſis etiam mediatè, ac remotè, ſit à Deo; Vnde dicitur, *Prouer. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, & Romanorum 13. Non eſt poteſtas, niſi à Deo.*

11 Aduertendum eſt tertiò; præter poteſtatem gubernatiuam, ſiue iuriſdictionis, dari etiam poteſtatem dominatiuam; dominium enim diuidi ſolet in dominium iuriſdictionis, ac dominium proprietatis. Differunt autem hæ duæ poteſtates in hoc, quod poteſtas iuriſdictionis, per ſe primo reſpicit communitatem perfectam, cum ad ejus politicam gubernationem ordinetur; poteſtas verò dominatiua, vt plurimum reſpicit, vel perſonas priuatas, vel communitatem aliquam imperfectam, vt eſt familia, vel Academia, &c. ad eiuſque gubernationem ordinatur, & acquiritur aliquando per contractum, vel pactum; & talis eſt illa, quam habet Dominus in Seruum ſibi venditum, titulo emptionis; vel Superior in Subditum, ratione voti obedientiæ, quo Subditus ſe illi obſtrinxit; vel Maritus in vxorem ratione contractus matrimonij, cum Maritus dicatur caput vxoris in ordine ad domus, ac familiæ gubernationem; aliquando verò acquiritur naturali origine, ac propagatione; & talis eſt, quam habet Pater in filios. Poteſt tamen hæc etiam poteſtas in ordine ad bonam ſuæ Communitatis gubernationem, præcepta imponere, & ad eorum etiam executionem cogere certis pœnis mitioribus præſcriptis; ita vt in hoc, ſimilitudinem habeat cum poteſtate iuriſdictionis. His poſitis

RESOLVTIO.

12 AD caſum reſpondetur; Statuta, ab Epiſcopo, excommunicato vitando lata, fuiſſe inualida. *S.Thom. 1.2. quæſt. 90. art. 3. ad 2.*

Digitized by Google

ad 2. Suarez de legib. lib. 1. c. 8. n. 2. & lib. 3. c. 7. Salas de legib. diſp. 1. ſect. 9. n. 54. Layman lib. 1. tract. 4. c. 8. Clauis reg. lib. 3. c. 1. num. 7. Bonac. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 1. num 6. & pun. 3. num. 2. & alij omnes communiter.

13 Primò; Quia Epiſcopus, non habebat iuriſdictionem. Ad legum autem, ac ſtatutorum valorem, neceſſariò requiritur, in Legislatore, iuriſdictio, ſiue poteſtas gubernatiua, ratione cuius Subditos ad eorum executionem cogere poſſit; ſine hac enim vi coactiuà, lex eſſet omninò inefficax, & fere inutilis, quia ferè à nemine ſeruaretur; Quamuis enim; *oderunt peccare boni virtutis amore*; hi tamen, pauciſſimi ſunt, & de plerisque verificatur; quod *oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Hanc autem vim coactiuam, non habet quælibet perſona priuata, ſed ille ſolum, qui totius Communitatis curam gerit, ideoque habet iuriſdictionem, ac poteſtatem gubernatiuam.

14 Secundò; Quia Legum, ac Statutorum inſtitutio, eſt præcipuus actus iuriſdictionis, ac potentiæ gubernatiuæ, cum ſit præcipuus actus gubernationis. Ergo procedere non poteſt, niſi ab habente iuriſdictionem; Sicut viſio, quia eſt actus potentiæ viſiuæ, procedere non poteſt, niſi ab habente potentiam viſiuam. Et ſicut conſecratio, ac abſolutio, quia ſunt actus ordinis, procedere non poſſunt, niſi ab habente ordinem.

15 Tertiò; Quia, lex ad Reipublicæ conſeruationem, ac perfectionem eſſentialiter ordinatur. Ergo procedere non poteſt, niſi à potentiâ ad hunc eundem finem, eſſentialiter ordinata: Sicut, quia motus ad centrum, in lapide, eſt ordinatus ad lapidis conſeruationem, ac perfectionem, procedere connaturaliter non poteſt, niſi à grauitate, quæ ad hunc eundem finem eſſentialiter eſt ordinata. Hæc autem potentia, eſt poteſtas gubernatiua, ſiue iuriſdictionis.

16 Quartò; Quia lex, habet vim directiuam, quà ſubditis oſtendit, quid ſit faciendum, vel omittendum, eosque obligat in conſcientiâ, etiam ſi nullus adeſſet, qui ſupplicia inferret; & coactiuam, quà, per pœnarum illationem, eos efficaciter mouet ad eam ſeruandam; ideoque lex diuina, *Deut.* 33. dicitur *ignea lex*, quia illuminat dirigendo, & monet, ac quaſi comburit cogendo. Has autem proprietates, habere non poſſet, niſi ferretur ab habente publicam auctoritatem, ac iuriſdictionem; Subditos enim dirigere, non poſſet ad bonum commune, quia inobedientes punire non poſſet, cum ad hoc requiratur iuriſdictio, & publica poteſtas, ac auctoritas; vnde *c. factæ, diſt.* 4. dicitur: *Factæ ſunt leges, vt earum metu, humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia.* Cum ergo lex, vt ſit efficax, & valida ad obligandum, procedere debeat ab habente iuriſdictionem; ſequitur, inualida fuiſſe ſtatuta, ab Epiſcopo excommunicato vitando lata, quia proceſſerunt à non habente iuriſdictionem.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; ad primam. Leges à Tiranno latas, à Republicâ approbari,

tanquam validas, propter bonum commune, & ad tollendas perturbationes, quæ in illa orirentur, ſi omnia acta Tiranni, eſſent reſcindenda; & hoc tanquam minus malum, quia illum repellere non poteſt. In hoc autem caſu, leges procedunt ab habente iuriſdictionem, quia ipſa ſupplet defectum iuriſdictionis: At in Epiſcopo excommunicato vitando, Eccleſia non vult ſupplere defectum iuriſdictionis, quia hoc modo vult eius contumaciam punire, priuando illum iuriſdictione; ideoque eius acta fuerunt inualida.

18 Ad ſecundam reſpondetur; negando antecedens. Quamuis enim, lex ordinetur ad bonum commune, non tamen propterea habet vim efficaciter mouendi ad ſui executionem, & obligandi, niſi, quatenus procedit ab habente poteſtatem cogendi, & inobedientes puniendi. Statuta autem, quæ ab Academijs, aut Vniuerſitatibus condi ſolent, non ſunt propriè leges, aut ſtatuta, ſed ordinationes, ac conſtitutiones quædam, tàm directiuæ, quàm pænales, quarum poteſtas, oritur primò à poteſtate dominatiua, quatenus homines illarum Academiarum, vel Vniuerſitatum, tradunt illarum Præſidi ius in ſe ipſos, ſeque illi ſubditos efficiunt, vt gubernentur & puniantur, niſi obedientiam præſtiterint; Vnuſquiſque enim, alteri ſe ſubijcere poteſt, eique, in ſe, ius tradere, ſicut poteſt ſe ipſum vendere. Secundo, oriri poteſt, etiam ex pacto, vel promiſſione, vel iuramento, quo ijdem homines promittunt obſeruantiam eorum, quæ fuerint impoſita.

19 Ad tertiam reſpondetur ſimiliter; Capitulum, etiam viuente Epiſcopo, habere poteſtatem ferendi quaſdam regulas, & ordinationes, quas Canonici ſeruare tenentur, non ex vi Legis, vel Statuti, ſed ex vi iuramenti, quod emittere ſolent, & ex vi pacti, ac promiſſionis, quâ Capitulum ſe obligat ad obſeruantiam eorum, quæ in Capitulo fuerint conſtituta. Hinc autem non ſequitur, Leges, ac Statuta ferri poſſe à non habente iuriſdictionem. Similiter Statuta municipalia, quæ ſunt in pluribus Ciuitatibus, ac Oppidis, vim habent obligandi ex tacita, vel expreſſâ Principis conceſſione, ac confirmatione; niſi Ciuitates illæ poteſtatem condendi Leges ſibi reſeruaſſent, dum poteſtatem gubernatiuam in Principem tranſtulerunt; Quæ tamen poteſtas admittenda non eſt, niſi, vel ex priuilegiis, vel ex vſu, ac conſuetudine colligatur; Populus enim Principi poteſtatem legislatiuam concedens, eam à ſe abdicaſſe videtur, ſicut cenſetur abdicaſſe gubernatiuam, dum eam Principi conceſſit. Denique Pater filijs legem imponere poteſt, ratione poteſtatis dominatiuæ, quam habet reſpectu illorum. Imò, ſicut Pater legem filijs imponere non poſſet, niſi haberet poteſtatem dominatiuam, ita legislator leges condere non poteſt, niſi habeat poteſtatem gubernatiuam, ſiue Iuriſdictionis.

Ad quartam reſpondetur; Finem legis eſſe, facere homines bonos per hoc, quod ſe illi conforment. Hæc tamen conformitas, obtineri efficaciter non poſſet, niſi lex procederet à poteſtate coactiua, & quæ inobedientes punire poſſet; A fine verò, homines obligantur quidem finaliter, ſed non efficienter. Vt autem lex formaliter obliget, non ſatis eſt, quod finis obliget finaliter, ſed requiritur etiam 20

tam iurisdictio, ſiue poteſtas legislatiua, quæ obliget efficienter.

21 Ad quintam Reſpondetur; Negando antecedens. Quamuis enim finis, ſit ratio mouens Legislatorem ad legem ferendam, & ad volendum per eam obligare, non eſt tamen ratio, cur lex immediatè, formaliter, ac de facto obliget; nam hæc, eſt ſola poteſtas, ac voluntas Legislatoris; ſicut ratio, cur Votum de facto obliget, eſt ſola voluntas ſe obligandi, quam habuit Vouens, non verò finis, à quo Vouens fuit motus ad vouendum; Imo menſura totius obligationis in lege deſumitur à ſolâ poteſtate, ac voluntate Legislatoris; ſicut in Voto deſumitur à ſolâ voluntate Vouentis.

COROLLARIA.

22 Colligitur ex dictis primò. Ad legis valorem neceſſariò requiri, vt procedat ab habente ſupremam poteſtatem, ac iurisdictionem; ſicut enim, ſi lex non eſſet ordinata ad bonum commune, non eſſet valida; ita non eſſet valida, ſi non procederet ab habente ſupremam iurisdictionem; Non minus enim ad Legis valorem requiritur cauſa efficiens, quam finalis; Imo in tantum lex eſt de facto ordinata ad bonum commune, in quantum ad illud ordinatur à Legislatore, per ordinationem extrinſecam; ſicut talis medicina, in tantum de facto eſt actu ordinata ad ſanitatem, in quantum ad illam à Medico actu ordinatur. Ordinatio ergo iſta, ſicut eſſentialiter requiritur, vt lex de facto ordinetur actu ad bonum commune; ita requiritur eſſentialiter, vt de facto ſit valida, ac obliget; Hæc autem ordinatio, nihil eſt aliud, quam voluntas, quam Legislator habens poteſtatem gubernatiuam, habet, per eam obligandi, & dirigendi ſubditos ad bonum commune.

23 Secundò; Ad legis valorem ſufficere iurisdictionem, ſiue poteſtatem delegatam; Poteſtas enim leges condendi, delegabilis eſt. *c. grauem: de ſententia excommunicationis:* cum ſit pars iurisdictionis, & hæc ſit delegabilis. Quare Ciuitates, quæ publicam iurisdictionem habent ſibi à ſupremo Principe conceſſam, leges & ſtatuta pro ſuo territorio condere poſſunt, ſecus verò, quæ peculiare priuilegium non habent, vel facultatem ſtatuta condendi ſibi non reſeruarunt; vel confirmationem à Principe non obtinuerunt.

24 Tertiò; Reges, Duces, aliosque ſupremos Principes, qui ſuperiorem in iurisdictione temporali non agnoſcunt, poſſe vnumquemque, pro ſuo territorio, leges ferre; In eo enim habent publicam poteſtatem, ſupremamque iurisdictionem. Quia tamen illam habent de conſenſu populi, leges ferre non poſſunt, toto populo contradicente; & ſi illas ferrent, nullius eſſent roboris; Niſi tamen populus omnem ſuam poteſtatem in Principem, vel Senatum transtuliſſet, nihil ſibi reſeruans; Hoc autem ex conſuetudine ipsâ, ac vſu facilè colligi poterit; Si enim Princeps nihil contra populi conſenſum ſtatuere ſolet, ſignum eſt, populum non omnino iuri ſuo renunciaſſe; ſi vero ſolet, ipſo etiam inuito, aliqua ſtatuere, ſignum eſt, populum nihil iuris ſibi reſeruaſſe, ſed totam poteſtatem in Principem transtuliſſe.

25 Quartò; Generales Religionum à Summo Pontifice approbatarum, ſaltem in Capitulo generali, poſſe leges ferre; quia habent publicam iuriſdictionem, ac vim cogendi; reliquos verò Superiores, leges condere non poſſe, ſed ſolùm præcipere ea, quæ ad regulæ obſeruantiam ſunt neceſſaria, & accommodata; eo quod Religioſi, obedientiam illis vouerint, & ſe illis ſubiecerint ſolùm in ijs, quæ ad regulæ obſeruantiam conferunt; Quare Prælatus Religionis ea ſolum præcipere poteſt, quæ in Regulâ vel formaliter, vel virtualiter continentur.

26 Epiſcopos, Abbates exemptos, aliosque ſimiles Prælatos iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habentes, poſſe pro ſuis Diœceſibus leges condere; quia poteſtatem habent Epiſcopalem; Huic autem, eſt annexa poteſtas ferendi leges; Cum poteſtas Epiſcopalis, ſit publica; & habeat vim cogendi; Statuta tamen condere non poſſunt contra ius commune, quia ſunt infra ius commune; & inferior poteſtatem non habet in Superiorem; licet iuſtà interueniente causà, diſpenſare aliquando poſſit in lege Superioris; eo quod, iuſtà interueniente causà liceat venire contra expreſſum Domini mandatum, ob eius voluntatem præſumptam. *L. ſi hominem ff. mandati.*

QVAESTIO II.

An Iurisdictio, per conſuetudinem acquiratur.

CASVS.

1 SEMPRONIVS, dum in Patriam rediret, tranſiens per quoddam Oppidum; ibi apud Parochum loci confiteri voluit. Verùm Parochus, dubitans de ſuà iurisdictione, cum nec Sempronius eſſet eius ſubditus, nec ipſe proprius illius Sacerdos, eum noluit audire. Quæritur; An eum audire poſſet, & abſoluere.

SVMMARIVM.

3 *Parochus, non videtur ex conſuetudine abſoluere poſſe Peregrinum.*
8 *Conſuetudo facti, quid, & quotuplex.*
9 *Conſuetudo Iuris, quid, & quotuplex.*
10 *Conſuetudo, eandem vim habet in ordine ad iurisdictionem, ac in ordine ad Legem.*
11 *Et eaſdem conditiones requirit.*
12 *Parochus, ex conſuetudine, Peregrinum abſoluere potuit.*
13 *Conſuetudo, vim habet iurisdictionem conferendi.*
14 *Per eam, idem acquiri poteſt, quod per priuilegium.*
15 *Habet vim, legis obligationem inducendi.*
16 *Vtraque, æque Reipublicæ eſt vtilis*
17 *Peregrinus, ex conſuetudine factus eſt ſubditus Parochi.*
18 *Conſuetudo, iurisdictionem confert ſolùm capaci.*

Prin-

Digitized by Google

19 *Principis iuriſdictionem non limitat.*
20 *Eius tacitum conſenſum requirit.*
21 *Debet eſſe rationabilis.*
22 *Quod ius acquiſierint Epiſcopi per conſuetudinem.*
23 *Quod Laici.*
24 *Quod acquirere poſſint Moniales.*
25 *Quod Eccleſiæ particulares.*
26 *Quod Epiſcopi in impedimentis dirimentibus.*
27 *Et quo ad Canonicos.*
28 *Et in cauſis propriis.*
29 *Laici ius decimarum acquirere non poſſunt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Iuriſdictio ad legis valorem neceſſaria, pluribus modis acquiri poteſt; vel ratione officij, & dicitur Ordinaria, ſiue officio annexa, & hanc habet Epiſcopus in ſua Diœceſi; vel ex Superioris delegatione, & dicitur Delegata, & hanc habent Confeſſarij ex Epiſcopi delegatione in ordine ad Confeſſiones audiendas; vel ex conſuetudine; vel ex præſcriptione; vel ex titulo colorato; vel ex errore communi. De primis duobus modis, nulla eſt difficultas, ſicut eſt de reliquis: ideo de reliquis ſolum examinandum eſt; an, & quomodo per illos acquiratur iuriſdictio.

3 Et primò quidem, quod per conſuetudinem acquiri non poſſit, probari poſſe videtur, in caſu propoſito; Nam, ſi Parochus Sempronium abſoluere potuiſſet, maxime ratione conſuetudinis, iam introductæ; ſed conſuetudo non potuit facere Sempronium ſubditum Parochi, non enim facere potuit, vt Sempronius in eo Oppido Domicilium, vel quaſi Domicilium haberet; ergo, nec Parochum facere potuit proprium Sacerdotem Sempronij; ideoque, neque illi in Sempronium iuriſdictionem conferre.

Secundò; Quia conſuetudo, Principi laico conferre non poteſt poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione, nec iuriſdictionem in Clericos, ita vt illis poſſit taxam imponere; eorum cauſas cognoſcere; eoſque punire; Ergo, neque Parocho tribuere potuit poteſtatem Sempronium abſoluendi. 4

Tertio; Quia, ſi conſuetudo conferre poſſet iuriſdictionem, maxima hinc ſequeretur perturbatio in Republicâ, poſſent enim Subditi acquirere iuriſdictionem, contra ſuum ſuperiorem, eiuſque iuriſdictionem limitare, ac perturbare; Nam, ſi Diœceſani, ex conſuetudine, inſtituere poſſent in Diœceſi Ieiunia, & dies feſtos, ſicut poteſt Epiſcopus, Iam Epiſcopi iuriſdictio limitaretur, ac perturbaretur; Imò in eadem Diœceſi, iam eſſent duo Capita, quod tamen à Iure, tanquam monſtrum reijcitur. Sicut, ergo Diœceſani, ex conſuetudine, acquirere non poſſunt poteſtatem dies feſtos in Diœceſi inſtituendi, ita, nec Parochus, ex conſuetudine, acquirere potuit iuriſdictionem, Sempronium abſoluendi. 5

Quartò; Quia ſi conſuetudo haberet vim iuriſdictionem conferendi; daretur improbis occaſio, eam ſibi per eius exercitium vſurpandi; cum præſertim conſuetudo, initio bonam fidem non requirat, ſicut requirit præſcriptio, ſed inchoari poſſit etiam per actus peccaminoſos; Hoc autem eſſet, iniquorum audaciam fauere, & Reipublicæ pacem perturbare potius, quàm promouere. Non potuit ergo Parochus, ex conſuetudine, iuriſdictionem habere Sempronium abſoluendi. 6

Quin-

Quintò; Quia, ſi conſuetudine ius aliquod acquiri poſſet; qui defunctorum anniuerſarijs non interſunt, ex conſuetudine acquirere poſſent ius ſtipendium, ac eleemoſynam recipiendi, ſicut illi, qui interſunt. Conſequens autem eſt abſurdum, quia par non eſt; vt commodum ſentiat, qui onus non ſuſtinet; vnde *in 6. decret. tit. 3. de Cleric. non reſid. c. Vn. ad fin.* à Bonifacio Octauo decernitur, eleemoſynas, ſiue diſtributiones non eſſe conferendas iis, qui anniuerſarijs, ſiue Diuinis defunctorum officijs non interſunt. Quod intelligendum eſt, tam de anniuerſarijs, quæ capituli oneribus ſunt applicata, pro quibus conferuntur diſtributiones, quàm de conſuetis, pro quibus tradi ſolet eleemoſyna ab ijs, qui ea curant celebrari; Ergo conſuetudine nullum ius acquiri poteſt, & conſequenter, nec iuriſdictio; quàm propterea non habebat Parochus in Sempronium, prout ad abſolutionis valorem requirebatur.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò. Conſuetudinem accipi poſſe, vel pro facto, vel pro Iure. Pro facto ſumitur *in c. 1. de conſt. in 6.* & idem eſt, ac vſus longus, frequens, ac continuus; ſiue frequentia actuum ſimilium exercitorum à maiori parte Communitatis, ex quo vſu oritur aliquod ius, tanquam effectus ex ſuâ causâ. Diſtinguitur à ritu, ſtylo, foro, & præſcriptione, tanquam genus à ſpeciebus; nam ritus, eſt vſus, ſiue conſuetudo limitata ad Sacrificij, & Sacramentorum adminiſtrationem, & ad alios ſimiles actus ſacros; ritus enim, eſt modus procedendi in actionibus ſacris. Stylus, eſt vſus, ſiue conſuetudo limitata ad actus Iudiciales; quia eſt modus procedendi in Iudicijs, ac Sententijs. Forum, eſt conſuetudo, ſiue vſus iuriſdictionis in Iudicijs ſeruandus. Præſcriptio denique, quantum facit ad rem præſentem, inter perſonas particulares verſatur, vel inter Communitates, ac ſi eſſent perſonæ priuatæ, & inducit dominium, ſiue obligationem iuſtitiæ. Conſuetudo vero, & reſpicit Communitatem, & obligationem ſolum legalem inducit.

Aduertendum eſt ſecundò. Conſuetudinem, ſi ſumatur pro iure, vt ſumitur in 9
c. vlt. de conſuetud. definiri communiter ex Iſidoro; *Ius quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.* Dicitur moribus conſtitutum, quia ab hominum moribus, ſiue ex illorum longo, ac continuo vſu, ortum habet; & pro lege, hoc eſt, loco legis ſcriptæ ſuſcipitur; quia eandem vim habet obligandi, ac lex ſcripta; eiusque tot ſunt ſpecies, quot ſunt ſpecies conſuetudinis facti. Ex longo autem, ac continuo vſu, ſicut oritur lex, ita etiam oritur priuilegium, ac iuriſdictio, cum hæc etiam, ſpecies quædam ſit legis.

Aduertendum eſt tertiò; Conſuetudinem, in ordine ad iuriſdictionem, eaſdem 10
proprietates habere, quas habet in ordine ad legem; Sicut enim poteſt, vel legem interpretari, quando eſt iuxta illam; vel abrogare, quando ei eſt contraria; vel denique condere, quando eſt præter illam; ita, & confirmare poteſt iuriſdictionem, quando eſt iuxta illam, & ab ea eximere, quando eſt illi contraria, & de nouo conferre, quando

do eſt noua, & nemini contraria. Cujus rei ratio eſt; quia, cum habeat vim legis, & legi æquivaleat, poteſt, quidquid poteſt lex. Sicut ergo lex iuriſdictionem & confirmare poteſt, & conferre, & abolere, ita non eſt, cur conſuetudo legitimè præſcripta, hæc eadem præſtare non poſſit.

11 Aduertendum eſt quartò: Conſuetudinem ad conferendam iuriſdictionem, easdem conditiones requirere, quas requirit ad legem inducendam. Ad legem autem inducendam requiritur primò, vt actuum frequentia legis inductiva ſit circa materiam honeſtam, Reipublicæ utilem, nec prohibitam; debet enim eſſe circa materiam, quæ poſſit eſſe materia legis vel privilegii; alioquin, ſi aliquid horum deſit, conſuetudo dici non poteſt rationabilis, ſed potius corruptela & abuſus. Secundò, vt hæc actuum frequentia ponatur à maiori parte Communitatis, quia conſentiente maiori parte, tota Communitas conſentire cenſetur. Tertiò, ut hæc Communitas ſit capax legis, eamque recipiendi, eſto non ſit capax ferendi. Quia eius conſuetudo non introducit legem, vt ſuam, ſed vt Principis, qui tacito ſuo conſenſu conſuetudini efficaciam confert. Quartò, vt actuum frequentia ponatur animo, vel legem introducendi vel iuriſdictionem acquirendi; tum quia iuxta intentionem populi talis eſt conſuetudo. Tum quia tunc ſolum accedit Legiſlatoris conſenſus, qui ad legis valorem eſt omnino neceſſarius, cum adeſt talis intentio. Quintò, vt eadem actuum frequentia ſit longæua; iura enim requirunt, vt duret ad longum tempus, hoc autem eſt decennium; Tum quia hoc in iure reputatur longum tempus, *l. ult. C. de praeſcr. long. temp.* §. 1. *inſtit. de vſucap.* Tum quia, cum agatur de re omnino fauorabili, & nemini contraria, non eſt, cur hoc tempus abſolutè non ſit ſufficiens. Conſuetudo autem nemini eſt contraria, quia non eſt contraria Principi, cum ex eius voluntate vim habeat; neque Subditis, cum ab eorum conſenſu pendeat. Sextò denique, vt huic actuum frequentiæ accedat conſenſus Legiſlatoris; quia nemo legem ſtatuere poteſt, niſi qui poteſtatem habet legem ferendi; hanc autem habet ſolus Legiſlator. Sufficit tamen eius conſenſus, ſive voluntas tacita & iuridica, quæ habetur *in c. vlt. de conſuetud. & l. De quibus ff. de legibus.* Vbi Supremus Princeps tam Canonicus quam Civilis ſufficienter decernit, conſuetudinem rationabilem, ac legitimè præſcriptam iuri poſitivo derogare; quia Principis voluntas tacita & iuridica æquivalet expreſſæ ac perſonali. A Principis autem voluntate tota legis efficacia omnino dependet. His poſitis,

RESOLVTIO.

AD Caſum Reſpondetur: Parochum abſoluere potuiſſe Sempronium. Ita *Sotus diſt.* 18. *queſt.* 4. *ar.* 2. *Henriq. lib.* 6. *c.* 8. *Silueſter v. Confeſſ.* 1. *num.* 11. & *v. conſuetudo q.* 3. & 11. *Coninch. d.* 8. *de Sacr. d.* 8. *num.* 61. *Reginald. lib.* 1. *num.* 74. *Salas d.* 19. *de legibus ſect.* 10. *num.* 78. *Baſilius Pontius de matr. lib.* 6. *c.* 4. *nu.* 6. *Sanchez lib.* 7. *de matr. d.* 4. *n.* 11. *Suarez de legib. lib.* 7. *c.* 19. *num.* 14. & alii communiter. 12

13 Probatur : quia hoc eſt iam conſuetudine introductum, vt Parochi etiam iter agentes abſoluere poſſint. Conſuetudo autem vim habet iuriſdictionem conferendi; Primo: quia ita expreſſè decernitur : *c. ult. de off. Archid. c. auditis de præſcript. c. nouit. de Iudic. c. duo ſimul: de off. ordin. c. accedenti de priuileg. c. cùm contingat. de foro competent. c. finali de conſuetud. & l. de quibus. ff de legibus*; Voluntas autem Principis habet vim conſuetudini hanc efficaciam tribuendi.

14 Secundò : Quia per conſuetudinem acquiri poteſt , quidquid acquiri poteſt per privilegium , vt docet *Card. in Clem. 2. Bart. in proœmio digeſtorum §. finali, & Felinus in c. cum contingat*: vnde in *d. c. cum contingat*; conſuetudo æquiparatur priuilegio , cum hac ſolùm differentia, quod priuilegium poteſt ex incapaci capacem reddere , quomodo Pontifex per ſpeciale privilegium poteſt concedere Laico poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione ; conſuetudo verò ſupponit capacem. Sicut ergo per priuilegium acquiri poteſt iuriſdictio, ita acquiri poteſt per conſuetudinem.

15 Tertiò : Quia conſuetudo habet vim legis obligationem inducendi. Ergo à fortiori habebit vim etiam iurisdictionem conferendi ; plus enim eſt , legem inducere, quàm iuriſdictionem conferre.

16 Quartò: Quia non minus eſt vtile Reipublicæ , quod conſuetudo vim habeat iurisdictionem conferendi , quàm legem inducendi; Eo enim ipſo , quod in aliquo conueniunt omnes , illud expedit bono communi , vt tradunt *Menoch. lib. 2. cont. 1. de arbitr. caſu 82. Sanchez lib. 7. matr. d. 4. num. 14.* alioquin non omnes in eo conuenirent; In vtraque autem conſuetudine æquè omnes conveniunt. Cum ergo Princeps, vt Reipublicæ gubernator & cuſtos bono communi proſpicere teneatur, quantum poteſt, conſuetudinem æquè efficacem reddere debuit ad conferendam iuriſdictionem, ac legem inducendam. Ex quibus omnibus conſtat, Parochum ex conſuetudine iam introductâ, Sempronium abſoluere potuiſſe.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes autem in contrarium Re- 17
ſpondetur; Ad primam, Sempronium conſuetudine fieri potuiſſe ſubditum Parochi, ſicut ex privilegio factus eſt ſubditus omnium regularium ; ſicut enim hi ex Pontificis conceſſione ac delegatione omnium fidelium confeſſiones audire poſſunt; ita ex eiusdem Pontificis tacito conſenſu omnes Parochi, poſita conſuetudine omnium iter agentium confeſſiones audire poſſunt, non minùs, quàm ſi de hac re privilegium haberent.

Ad ſecundam : Negatur conſequentia. 18
Parochus enim erat capax iuriſdictionis, ideoque conſuetudo ex tacito Pontificis conſenſu eam illi conferre potuit. At Princeps Laicus non eſt capax iuriſdictionis ſpiritualis, nec iurisdictionis in Clericos ſine ſpeciali Pontificis privilegio; ideoque non mirum , quod eam per conſuetudinem acquirere non potuerit; Conſuetudo enim ſupponit capacitatem in eo, cui conferenda eſt iuriſdictio ; in quo diſtinguitur à Privilegio, vt dictum eſt.

Ad tertiam; Negatur ſequela : cum 19

enim

enim conſuetudo ex Principis conſenſu inducatur, & vires obtineat; eius iuriſdictionem nullo modo limitat aut offendit; cum iuriſdictio, quæ per conſuetudinem acquiritur, ſemper ex eius voluntate pendeat, non minus, quàm iuriſdictio delegata. Sicut ergo hæc Principis iuriſdictionem non limitat, nec vllam cauſat perturbationem in Republica, imò eſt illi valde vtilis; ita illam non limitat iuriſdictio per conſuetudinem acquiſita, nec ullam cauſat perturbationem, ſed Reipublicæ eſt valde vtilis.

20 Ad quartam ſimiliter, negatur ſequela; Cum enim ad conſuetudinis efficaciam tacitus ſaltem Principis conſenſus requiratur, ſequitur, improbos, per conſuetudinem, uſurpare ſibi non poſſe iuriſdictionem, ſicut vſurpare non poſſunt delegatam. Sicut ergo ex eo, quod iuriſdictio acquiri poſſit per delegationem, nullum ſequitur inconveniens; ita nullum ſequitur ex eo, quod acquiri poſſit per conſuetudinem.

21 Ad quintam; Negatur ſequela: Conſuetudo enim, vt vim habeat, & efficaciam ad ius aliquod conferendum, debet eſſe rationabilis, vt habetur *c. finali de conſuetud.* Conſuetudo autem recipiendi eleemoſynam ſine aſſiſtentiâ irrationabilis eſt, & abuſus potius quam conſuetudo; Eſt enim contra iuſtitiam, ut ſtipendium recipiat, qui onus non ſuſtinet, cum ſtipendium detur propter onus. Si tamen daretur infirmitas, vel iuſta corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas, tunc recipi poſſet ſtipendium, etiam ſine aſſiſtentiâ, quia hæ ſunt cauſæ iuſtæ non aſſiſtendi iuxta *c. Vnicum decretalium in ob. cit.*

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò: Epiſcopos conſuetudine à ſe introductâ acquirere potuiſſe ius immunitatis ab obligatione, quam ex *c. 1. de præſcript. in 6.* habebant in ſubditorum correctione procedendi ex conſilio Capituli. Tum quia ſic habetur in *c. non eſt de conſuetud. in 6.* Tum quia hæc conſuetudo non erat irrationabilis, & fuit legitimè præſcripta. *Caſtropal. tom. 1. d. 3. tr. 3. p. 3. n. 1.* 22

Secundò: Poſſe ſimiliter Clericos per non vſum ſiue conſuetudinem legitimè introductam acquirere ius immunitatis ab obligatione ferendi tonſuram; quia hanc exemptionem acquirere poſſent per priuilegium, eiusque ſunt capaces; per conſuetudinem autem acquirere poſſunt, quidquid acquirere poſſunt per priuilegium. *Azor. tom 1. lib. 5. c. 18. qu. 11.* 23

Tertiò: Item Moniales & Communitates Mercatorum poſſe conſuetudine ius immunitatis à legibus ſibi impoſitis acquirere. Tum quia iſtæ omnes Communitates ſunt capaces legum, & obligationis. Ergo etiam per conſuetudinem ab illis ſe eximendi; non enim ſe eximunt vi ſuâ, ſed ex tacito, vel iuridico conſenſu Legiſlatoris. Conſenſus autem Legiſlatoris tacitus, & iuridicus, non videtur minoris efficaciæ, quàm perſonalis, ac expreſſus, cum taciti & expreſſi eadem videatur eſſe conditio ac natura. Sicut ergo Communitates iſtæ per expreſſam Principis voluntatem diſpenſari poſſent in legibus; ita ſuo modo diſpenſari poterunt per conſuetudinem. *Suar. lib. 7. cap. 16. num. 11.* 24

Digitized by Google

25 Quartò: Etiam Eccleſias particulares poſſe per conſuetudinem legitimè introductam à lege cæremoniarum Sacramentalium in Sacramentorum adminiſtratione ſeruandarum ſe eximere. Tum quia ita de facto ſe exemerunt Eccleſia Græca & Mediolanenſis, proprios ritus introducendo, à Romana magis, vel minus diverſos. Tum quia ad bonum commune, ac rectam Reipublicæ gubernationem pertinet, ne Princeps populum legibus diu repugnantem, earum obſeruationi adſtringat, ſed potius conniveat, & conſuetudini à populo introductæ conſentiat. *Caſtrop. tr. 3. d. 3. p. 4. §. 2.*

26 Quintò: Poſſe Epiſcopos, ubi eſt conſuetudo legitimè introducta, diſpenſare in impedimentis dirimentibus ab Eccleſia introductis; quia huiusmodi impedimenta per conſuetudinem aboleri poſſunt, ſicut cæteræ leges Eccleſiaſticæ, cum per legem Eccleſiaſticam ſint introducta. Ergo etiam diſpenſari; Conſuetudo enim non minorem habet efficaciam ex tacito Principis conſenſu ad conferendam iuriſdictionem, quam ad legem abolendam. Ergo ſicut poteſt abolere legem, quæ huiuſmodi impedimenta introduxit; ita conferre poteſt iuriſdictionem ad diſpenſandum in illis, *Sanchez* cum communi *lib. 7. d. 4. num. 14.*

27 Sextò: Epiſcopum per conſuetudinem legitimè præſcriptam introducere poſſe, ut Canonici in ſui receptione aliquid Eccleſiæ fabricæ applicent; quia hoc licet *in c. ex multis 3. qu. 1.* prohibeatur; nihilominus ex iuſta cauſa à Pontifice per privilegium permitti poteſt. Ergo etiam per conſuetudinem legitimè præſcriptam introduci. *Laym. lib. 1. tr. 4. c. 24. num. 5.*

Septimò: Quamuis Epiſcopi in cauſis intereſſe proprium concernentibus, iudices eſſe non poſſint, cum ſint ſuſpecti, ex quo commodum, vel incommodum ad eos ſpectat; vt tenet *Abb. in c. cum veniſſent num. 19.* in illis tamen Eccleſiis, in quibus ex antiqua conſuetudine huiusmodi cauſarum cognitionem præſcripſerunt, eas cognoſcere poſſe; quia conſuetudo iuriſdictionem tribuere poteſt alias non habentibus; *c. ſi Clericus Laicum de foro compet. & c. cum contingat. in fin. Gemin. in c. 1. in prin. de pæn. lib. 6.* 28

Octauò: Laicum per quamcumque conſuetudinem ius decimarum acquirere non poſſe; quia hoc ius, cum ex ſua inſtitutione Eccleſiaſticum ſit, in Laicum cadere non poteſt, niſi ex ſpeciali Prælati Eccleſiaſtici priuilegio; ſic enim habetur, *c. dudum & c. prohibemus de decimis.* Cum ergo ſine tali priuilegio Laicus ſit incapax cuiuscumque iuris Eccleſiaſtici, illud per quamcumque conſuetudinem acquirere non poteſt. Idemque dicendum eſt de quocumque alio iure Eccleſiaſtico; quia eadem eſt omnium ratio, & de conſuetudine, quæ à iure damnatur, vt irrationabilis; quia, cum conſuetudo facti, ſit via ad ius acquirendum, nullum ex ea ius oriri poteſt, ſi iudicetur iniqua; *Layman loc. cit. num. 9.* 29

QVAE-

Digitized by Google

QUAESTIO III.

An Iuriſdictio acquiratur per præſcriptionem.

CASUS.

1 IN Inſula quadam Ægei Maris erat Epiſcopatus valdè tenuis, & Abbatia nullius Diœceſis. Cum autem tam Epiſcopus, quàm Abbas peſte ſublati fuiſſent, Pontifex Epiſcopatum illum Diœceſi Smirnenſi propinquiori vniuit. Epiſcopus Smirnenſis literis vnionis acceptis, putans, Abbatiam ad Epiſcopatum vnitum pertinere, eam ſimul cum dicto Epiſcopatu viſitauit, Parochos conſtituit, aliosque actus iuriſdictionis Epiſcopalis in ea exercuit. Cum verò poſt aliquot annos Abbatia vacans cuidam Clerico valde nobili Romæ degenti collata fuiſſet; Hic non inuentis Scripturis, quæ occaſione peſtis aliò translatæ fuerant, putauit, dictam Abbatiam verè ad Epiſcopatum vnitum pertinere; ideoque Epiſcopo Smirnenſi ſe non oppoſuit. Verùm cum poſt quadraginta & amplius annos alius, cui duobus ſucceſſivè iam mortuis eadem Abbatia collata fuerat, inuentis Scripturis inter eas priuilegium, per quod Abbatia conſtituebatur à Pontifice nullius Diœceſis, inueniſſet; noluit Epiſcopi Smirnenſis iuriſdictioni ſe ſubjicere, ſed nouos Curatos inſtituit, aliosque actus iuriſdictionis, quaſi Epiſcopalis exercere cœpit. Epiſcopo autem ſe opponente; Quæſitum eſt, cuinam iuriſdictio in Abbatiam competeret.

SVMMARIVM.

1 *Præſcriptio iuriſdictionem non videtur conferre.*
7 *Præſcriptio quid, & quotuplex.*
8 *Per quid à conſuetudine diſtinguatur.*
9 *Conditiones ad illam requiſita.*
10 *Tempus ad illam requiſitum.*
11 *Præſcriptio iuriſdictionem confert.*
12 *Iuriſdictio inter res immobiles computatur.*
13 *Reſpublica iuriſdictionem transferre poteſt.*
14 *Iura ſupponunt, præſcriptionem transferre poſſe iuriſdictionem.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

15 *Lex præſcriptionis legem naturalem non abrogat.*
16 *Bona fides quandiu requiratur ad præſcriptionem.*
17 *Cur ſit introducta præſcriptio.*
18 *Debita præſcribi poſſunt.*
19 *Præſcriptione alia etiam iura acquiri poſſunt.*
20 *Etiam Ius patronatus,*
21 *Et Ius iudicandi.*
22 *Et Decima alterius Diœceſis.*
23 *Et Ius immunitatis ab aliqua obligatione.*
24 *Quæ præſcriptio requirat titulum.*
25 *Omnis præſcriptio bonam fidem requirit.*
26 *Ad præſcriptionem non qualibet bona fides ſufficit.*
27 *Nec quilibet bonam fidem habens præſcribit.*
28 *Species pecuniæ ſoluendæ præſcribi poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 HUius quæſiti reſolutio pendet ex reſolutione alterius; an ſcilicet iuriſdictio præſcriptione acquiratur, ſicut acquiritur conſuetudine. Si enim acquiritur, Epiſcopo competit iuriſdictio, ſi verò non acquiritur, competit Clerico. In foro autem externo vix dubitari poteſt, præſcriptione iuriſdictionem acquiri. Hoc enim tam Civili, quàm Canonico iure ſtatutum eſt, *c. Vigilanti & vlt. de præſcript. & l. 3. ff. de vſurpat. & vſucap.* Quare difficultas ſolum ſupereſt in foro interno; Videtur enim præſcriptio in foro conſcientiæ vim non habere iuriſdictionem conferendi. Ita *Henriquez Gandab. quodlib. 8. quæſt. 22. Alciat. in libello de 5. pedum præſcrip. Adrian. in 4. de reſt. q. de præſcript. Medina Cod. de reſtit. qu. 16. & 18.*

3 Primò: Quia nulla lex poſitiua abrogare poteſt legem naturalem, quæ dictat rem vero Domino eſſe reddendam; ſed iuriſdictio in Abbatiæ Territorio ad Abbatem, tanquam ad verum Dominum pertinebat. Ergo nulla lex poſitiva illum tali iurisdictione ſpoliare potuit; ideoque Epiſcopus in foro conſcientiæ eam retinere non potuit, ſed reſtituere tenebatur.

4 Secundò: Quia ad præſcriptionem neceſſariò requiritur bona fides, qua rem alienam poſsidens credat eſſe ſuam; ſed hæc tollitur eo ipſo, quod Poſſeſſori conſtat eſſe alienam. Ergo eo ipſo, quod poſſeſſori conſtat, rem eſſe alienam, corruit præſcriptio, totamque vim ac efficaciam amittit. Epiſcopo autem ex privilegio ſibi exhibito conſtitit, iuriſdictionem ad Abbatem pertinere.

5 Tertiò: Quia æquitati conſonum non videtur, ut quis ſuo iure privetur, abſque culpâ; Abbas autem nullam culpam commiſit; cum enim ſcripturas non haberet, ſuam iurisdictionem invincibiliter ignorabat; Ergo æquum non erat, vt propria iurisdictione priuaretur; præſcriptio enim introducta videtur in pœnam negligentiæ, ac deſidiæ Domini in rebus ſuis recuperandis, *c. Vigilanti de præſcript.*

6 Quartò: Quia ſi præſcriptio vim haberet Dominum iurisdictione ſpoliandi, eamque transferendi in Poſſeſſorem, haberet etiam vim Dominum rerum ſuarum dominio ſpoliandi, illudque transferendi

in

Digitized by Google

in Præſcribentem; atque ita Debitor adverſus Creditorem rem debitam præſcribere poſſet, eiuſque dominium per præſcriptionem acquirere. Conſequens autem eſt abſurdum; Sic enim Debitoribus daretur occaſio debita malâ fide retinendi.

NOTABILIA.

7 ADvertendum eſt primò: Præſcriptionem, vt eſt quid facti, eſſe poſſeſsionem rei alienæ bona fide continuatam tempore à lege definito. Vt verò eſt quid iuris, eſſe acquiſitionem dominii rei, vel juris alieni ex vi talis poſſeſsionis. Sic enim habetur *l. Vſucapio, ff. de vſucapionibus.* Vnde qui rem vel ius alienum capit eo vſu, cui per leges dominium conceditur, illius dominium acquirit. Hæc autem præſcriptio ſiue translatio dominii à priſtino Domino in præſcribentem ex vi legitimæ poſſeſsionis à Iure tam Canonico quàm Ciuili in bonum publicum introducta eſt; Primò ne quarundam rerum dominia diù, & ferè ſemper confuſa eſſent & incerta, *l. 1. ff. de vſurpat. & vſucap.* Secundò, vt aliquis eſſet litium finis, *l. ult. ff. Pro ſocio.* Tertiò, ne Poſſeſſores perpetuò timore rei, quam poſſidebant amittendæ, tenerentur, *l. Cum notiſſ. C. De præſcript. 30. vel 40. annorum,* Quartò, ne homines in rebus ac iuribus ſuis conſeruandis deſides ac negligentes eſſent, *l. Vt perfectius. C. de annuali except. &c. Vigilanti, de præſcript.* Præſcriptionis denique, vt eſt quid facti, duæ ſunt proprietates, ſiue effectus; ſcilicet rei, vel iuris alieni dominium acquirere Præſcribenti, aut ſaltem ius immunitatis ab aliqua obligatione ac ſervitute reſpectu alterius.

8 Aduertendum eſt ſecundò: Præſcriptionem à conſuetudine diſtingui, non ſolum, quia ipſa verſatur propriè circa perſonas, vt particulares, conſuetudo verò reſpicit Communitatem, quam obligat; & quia ipſa vel inducit obligationem iuſtitiæ, vel ab ea eximit; conſuetudo verò obligationem ſolùm legalem, eo quod conſuetudo pariat legem, & præſcriptio dominium. Sed etiam primò: quia in præſcriptione requiritur ſemper bona fides, in conſuetudine non ſemper eſt neceſſaria. Secundò, quia in præſcriptione nullus requiritur conſenſus illius, aduerſus quem præſcribitur, in conſuetudine verò tacitus ſaltem Principis conſenſus eſt neceſſarius; Vnde conſuetudo aduerſus nullum præſcribit. Tertiò, quia ad præſcriptionem ſaltem aliquando requiritur titulus, ad conſuetudinem verò non requiritur, ſed tacitus Principis vel Populi conſenſus ſufficit pro titulo. Quartò, quia ad præſcriptionem diuerſum tempus requiritur, ac ad conſuetudinem.

9 Aduertendum eſt tertiò. Ad præſcriptionem quinque conditiones communiter requiri. Prima eſt poſſeſsio, & quidem Civilis, quâ quis rem ſuo nomine poſsideat; ſine poſſeſsione enim non datur præſcriptio, ex *reg. 3. de reg. iuris in 6.* Secunda eſt capacitas, tam activa in poſsidente, quàm paſsiva in re poſſeſſa; vt ſcilicet & poſsidens ſit capax poſſidendi, & res poſsideri, ex *c. Laicis, c. Poſt laicos, & aliis.* Tertia eſt bona fides, ſiue bona conſcientia; hoc eſt: opinio, quâ quis prudenter iudicat, rem, quam poſsi-

poſſidet, eſſe ſuam; vel ſaltem ignorat, eſſe alienam; modo ignorantia non ſit craſſa, vel affectata, ex *reg. 2. de reg. iuris in 6.* Quarta, eſt titulus aliquis probabiliter præſumptus *c. Si diligenti, de præſcript. l. Celſus ff. De vſucap.* Et ratio eſt: quia titulus, cum ſit radix & cauſa, ex quâ oritur dominium, neceſſariò requiritur ad bonam fidem; in tantum enim putat quis, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam, in quantum putat, illam ſe à legitimo Domino emiſſe: Hic tamen titulus requiritur ſolum ad præſcriptionem, quæ fit tempore definito & ordinario; nam ad illam, quæ fit tempore longiori, ipſa temporis longitudo ſufficienter parit præſumptionem tituli. Quinta denique eſt tempus à lege definitum; quod pro varietate rerum, quæ præſcribuntur, diuerſum eſt: aliud enim requiritur in præſcriptione rerum mobilium; aliud in præſcriptione immobilium; quia tamen iuriſdictio, iura & ſeruitutes inter res immobiles computantur, ideo idem tempus ad iſtorum præſcriptionem requiritur, ac ad res immobiles præſcribendas. Propterea

10 Aduertendum eſt quartò, res immobiles, & conſequenter etiam iuriſdictiones, ac iura titulo interueniente præſcribi, inter præſentes annis decem, inter abſentes verò annis viginti. Ita expreſsè habetur, §. 1. *Inſtit. de vſucap. & l. Si quis empt. C. De præſcript. triginta aunorum, & Grat. in c. Placuit. 16. quæſt. 3.* Præſentes autem dicuntur, qui in eodem territorio habitant: abſentes verò, qui extra prædictum territorium commorantur: Si verò non adſit titulus, præſcribuntur annis triginta cum bona fide; ita *l. Si quis empt. §. Quod ſi quis C. De præſcr. 30. vel 40. annor. Et c. Sanctorum, de præſcript.* Hoc enim in iure vocatur tempus longiſſimum, ſicut decennium & vicennium appellatur longum, *l. Cum in longo. vlt. C. de præſcr. longi temporis.* Si tamen præſcribenda ſint bona, vel iura Eccleſiæ Romanæ, vel Ciuitatibus donata aut vendita requiruntur anni 100. *C. Ad audientiam. de præſcript.* Et alibi. Si verò aliarum Eccleſiarum aut locorum piorum, aut legatorum, Parentibus factorum, anni 40. *c. Ad aures, de præſcript. Authent. quas act. C. De ſacroſanctis Eccleſiis.* His poſitis,

RESOLVTIO.

AD Caſum reſpondetur; Iuriſdictionem in Abbatiam Epiſcopo competere, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro Conſcientiæ. Ita *Gloſ. in c. vigilanti. Couarru. reg. poſſeſſor. 2. p. §. 1. num. 4. Tiraquel. de præſcript. §. 1. Mol. tr. 2. d. 61. Leſſius lib. 2. c. 9. d. 17. num. 51. Laym. lib. 3. tr. 1. ſect. 5. c. 8. num. 4. Bonac. de contract. d. 1. quæſt. vlt. p. 2. §. 2. num. 32. Silveſt. v. præſcriptio. 1. Clavis reg. c. 7. n. 5. Salon. 2. 2. qu. 5. art. 7. concl. 2. Menoch. de retin. poſſeſs. remed. 5. num. 84.* & alii communiter. 11

Probatur primò; quia Epiſcopus legitimè præſcripſit iuriſdictionem; illam enim de facto exercuit bona fide, & cum aliquo titulo probabiliter præſumpto, & per tempus ad præſcribendas res immobiles à lege definitum; eratque capax illius iuriſdictionis; Quæ omnia conſtant 12

ex

ex facto. Legitima autem præſcriptio, ſicut à iure habet vim transferendi dominium rerum immobilium, ita habet vim transferendi etiam iuriſdictionem, cum hæc inter bona immobilia computetur; ideoque prodeſt etiam pro foro interno.

13 Secundò: Quia Reſpublica quemuis rerum ſuarum dominio priuare poteſt, & alteri applicare, cum id bono communi ac rectæ iuſtitiæ adminiſtrationi expedire iudicauerit, vt notarunt *Scotus in 4. d. 15. queſt. 2. art. 2. Abbas in c. quæ in Eccleſiarum. nu. 11. de conſtit. & Conar. reg. poſſeſſor. p. 1. §. vnico num. 5.* Bono autem communi, ac rectæ iuſtitiæ adminiſtrationi expedit, vt aliena poſſidentes bona fide, eorum dominium acquirant; ſic enim euitantur lites, & dominiorum incertitudo ac confuſio. Ergo Reſpublica poteſt bona fide poſſidentibus rerum, quas poſſident, dominium conferre; Cum ergo illud de facto transferat, vt ex iuribus citatis conſtat, ſequitur, quod præſcriptio valeat, non ſolùm pro foro externo, ſed etiam pro interno; ideoque quod Epiſcopo iuriſdictio competat etiam in foro conſcientiæ.

14 Tertiò: Quia Sacri Canones, dum *c. vigilanti, & c. vlt. de præſcript.* dominii translationem negant, ſolum præſcriptioni mala fide introductæ tacitè ſupponunt præſcriptionem bonæ fidei, vim habere dominium transferendi. Poſito autem, quod præſcriptio vim habeat dominium transferendi, prodeſt non ſolùm pro foro externo, ſed etiam pro foro conſcientiæ; præſcribens enim, cum fiat verè Dominus iuriſdictionis, quam præſcribit, eam in vtroque foro exercere poteſt pro libito.

OBIECTIONUM SOLVTIO.

Nec obſtant rationes in contrarium. 15
Nam ad primam reſpondetur: legem præſcriptionis non abrogare legem naturalem, quæ dictat, rem vero Domino eſſe reddendam; cum enim vim habeat priſtino Domino dominium auferendi, illudque applicandi Præſcribenti, iam Præſcribens fit verus Dominus, ſicque rem præſcriptam nulli amplius reddere tenetur. Atque ita Epiſcopus per legitimam præſcriptionem factus eſt verus Dominus iuriſdictionis in Abbatiam.

Ad ſecundam reſpondetur: Bonam fidem, quâ quis credit, rem eſſe ſuam, requiri ad præſcriptionem toto tempore, quo completur, non verò poſtquam eſt iam completa; Nam tunc non eſt amplius bona fides, ſed veritas; verè enim per dominii translationem res fit ſua; Vnde credere amplius non poteſt, eſſe alienam, ſicque nec malam fidem habere. Cum ergo Epiſcopo ſolùm poſt legitimam præſcriptionem Abbatis priuilegium innotuerit, non potuit ex illo credere, iuriſdictionem eſſe alienam, quia iam per legitimam præſcriptionem facta erat propria. 16

Ad tertiam Reſpondetur: Æquum non eſſe, vt quis abſque culpa ſuo iure priuetur per modum pœnæ, cum de ratione pœnæ ſit culpam ſupponere; At priuari etiam abſque culpa iure ſuo per legem, propter bonum commune, non eſt contra æquitatem; Princeps enim habet 17

ius de ſubditorum bonis diſponendi, prout Reipublicæ vtilitas exigit. Præſcriptio autem primario ſaltem non eſt introducta in pœnam negligentiæ Dominorum in ſuis iuribus conſervandis, ſed ad vitandas lites & dominiorum incertitudinem, ac confuſionem, vt dictum eſt.

18 Ad quartam reſpondetur: Etiam debita contra debitores ſpatio triginta annorum à debitoribus, ſi detur bona fides, quà credant debitum ſibi eſſe remiſſum, præſcribi poſſe; ſic enim habetur *L. ſicut in rem 3. C. de præſcript. 30. & 40. annorum.* Hinc tamen non ſequitur, dari occaſionem Debitoribus debita mala fide retinendi: nam eo ipſo, quod datur mala fides, iam non currit præſcriptio, cum hæc eſſentialiter requirat bonam fidem.

COROLLARIA.

19 Colligitur ex dictis primò: ſicut præſcriptione acquiri poteſt iuriſdictio, ita acquiri poſſe alia iura; eadem enim eſt ratio de omnibus, cum omnia æquè computentur inter bona immobilia; Vnde ius nominandi Rectorem, aut Prælatum in Eccleſia Collegiata, vel Cathedrali, præſcribi poteſt à Laico contra ipſam Eccleſiam, annis 40. cum titulo vel tempore immemorabili abſque titulo; tunc enim diuturna poſſeſſio huius iuris & vſus abſque contradictione frequentatus tollit malæ fidei præſumptionem, & titulum præſumptum inducit. Ita *Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de reform.* & hoc modo multi Principes præſcripſerunt ius patronatus in maioribus beneficiis. *Molin. tract. 2. dub. 70.*

20 Secundò: Ius patronatus à Laico contra verum Patronum & beneficium Eccleſiaſticum contra alium, ad quem verè pertinebat præſcribi poſſe cum titulo annis 10. inter præſentes; 20. inter abſentes; & 30. ſine titulo: Tum quia feudum & emphyteuſis ſimili modo acquiruntur. Tum quia eadem eſt ratio huius iuris, ac bonorum immobilium, aliorumque iurium contra priuatum. Hæc autem ſimili modo per præſcriptionem acquiruntur: Qui verò beneficium cum titulo & bona fide pacificè per triennium poſſedit, illud legitimè præſcripſiſſe videtur, ita ut illud poſtea reſignare non teneatur; cum enim Pontifex poſt triennium nemini amplius actionem in beneficium illud concedat, eo ipſo Poſſeſſorem in conſcientia ſecurum reddere videtur, eo quod triennali vſucapione fecerit ſuum. *Laym. lib. 3. cap. 5. tract. 1. cap. 8. concl. 6.*

Tertiò: Poſſe ſubditum annis 40. cum 21
titulo conceſſionis ſibi à Principe factæ, & ſine titulo per tempus immemorabile, præſcribere contra Principem ius indicendi vectigal, inſtituendi tabelliones, legitimandi & ſimilia; *c. ſuper quibuſdam. §. præterea. de verb. ſign.* cum enim hæc & ſimilia iura à Principe communicari poſſint ſubdito, v. g. Comiti aut Marchioni; ſi hic à tempore immemorabili hæc vſurpaverit, præſumetur à Principe accepiſſe. *Couar. reg. poſſeſſor. 2. p. §. 2. n. 8.*

Quartò: Epiſcopum ſine titulo 40. an- 22
nis, decimas alterius Diœceſis præſcribere non poſſe. *c. 1. de præſcr. in 6.* Quia præſumptio iuris eſt contra illum, quod mala fide vſurpaverit, cum decimæ iure communi ad Diœceſis Eccleſias pertineant; ſi tamen, vel oſtendatur titulus coloratus,

vel

Digitized by Google

vel detur poſſeſsio temporis immemorabilis, ſtatim tollitur præſumptio malæ fidei contra illum, ſicque præſcribi poſſunt. *Leſsius lib. 2. c. 6. d. 12.*

23 Quintò: per præſcriptionem acquiri etiam ius immunitatis ab aliqua obligatione ac ſervitute, ſiue affirmatiuâ, quâ quis actionem aliquam alterius permittere debet; vt tranſitum per prædium, ſiue negatiuâ, quâ aliqua actio ei ab altero prohibetur; vt ne domus altius attollatur, ne feneſtra aperiatur &c. Sic enim habetur. *L. finali C. de præſcr. long. temp.* Seruitus autem continua, vel quaſi continua, ut ferendi ſtillicidium, vel aquæductum; cum titulo & bona fide præſcribitur annis 10. inter præſentes, vel 20. inter abſentes; ſi enim qui verè non erat Dominus, ſed putabatur, ius alicui conceſsit, vt ſtillicidium in aream immitteret, vel iumentum per agrum duceret, & ille hoc ius per decennium poſſederit, lege præſcriptionis factus eſt Dominus talis iuris. Si verò non adſit titulus, & ſervitus non ſit continua, requiritur tempus immemorabile ad præſcribendum. *L. ſeruitutes ff. de ſeruitutibus*; Tum quia poſſeſsio huius iuris tranſeundi per agrum, à Domino aduerti non poteſt, vt poſsit eàm impedire, cum ſit valde interrupta. Tum quia aſſignari non poteſt tempus, quo hæc poſſeſſio interrupta incipiat. In actionibus autem affirmativis continuis poſſeſſio incipit ab eo die, quo quis tali iure bona fide vtitur; In negatiuis verò ab eo die, quo quis prohibet vel impedit alterum, qui contrarium molitur. *Mol. tr. 2. d. 70.*

24 Sextò: Ad præſcriptionem longi temporis, quæ fit annis 10. & 20. à iure tam canonico, quàm ciuili, requiri titulum; Sic enim habetur, *c. placuit §. poteſt. 16. quæſt. 3. L. celſus l. nullo C. de rei vindicat.* Ad præſcriptionem verò temporis longiſsimi, & immemorabilis, nullum requiri titulum, ſed ſufficere bonam fidem, quâ præſcribens credit ſe titulum habere, & cauſam ad poſsidendum, quamuis non habeat; Sic enim habetur, *eodem c. placuit. c. ſi delegati, & c. Sanctorum de præſcript. & L. omnes C. de præſcript. 30. annorum*; Quare, ſi quis rem aliquam immobilem emeret à Minore, putans interueniſſe decretum, ac licentiam Iudicis, cum verè interuenerit, poſitâ poſſeſsione annorum 10. vel 20. rem illam præſcriberet. Poſita verò poſſeſsione annorum 30. vel 40. etiam ſi nullius tituli recordaretur adhuc illam præſcriberet; quia poſſeſsionis diuturnitas tituli præſumptionem facit. Idemque prorſus dicendum eſt in præſcriptione iuriſdictionis, cum hæc inter res immobiles computetur, *Menoch. de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 130. num. 7.*

Septimò: Ad quamcumque præſcriptionem ſemper bonam fidem requiri in Præſcribente; Quia lex præſcriptionis, rapinæ, ac iniquitati non fauet; Vnde *c. vlt. de præſcript.* Pontifex ſtatuit, ne malæ fidei detentor præſcribat; Hæc autem bona fides in aliquibus obligationibus ſtare poteſt cum ſcientia ipſius obligationis; in aliquibus verò non poteſt; In obligationibus enim paſsiuis, quæ obligant ad aliquid ſuſtinendum, v.g. ad abſtinendum ab electione officii, vel beneficii; ad non aperiendam feneſtram, &c. bona fides, & præſcriptio conſiſtere poteſt cum ſcientia ipſius obligationis, quia hæc præſcriptio non ex actione aliquâ 25

Præſcribentis, ſed potius ex Actoris negligentiâ procedit; fit enim ex eo ſolùm, quod pars aduerſa certo quodam tempore iure ſuo non vtatur. At in obligationibus actiuis, quæ obligant ad aliquid agendum; v. g. debitorem ad debitum ſoluendum; ſcientia obligationis conſiſtere non poteſt cum bonâ fide, & conſequenter neque cum præſcriptione; quantumuis enim Creditor negligens ſit in debito exigendo, Debitor tamen illud ſciens præſcribere non poteſt, eo quod illud retinere non poſſit, vt rem propriam, quod tamen ad præſcriptionem requiritur, ſed vt alteri debitam. *Laym. lib. 3. ſect. 5. tract. 1. cap. 8. nu. 12.*

26 Octauò: Bonam fidem, quæ oritur ex ignorantia inuincibili iuris clari, non prodeſſe ad præſcribendum, quia in iure, à quo introducta eſt præſcriptio, ita ſtatutum ac diſpoſitum eſt. *L. iuris ff. de iuris & facti ignor. l. nunquam. ff. de vſucap. & L. bona fidei emptor de acquirendo rerum dominio;* Vnde qui aliquid dono accepit à Religioſo, ignorans, Religioſum donare non poſſe, rem donatam præſcribere non poteſt. Bona verò fides, quæ oritur ex ignorantia facti, prodeſt præſcriptioni; quia ita ſtatuitur *in l. nunquam ff. de vſucap.* Vnde, qui aliquid emit à Prælato, credens, Capitulum conſenſiſſe, rem ſic emptam præſcribere poteſt. Idemque dicendum eſt de eo, qui emit aliquid à Minore, exiſtimans eſſe Maiorem. *Nauar. lib. 1. conſ. 6. de off. Iud.*

27 Nonò: Hæredem Poſſeſſoris malæ fidei bona vel iura hæreditate acquiſita, quamuis bonâ fide retineat, nullo tempore præſcribere poſſe: quia cenſetur eadem perſona cum ipſo malæ fidei poſſeſſore; ſicut ergò hic ob malam fidem præſcribere non poterat; ita nec hæres. Atque ita ſtatuitur. *L. ſi mala fides. c. communia.* Succeſſorem verò Poſſeſſori malæ fidei poſſe validè præſcribere, modo ipſe bonam fidem habeat, & præſcriptionem inchoet à tempore, quo rem ab eo habuit; quia hic Poſſeſſoris malæ fidei perſonam nullatenus repræſentat, ſed ſolùm titulum in eâ fundat *inſtit. de vſucapionibus §. inter vendit.* Atque ita, qui Venditori bona fide ſuccedit in re emptâ, vel Donatori in re donata, aut Teſtatori in re legata, eam poteſt præſcribere; quæ omnia cum proportione applicari poſſunt iuriſdictioni. *Azor. p. 3. lib. 1. c. 18. qu. 7.*

28 Decimò: Præſcribi poſſe ſpeciem pecuniæ ſoluendæ; ſi enim Creditor longiſſimo tempore vnam pecuniæ ſpeciem loco alterius recipiat, Debitor in futurum de pecunia primæ ſpeciei ſoluere non cogitur; *c. cum olim: de cenſibus;* dummodo tamen bona fides interueniat, quâ Debitor credat, ſe aliam pecuniæ ſpeciem non debere. *Abb. in d. c. num. 6. Bald. conſ. 500. num. 2. lib. 1.*

QVAESTIO

QVAESTIO IV.

An Lex ad obligandum requirat promulgationem.

CASUS.

1 EPISCOPUS Athenienſis ad extirpanda furta, quæ in illa Diœceſi erant frequentiſſima, ea ſub excommunicatione prohibuit. Dum autem huiuſmodi cenſura in Curia publicaretur, quidam Fur ex populi ibi exiſtentis frequentia opportunitatem nactus, vix eà auditâ tres annulos furtiuè cuidam abſtulit. Quæritur; Vtrùm in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Qualibet legis promulgatio ſufficere videtur ad ſe obligandum.*
6 *Sicut ſufficit ad actum irritandum.*
7 *Non ſufficit tamen.*
8 *Quanam publicatio ſit ſufficiens.*
9 *Publicatio innoteſcere debet toti Communitati.*
10 *Lex ex natura rei non obligat prius præſentes quam abſentes.*
11 *Aliquando tamen illos prius obligat, quam iſtos.*
12 *Statutum, dum promulgatur in Curia, non eſt adhuc toti Diœceſi ſufficienter intimatum.*
13 *Promulgatio fit toto tempore, quod eſt neceſſarium, vt toti Communitati innoteſcat.*
14 *Et hac dicitur promulgatio moralis.*
15 *Actus irritatio non requirit in ſubdito notitiam.*
16 *Publicatio facta Communitati eſt conditio eſſentialis Legis.*
17 *Cur lex debeat eſſe intimata Communitati.*
18 *Qua leges obligare poſſint ſtatim, ac innoteſcunt.*
19 *Quomodo dicantur obligare ignorantes.*

RATIONES DVBITANDI.

QUamvis lex, quo ad valorem & efficaciam à ſola Legiſlatoris poteſtate ac voluntate pendeat; vt tamen actu obliget, aliquas etiam conditiones neceſſariò requirit. Inter has autem præcipua eſt legitima promulgatio, de qua propterea quæritur, an, & quomodo requiratur ad obligandum; Aliqui enim putant, quamcumque promulgationem ſufficere; ideoque Furem, annulos ſurripiendo, in ex- 2

excommunicationem incidiſſe. Ita *Reginaldus lib. 13. num. 155. Panormit. c. 1. de poteſt. Prælat. Rodrig. tom. 1. q. regul. quæſt. 11. art. 2.*

3 Primò: quia fecit contra Epiſcopi ſtatutum; hoc enim illum tunc poterat obligare, quia erat ſufficienter promulgatum; ſtatutum autem ad hoc, vt obliget, nihil aliud requirit, niſi, vt ſit ſufficienter promulgatum; poſita enim promulgatione, iam eſt regula ſufficiens operandi.

4 Secundò: quia ſi factâ ſolemni ſtatuti promulgatione in Curia Epiſcopali, ſtatim aliquis Subditus in finibus Diœceſis exiſtens, eius notitiam miraculosè habuiſſet, Deo miraculosè Præconis vocem ad eius aures deferente, ad illud ſeruandum fuiſſet obligatus, & ſi non ſeruaſſet, in excommunicationem incidiſſet; adfuiſſet enim quidquid ad obligationem inducendam erat neceſſarium; ſcilicet, ſufficiens legis publicatio ac notitia. Ergo etiam Fur ſtatutum immediatè poſt eius promulgationem violando excommunicationem incurrit; Illud enim violauit non minus quam violaſſet alius, eius publicationis notitiam miraculosè habens; nec Statutum minus tunc obligauit Furem præſentem, eiusque notitiam naturaliter habentem, quam obligaſſet alium diſtantem, eius notitiam habentem miraculosè.

5 Tertiò; quia lex conſtituitur in ſuo eſſe integro per publicationem, ſicut ignis conſtituitur in ratione cauſæ proximæ combuſtiuæ per ligni approximationem. Ergo poſitâ publicatione ſtatim incipit obligare; ſicut ignis poſitâ ligni approximatione ſtatim incipit illud calefacere ac comburere; Non minus enim obligatio eſt effectus neceſſariò conſequens ad legem, quam combuſtio ad ignem approximatum. Cum ergo eſſet iam promulgata cenſura, quando Fur furtum commiſit, iam obligabatur ad non furandum, ideoque ſtatutum violauit, & conſequenter excommunicationem contraxit.

Quartò: quia ſi Statutum fuiſſet irritatorium alicuius contractus, & Princeps à puncto publicationis tale genus contractuum irritare voluiſſet, omnes poſt illud punctum etiam in locis diſtantibus celebrati fuiſſent irriti, quamuis contrahentes illius Statuti notitiam habere non potuiſſent. Ergo ſignum eſt, legem aut ſtatutum ſufficienter conſtitui, & vim obligandi acquirere per ſolemnem publicationem; ideoque cenſuram ab Epiſcopo latam, habuiſſe vim Furem obligandi. 6

RESOLVTIO.

Reſponderet tamen, Furem Epiſcopi ſtatutum non violaſſe; ideoque nec in excommunicationem incidiſſe. *Suar. lib. 3. de lege hum. c. 16. num. 2. Salas de legib. d. 12. ſ. 1. num. 6. Bonac. de legib. d. 1. quæſt. 1. p. 4. num.* 10. *Nauar. c. 23. num.* 40 *Vaſq. 1. 2. d. 155. c. 2. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 3. quæſt. 1. Molina tract. 5. dub.* 70 *n. 1.* & alii omnes communiter. 7

Primò: Quia Epiſcopi ſtatutum non habebat adhuc vim obligandi; Non enim erat adhuc ſufficienter promulgatum; Nam breui illo tempore, quo fuit publicatum in Curiâ, eius notitia per totam 8

Diœ-

Diœceſim diffundi non potuit, nec ad eam naturaliter peruenire. Illa autem ſola eſt publicatio ſufficiens, quæ innoteſcere naturaliter poteſt Communitati, pro quâ ſtatutum eſt conditum, & quæ ab eo debet obligari; Hæc enim ſola dici poteſt publicatio ſiue promulgatio facta Communitati; quod tamen neceſſariò requiritur, vt lex, ſiue ſtatutum vim habeat obligandi; Sicut enim ſtatutum eſt primò, & per ſe latum pro communitate, ita ad hoc vt illam obliget, ei primò & per ſe debet eſſe manifeſtatum. Cum ergo eo tempore, quo publicabatur in Curia, toti ſimul Diœceſi manifeſtari non potuerit, ſequitur, quod tunc non fuerit ſufficienter promulgatum, & conſequenter quod pro eo tempore vim adhuc non habuerit obligandi, ideoque nec fuerit à Fure violatum.

9 Secundò: Quia lex neminem in particulari obligare poteſt, quin eius publicatio Communitati, quæ per illam obligari debet, innoteſcat; & conſequenter donec elabatur tempus, quo publicatio per totam illam Communitatem diffundi poſſit; Lex enim prius obligat Communitatem, quàm ſingulos illius Communitatis in particulari, cum ſinguli in tantum ſolum obligentur, in quantum ſunt partes ipſius Communitatis primò, & per ſe obligatæ; per hoc enim lex à præcepto diſtinguitur, quod præceptum reſpicit ſingulos, eò quod ad ipſorum bonum ordinetur, Lex verò Communitatem, eò quod ipſius bonum primò & per ſe reſpiciat. Sed ſtatutum eo tempore, quo fuit promulgatum in Curiâ, totam Diœceſim obligare non potuit, quia eo tempore eius promulgatio in maioris partis notitiam deuenire non potuit; ſicque non fuit toti Diœceſi ſufficienter intimatum. Ergo nec ſingulos in particulari potuit obligare, ideoque nec furem quamuis præſentem: Epiſcopus enim in cenſura nullam ſupponitur appoſuiſſe clauſulam, qua declarauerit ſe intendere illo ſtatuto obligare prius præſentes, quàm abſentes.

Neque dicas ex hoc ſequi, quod cum 10 Imperator fert legem pro toto Imperio, vel Rex pro toto Regno, eamque promulgat in Curiâ, neque declarat, ſe velle prius obligare præſentes, quàm abſentes; præſentes non obligarentur, donec totum Regnum, aut Imperium cenſeretur obligatum, & quod præſentes non obligarentur, quatenus præſentes ſunt, ſed ſolùm quatenus ſunt partes totius Regni ac Imperii, pro quo lex fertur.

Nam licet ex natura rei ita fieri deberet, de facto tamen ita regulariter non fit, 11 quia Princeps vt plurimum tenore legis, & ex modo eam promulgandi, vel certum terminum præſcribit ad eius obligationem, vel ſignificat, ſe velle ſubditos quam primum obligare. Tunc autem, cum prius obligare poſſit propinquiores, quam remotos, tacitè innuit, ſe ita velle; ideoque tunc prius propinquiores obligantur, quàm remotiores.

OBIECTIONUM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam negando, furem 12 tunc Epiſcopi ſtatutum violaſſe; violatio enim ſupponit, quod ſtatutum obligaret; ſtatutum autem tunc obligabat, quia tunc non adhuc moraliter erat ſufficienter

Digitized by Google

ter toti Diœceſi promulgatum, ac intimatum; quod tamen erat neceſſarium, vt vim haberet obligandi.

13 Ad ſecundam: Negatur ſimiliter antecedens. Neque enim ſtatutum tunc fuiſſet ſufficienter promulgatum; Nam legis promulgatio, quamvis brevi temporis morula, & coram paucis perſonis fieri videatur, re vera tamen non fit in ea breui morula, ſed toto eo tempore, quod neceſſarium eſt, vt ea promulgatio ad notitiam totius Communitatis obligandæ deueniat, neque ante hoc tempus cenſetur integrè promulgata.

14 Ad tertiam Reſpondetur, Legem conſtitui in ſuo eſſe integro per publicationem, non phyſicam, ſed moralem. Publicatio autem moralis, eſt publicatio facta tempore, ac modo neceſſario ad hoc, vt in totius Communitatis notitiam deuenire poſſit; ad hoc autem tanta temporis mora neceſſaria videtur, quanta requiritur, vt lex poſſit per præſentes in abſentium, & conſequenter in Communitatis notitiam deuenire.

15 Ad quartam Reſpondetur: Vim irritatiuam contractuum oriri in lege à Principe, non ex poteſtate legiſlatiua, ſed dominatiua, quæ ad ſui integritatem non requirit in ſubdito notitiam. Hinc ergo fit, vt lex ſtatim poſt publicationem irritare poſſit contractus, non verò Ciues obligare, donec illam ſcire poſſint.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò: Publicationem factam Communitati, eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam, vt lex habeat vim proximè obligandi, eo modo, quo cognitio eſt conditio eſſentialiter requiſita ad hoc, vt bonitas poſſit proximè mouere voluntatem ad ſui amorem: voluntas enim quam Princeps habet Communitatem obligandi, illam obligare non poteſt, niſi illi innoteſcat; nec innoteſcere poteſt, niſi illi per promulgationem ſufficienter manifeſtetur. Tunc autem Communitati ſufficienter manifeſtatur, quando ita promulgatur, vt à tota Communitate cognoſci naturaliter, & humano modo poſſit; ad quod quia requiritur tempus, ideo toto illo tempore dicitur fieri promulgatio, ſed nondum eſſe facta, nec conferre legi vim obligandi.

Secundò: Legem, ad hoc, vt habeat vim obligandi, debere eſſe intimatam 17
Communitati; quia eſt eius regula, & ad illam dirigendam primò, & per ſe ordinatur. Vnde notitia communis legis eſt conditio requiſita in lege ad obligandum, ſicut error communis iuriſdictionis eſt conditio requiſita ad eius defectum ſupplendum in Iudice putatiuo, ita ut ignorantia communis legis, eius obligationem impediat, ſicut ſcientia communis impedit in Iudice putatiuo applicationem iuriſdictionis, quæ alias illi fieret à iure, vel à Republica; & ignorantia legis in hoc vel illo particulari exiſtens, eius vim obligandi non impediat, ſicut ſcientia particularis defectus iuriſdictionis in Iudice putatiuo non impedit, quin illi à Republica applicetur propria iuriſdictio, eiuſque defectus ſuppleatur.

Tertiò: Conſtitutionem Principis ſupremi, qualis eſt Pontifex, aut Rex, 18
obligare poſſe ſubditos, in quorum notitiam deuenire poteſt, ſtatim ac publicatur

catur, ſi in conſtitutione hoc exprimatur, ſicut exprimi ſolet in conſtitutionibus Pontificiis, in quibus clauſulæ illæ apponi ſolent, *ſtatim omnes, ad quos pertinent, afficiant &c.* quia lex hoc efficere poteſt, & nihil eſt, quod impediat, quo minus illud de facto efficiat; idemque dicendum eſt de ſtatutis, ac legibus municipalibus, quod ſtatim obligent eos, in quorum notitiam deuenire poſſunt, nec ad obligandum, duorum menſium ſpatium requirunt, ſicut leges ciuiles; Sed maius vel minus, prout Communitates obligandæ, plus vel minus diſtant, & maius vel minus tempus requiritur, vt in earum notitiam naturaliter deueniant.

19 Quartò: Non eſſe durum, quod Pontifex velit unicâ promulgatione fideles per totum Orbem diſperſos obligare; non enim obligantur niſi intra tempus, in quo illius legis publicatæ notitiam habere poſſunt, ſiue deinde ſit vnus, ſiue duo, ſiue tres menſes. Quando autem lex ita eſt publicata, vt moraliter ad omnium notitiam peruenire poſſit, tunc dicitur ignorantes quantum eſt ex ſe obligare, per accidens verò non obligare, eo quod illius notitiam de facto inculpabiliter non habeant. Quod ſi lex ita ſit publicata, vt in omnium notitiam deuenire ſtatim non poſſit, tunc nec quantum eſt ex ſe, dicitur ignorantes obligare, quia non habet quidquid ex eius parte ad inducendam obligationem requiritur.

QVAESTIO V.

An Lex obliget omnes exiſtentes in Territorio Legislatoris.

CASVS.

1 EPISCOPVS Antiochenus à Gubernatore rogatus, ſub pœna excommunicationis prohibuerat, ne quis è Diœceſi triticum extraheret; quidam autem Mercator extraneus, cum centum Tritici modios emiſſet, illos extraxit è Diœceſi. Quæritur; Vtrùm in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

4 *Peregrinus ligari non videtur legibus loci, in quo eſt.*

5 *Sola exiſtentia ſubiectionem non tribuit.*

8 *Lex obligare non poteſt, niſi ſubditos.*
9 *Fieri poteſt quis ſubditus propria voluntate.*
10 *Lex alia localis, alia perſonalis.*
11 *Quæ leges obligent omnes.*
12 *Quæ leges ſolos incolas obligent.*
13 *Mercator extraneus, triticum contra Epiſcopi ſtatutum extrahendo excommunicationem incurrit.*
14 *Statutum primò & per ſe reſpicit territorium.*
15 *Sola præſentia ſufficit, vt quis loci legibus ligetur.*
16 *Vnusquiſque legibus loci conformare ſe debet.*
17 *Sicut & ſcandalum vitare.*
18 *Bonum publicum loci ſtatutorum obſeruantiam exigit.*
19 *Aduena ſeruare tenentur leges, quæ etiam in proprio territorio obligant.*
20 *Et leges mercibus pretia taxantes.*
21 *Vagi tenentur legibus loci, in quo reperiuntur.*
22 *Fideles ſeruant leges loci, per quem tranſeunt.*
23 *Aduena exiſtentia in aliquo loco, in quibus illum ſubjiciat legibus loci.*
24 *Religioſi non ſubjiciuntur omnibus propter priuilegium exemptionis.*
25 *Breuis mora ſufficit ad ſubiectionem contrahendam.*
26 *Legibus loci qui teneantur.*
27 *Scholares Sacramenta recipere tenentur in loco, ubi morantur.*
28 *Ieiunare tenetur, qui eſt in loco, ubi ieiunatur.*
29 *Accedens ad aliquem locum, illius loci priuilegiis gaudet.*
30 *An eandem vigiliam bis ieiunare quis teneatur.*

RATIONES DUBITANDI.

QVemadmodum lex ad ſui valorem & efficaciam eſſentialiter requirit in Legiſlatore, à quo procedit, iuriſdictionem; ita requirit in eis, ad quos dirigitur ſubiectionem: Lex enim non obligat, niſi ſubditos. Quæſtio igitur eſt; an ad hanc ſubiectionem contrahendam ſatis ſit exiſtentia in territorio Legiſlatoris, an verò aliquid aliud requiratur. 2

Quod enim ſola exiſtentia non ſufficiat, & conſequenter, quod Mercator extraneus triticum extrahendo nullam cenſuram incurrerit; aſſerere videntur *Siluester v. ieiunium, quaſt. 8. n. 1. Clauis Reg. lib. 3. c. 4. num. 15. Toletus lib. 6. c. 5. num. vlt. Azor. tom. 1. lib. 7. c. 30. quaſt. vlt. Bonacina d. 1. de legibus quaſt. 6. p. 6. num. 36. Reginald. lib. 13. num. 141.* 3

Probatur autem, quia Mercator ille erat Antiochiæ tanquam Aduena & Peregrinus, Peregrini autem non ligantur legibus loci, in quo ſunt per modum tranſitus, vel in quo breui tempore commoraturi ſunt; ad obligandum enim requiritur iuriſdictio in obligante & ſubiectio in eo, qui debet obligari. Sola autem exiſtentia actualis, & breuis mora in aliquo loco eiuſdem loci Legiſlatori iuriſdictionem non tribuit, nec Aduenæ ſubjectionem; ſed requiritur domicilium, vel quaſi domicilium, ſiue aſſidua ac diuturna habitatio. 4

Primò: Quia, ſi ſola actualis præſentia & exiſtentia ſufficeret, ſequeretur, quod Epiſcopus Antiochenus diſpenſare poſſet Mercatorem extraneum in votis 5

ac

Digitized by Google

ac iuramentis, eique ordines ac confirmationem conferre, quod tamen nemo concedit. Signum ergo eſt, ſolam præſentiam & exiſtentiam actualem in aliquo loco, non ſufficere ad tribuendam eius Legislatori iurisdictionem, & ei qui ibi exiſtit, ſubiectionem. Si autem ſola exiſtentia non ſufficit ad faciendum ſubditum in ordine ad ſoluendum, neque ſufficiet in ordine ad ligandum; eadem enim poteſtas ac iurisdictio requiritur ad ligandum, ac ad ſoluendum.

6 Secundò: Quia ſi ſola actualis exiſtentia in aliquo loco ſufficeret ad conſtituendum aliquem ſubditum Superiori illius loci, ſequeretur, Religioſos exiſtentes in aliquà Diœceſi ſubiectos eſſe legibus vel ſtatutis latis ab Epiſcopo eiusdem Diœceſis; Hoc autem eſt falſum; Religioſi enim ab eius iuriſdictione ſunt exempti non minus, quam illi, qui in aliena ſunt Diœceſi; non ergo ſufficit ſola actualis exiſtentia in aliquo loco, ad tribuendam alicui ſubjectionem reſpectu Superioris illius loci. Sine iurisdictione autem ac ſubiectione lex nullam vim habet obligandi.

7 Tertiò: Quia exiſtentia actualis per modum tranſitus in aliquo loco, ſiue breuis mora, non dicitur exiſtentia moralis in eo loco; *L. Quæſitum* 76. *§. finali ff. de legatis. &c. Nam & ego*; *de Verb. ſignif.* vbi quærens Diuus Hieronymus, cur Salomon ſe vnigenitum nominet, cum fratrem habuerit, reſpondet; quia cum ſtatim obierit, quaſi non natus reputatur; vbi Gloſſa ait: non videtur fuiſſe, quod non durauit. Cum ergo peregrini ſint in loco, ſolùm per modum tranſitus, dici non poſſunt ibi moraliter eſſe; ideoque nec eius legibus ligari poſſunt; ideo cum hæ eos ſolos ligent, qui ibi moraliter exiſtunt,

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò: Legem obligare non poſſe, niſi ſubditos; ſicut enim ad hoc, vt obliget, eſſentialiter requirit iurisdictionem, ac poteſtatem in Legislatore, qui per eam vult obligare; ita requirit eſſentialiter ſubiectionem in eo, qui debet obligari. Hæc autem ſubiectio pluribus titulis contrahitur. Primò, ratione habitationis ac domicilii: eo enim ipſo, quod quis in aliquo loco domicilium ponit, vel ad eum accedit animo ibi domicilium ponendi, ſtatim deſinit eſſe peregrinus ac extraneus, & incipit eſſe Incola, ſiue pars illius loci, aut Reipublicæ, in quà ponit domicilium. Atque ex hoc titulo contrahitur vera & abſoluta ſubiectio, non ſolùm in ordine ad leges locales, ſed etiam in ordine ad perſonales. Secundò, ratione rei ſitæ in loco Legislatoris; ſi quis enim agrum vel domum aut triticum habeat Neapoli; ratione illius eſt ſubiectus Proregi, non tamen abſolutè, ſed ſolùm in ordine ad illum agrum, vel domum. Tertiò, ratione contractuum; contractus enim celebrandi ſunt iuxta ſolemnitates ac conditiones receptas in eo loco, in quo celebrantur, vt patet ex *l. Si fundus. ff. De euict.* Vnde vendentes triticum in alieno territorio, ſeruare tenentur pretii taxam, quæ in eodem loco communiter ſeruatur, & ſoluere gabellas, quæ in eodem loco ſolui conſueuerunt. Excipitur tamen contractus dotis, hic enim celebrari debet iuxta ſtatutum

loci, in quo Vir habet domicilium; ex *l. Exigere. ff. De iudiciis*; & hic etiam titulus extraneum non efficit abſolutè ſubditum, ſed ſolum quoad contractum celebrandum. Quartò ratione delicti; non tamen commiſſi contra ſtatutum particulare illius loci; nam ad delinquendum contra tale ſtatutum prærequiritur ſubiectio in delinquente; ſine hac enim ſtatutum obligare non poteſt; ſed commiſſi, vel contra leges Vniuerſales, vel contra ius Diuinum, aut naturale; ratione enim iſtius delinquens fit ſubiectus Superiori illius loci, in ordine ad pœnam & ad omnia, quæ ſequuntur ex tali delicto.

9 Aduertendum eſt ſecundò: præter iam dictos titulos contrahi etiam ſubiectionem ratione propriæ voluntatis; vt ſi quis ſub hac ſolum conditione à Superiore loci admittatur, vt eius legibus ſe ſubjiciat, & ipſe in hoc conſentiat. Hanc autem implicitam conditionem ex parte Legislatoris includere videntur omnes leges municipales, eo ipſo, quod earum obſeruatio etiam reſpectu Exterorum confert ad bonum commune illius loci; quia tunc bonum publicum loci exigit, vt ab omnibus obſeruentur. Similiter hunc tacitum conſenſum inuoluere videntur ex parte exterorum; quia eo ipſo, quod ad talem locum diuertunt, iis legibus videntur ſe ſubjicere velle, quarum obſeruantia reſpectu ipſorum conducit ad bonum commune eiuſdem loci. Sicut enim æquum non eſt, vt quis in aliquo loco admittatur cum detrimento illius loci; ita rationi conſonum non eſt, vt quis cum eodem detrimento admitti velit.

Aduertendum eſt tertiò: Duplicem dari legem particularem, aliam localem, aliam perſonalem; localis eſt, quæ primario reſpicit locum, & ſecundariò exiſtentes in illo loco; Atque hæc, ita eſt affixa tali loco, & ad illum determinata, vt extra illum non ſe extendat, eo quod ibi etiam terminetur iurisdictio Legislatoris. Hæc autem ad obligandum duo eſſentialiter requirit, ſcilicet ſubiectionem in eo, qui debet obligari propter rationem ſuperiùs dictam, & præterea exiſtentiam illius in territorio Legislatori ſubiecto; obligat enim illos, ſolum vt exiſtentes in illo territorio, vel loco. Hinc fit, vt altero ſublato ceſſet ſtatim eius vis obligandi, quia ſtatim ceſſat iurisdictio, ad obligandum eſſentialiter requiſita. Lex perſonalis eſt, quæ reſpicit ſolùm perſonas; Atque hæc ad obligandum, requirit ſolam ſubiectionem in eo, qui debet obligari; non autem eius exiſtentiam in tali loco; cum enim immediatè reſpiciat perſonam, illi quodammodo eſt affixa, ideoque illam obligat, vbicumque ſit; Imò per hoc diſtinguitur à locali, quia ipſa obligat ſubditos etiam exiſtentes extra territorium Legislatoris, localis verò obligat ſolùm exiſtentes in territorio; ideoque per ſolam abſentiam etiam momentaneam à territorio eos deſinit obligare. 10

Aduertendum eſt quartò: Dari poſſe aliquas leges particulares ita ordinatas ad bonum illius Communitatis, in qua feruntur, vt earum inobſeruantia ac violatio redundet in damnum aut iniuriam eiuſdem Communitatis; vt eſſet lex prohibens, ne ex illo loco extrahantur merces vel triticum; vel ne Aduenæ ibi com- 11

commorentur vltra triduum; vel ut Mercatores ſoluant tributa, vel ut res tanto pretio vendantur, & non maiori: ex harum enim violatione magnum damnum ſequeretur Communitati. Similiter dari aliquas, quarum inobſeruantia, licet damnum non afferat Communitati, affert tamen ſcandalum; vt eſſet lex aut conſuetudo particularis ieiunandi vel celebrandi, diem feſtum illius Ciuitatis vel Communitatis Patroni. Ex huius enim ac ſimilium legum inobſeruantia oriretur ſcandalum. Ad has ergo leges tenentur omnes non ſolùm Incolæ, ſed etiam Exteri, quia omnes, ſicut iure naturæ & ex iuſtitia proximi damnum vitare tenentur, & ex charitate vitare ſcandalum; ita à fortiori eodem iure tenentur vitare damnum Communitatis, eiusque ſcandalum. Hæc tamen obligatio non oritur ex vi legis præciſè, ſed ex obligatione vitandi Communitatis danum aut ſcandalum, eiusque periculum, quod cum iſtarum legum inobſeruantia regulariter eſt connexum. Æquum enim non eſt, vt quis in aliquo loco admittatur, cum loci illius ſcandalo, aut detrimento.

12 Aduertendum eſt quintò, dari etiam poſſe aliquas leges particulares. Quæ vel ratione rei præceptæ, vel ratione modi præcipiendi ita diriguntur ad Incolas, vt nullo modo ſe extendant ad Exteros, & ex earum obſeruantia quoad Exteros, nullum ſequatur inconueniens, vt eſſet lex ſub pœna ſuſpenſionis præcipiens, ne Clerici in ſacris conſtituti veſtem breuem gerant, ſed longam usque ad Talos. Hac enim certum eſt Legiſlatorem nolle comprehendere, Exteros ac Peregrinos illac tranſeuntes, cum hujusmodi veſtis Iter agentium ac Peregrinorum ſint propria, nec in illis vllam præ ſe ferat indecentiam. Ad has ergo leges Exteri non tenentur, quia lex non obligat niſi iuxta voluntatem Legiſlatoris, voluntas autem Legiſlatoris eſt, per hujusmodi leges ſolos Incolas obligare. His poſitis,

RESOLVTIO.

AD Caſum reſpondetur: Mercatorem extraneum Triticum extrahendo, in excommunicationem incidiſſe. 13 Ita *Suarez tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 14. *num.* 9. *De cenſ. diſp.* 5. *ſect.* 5. *num.* 10. *de legib. lib.* 3. *c.* 33. *num.* 3. *Leſſius lib.* 4. *c.* 2. *du.* 7. *num.* 50. *Clauis Reg. lib.* 7. *c.* 3. *num.* 11. *Henriq. lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *num.* 8. *Philiarc. de off Sacerd. to.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *c.* 23. *Nauarr. c.* 13. *num.* 5. *& cap.* 13. *num.* 120. & alii communiter apud iſtos.

Primò; Quia lex, ſtatutum & Conſti- 14
tutio, ſicut & conſuetudo, cum primo & per ſe reſpiciant territorium, & locum; afficiunt ac ligant omnes in eodem territorio ac loco exiſtentes; ex hoc enim ſolùm capite interdictum locale afficit omnes in loco interdicto exiſtentes, quia primario afficit locum. Sed Mercator extraneus erat Antiochiæ. Ergo ligari potuit ſtatuto, & conſequenter triticum extrahendo ſtatutum violauit, eiusque pœnas incurrit.

Secundò: Quia, vt quis ligetur legi- 15
bus alicuius loci, ſatis eſt, quod exiſtat in eo loco, ſiue deinde ſit ibi, tanquam Ciuis, ſiue tanquam extraneus; Sicut

enim ſola abſentia à proprio territorio, ſufficit ad illum ab eius legibus eximendum, ita par eſt, vt ſola etiam præſentia in alieno territorio ſufficiat ad illum eius Territorii legibus ſubjiciendum. Et ſicut Legislator illum admittit in Territorio ſolum ſub hac tacita conditione, quod eius legibus ſubjiciatur; ita ille territorium ingrediendo, huic ſubiectioni tacitè conſentire videtur, vt patet ex dictis. Cum ergo Mercator, licet extraneus, eſſet Antiochiæ; illius Diœceſis legibus erat ſubiectus, ideoque triticum extrahendo, illas violauit, & earum pœnas incurrit.

16 Tertiò: Quia æquum eſt, vt vnusquiſque ſe conformet legibus ac conſuetudinibus loci, in quo eſt, vnde ortum habuit verſus ille; *Cum fueris Romæ, Romano viuito more, cum fueris alibi, viuito ſicut ibi*; *Et c. Illa. diſt.* 12. Sanctus Ambroſius ait: Sabbatum ieiunandum eſſe Romæ, non Mediolani, quia Romæ eſt conſuetudo talis ieiunii, non Mediolani; & loci conſuetudo omninò ſeruanda eſt. Neque hinc ſequitur, Peregrinum magis grauari; cum leges loci, in quo reperitur, ſuccedant loco legum Territorii, à quo diſceſſit. Cum ergo Mercator extraneus, quamuis per modum tranſitus, & tanquam Aduena ac Peregrinus eſſet Antiochiæ, debebat ipſe quoque eius legibus ſe conformare; ideoque triticum extrahendo illas violauit, & conſequenter excommunicationem contraxit.

17 Quartò: Quia in omnium ſententia, etiam Aduenæ & Peregrini leges loci, in quo ſunt, ſeruare tenentur ratione ſcandali, quando ſcilicet contra eas facere non poſſunt ſine ſcandalo; eo quod vnusquiſque ſcandalum vitare teneatur. Sed ſcandalum oritur ex obligatione conformandi ſe moribus loci; aliàs enim non eſſet ſcandalum illis non ſe conformare. Ergo etiam Aduenæ ac Peregrini obligationem habent conformandi ſe moribus, ac legibus loci, in ſuo ſunt, ſicque ſcandalum vitandi; Ergo Mercator, quamuis eſſet Antiochiæ Peregrinus, triticum tamen tenebatur non extrahere, ideoque extrahendo excommunicationem incurrit.

Quintò: Quia bonum publicum loci exigit, vt eius conſuetudines obſeruentur, non ſolum ab Incolis, ſed etiam ab Aduenis, dum in eo ſunt; Vnde in omnium ſententia etiam Peregrini eas leges ſeruare tenentur, quarum inobſeruantia, ac violatio in loci damnum aut iniuriam redundaret; vt, ſi à Principe propter bonum Prouinciæ feratur lex, prohibens, equos vel triticum aut aliud ſimile extrahi ex Prouincia; vel, ne Viatores in Ciuitate maneant vltra tres dies; vel, vt Mercatores ſoluant tributa, &c. Sed omnes fere leges municipales, ſiue ſtatuta localia ordinantur ad bonum commune loci, in quo feruntur. Ergo obſeruanda erunt non ſolum ab Incolis, ſed etiam à Peregrinis, dum in eo loco commorantur. 18

Sextò: Quia Peregrini in omnium ſententia, in loco, in quo ſunt, eas leges ſeruare tenentur, quæ etiam in proprio ipſorum territorio obligant. Ergo eas etiam ſeruare tenentur, quæ in proprio territorio non obligant; quod enim leges illæ obligent, vel non obligent in proprio territorio, omnino per accidens ſe habet in ordine ad obligandum in eo, 19

in quo ſunt; Nam non propterea procedunt à diuerſa iuriſdictione, ſed ab eadem, à qua procedunt leges in proprio territorio non obligantes. Sicut ergo illæ etiam Aduenas & Peregrinos obligant, ita non eſt, cur iſtæ non obligent; Non enim maiorem ſubiectionem arguunt illæ, quam iſtæ; nec à maiori iuriſdictione procedunt, ſed ab eadem.

20 Septimò: Quia Aduenæ tenentur ſtatutis loci, mercibus pretia taxantibus, ita vt illas minori pretio emere ſine culpa non poſſint. Ergo etiam obligari poterunt aliis ſtatutis; Si enim iuriſdictio extendere ſe poteſt ad externos in materia iuſtitiæ, nulla eſt ratio, cur ad illos ſe extendere etiam non poſſit in materia aliarum virtutum.

21 Octauò: Quia Vagi in omnium ſententia tenentur legibus loci, in quo reperiuntur. Ergo etiam Aduenæ; Ideo enim Vagi tenentur, ne ab omnibus legibus municipalibus eſſent liberi: ſed etiam Peregrini ab omnibus legibus municipalibus eſſent liberi; Non enim tenentur legibus proprii territorii, nec legibus loci, in quo ſunt. Ergo, ſi Vagi tenentur, perinde, ac ſi haberent ibi domicilium, quia hoc ad rectam eorum gubernationem eſt neceſſarium; propter eandem rationem obligandi erunt etiam Aduenæ ac Peregrini; hoc enim ad eorum etiam gubernationem neceſſarium videtur.

22 Nonò: Quia fideles omnes de facto ſeruant leges locorum, per quæ tranſeunt, exiſtimantes, ſe teneri; Hac autem conſuetudine ſuppoſita ex Fidelium omnium, præcipuè verò Principum ac Prælatorum conſenſu, quaſi excommuni iure gentium introductum eſt in Eccleſia, vt Principes particulares & Epiſcopi ſuis ſtatutis obligare poſſint non ſolùm Incolas, ſed etiam Aduenas in ſuis locis exiſtentes. Ergo ex communi iure gentium ſola Peregrinorum exiſtentia, quamvis breuis in aliquo loco, erit in eis titulus ſubiectionis, ſufficiens ad hoc, ut legibus loci obligentur, & Superioribus localibus dabit iuriſdictionem in illos.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam; ſolam exiſtentiam in aliquo loco non ſubjicere Advenam Legiſlatori illius loci in omnibus, ſed ſolùm in iis, quæ conferunt ad bonum vel illius loci, vel ipſius Aduenæ. Vnde ſubjicitur in ordine ad recipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; in ordine verò ad diſpenſationem in Votis, vel ad Ordinum collationem, & ſimilia non ſubjici; Tum quia hæc non reſpiciunt bonum loci. Tum quia hæc requirunt ſubiectionem perſonalem, non localem. Hæc autem contrahitur ſolùm ex domicilio. 23

Ad ſecundam: Religioſos, legibus vel ſtatutis illius Diœceſis, in qua ſunt, non ſubjici; quia per priuilegium ab Epiſcopi iuriſdictione ſunt exempti. Imo argumentum nimis probat; probat enim, quod ſicut in Religioſis domicilium non ſufficit ad illos Epiſcopi iuriſdictioni ſubjiciendos, ita neque ſufficiat in aliis; 24

quod

quod tamen eſt falſum. Sicut ergo ad ſæculares Epiſcopi legibus ſubjiciendos in omnium ſententia ſufficit domicilium; licet non ſufficiat in Regularibus; ita ad Exteros eiſdem legibus ſubjiciendos, ſatis erit eorum exiſtentia in Diœceſi, quamuis hæc non ſufficiat in Religioſis.

25 Ad tertiam: Subiectionem contrahi per moram, vel tranſitum voluntarium per aliquem locum; eo enim ipſo, quod quis per aliquem locum vult tranſire, vel in eo commorari, eius etiam loci legibus ſe tacitè vult ſubjicere. Breuis autem mora, licet in ordine ad aliquos effectus reputetur non mora, non tamen in ordine ad omnes, & conſequenter neque in ordine ad ſubiectionem contrahendam.

COROLLARIA.

26 Colligitur ex dictis primò: à fortiori obligari legibus loci eum, qui ad locum illum accedit animo domicilium ibi ponendi vel manendi maiori anni parte; quia hic per talem animum deſinit eſſe Extraneus, ſtatimque incipit eſſe loci illius Incola & pars. *Clauis Reg. lib. 3. cap. 4. num. 15.*

27 Secundò: Scholares teneri Sacramenta recipere in loco, in quo ſtudiorum cauſà maiore anni parte commorantur, quamuis ibi nondum maiore anni parte habitauerint, quia ſufficit, vt eo animo habitare cœperint. *Silueſter v domicilium.*

28 Tertiò: Ciuem Mediolanenſem, qui quatuor diebus primam Quadrageſimæ Dominicam immediatè præcedentibus, quibus Mediolani nondum eſt inchoatum ieiunium, nec à carnibus abſtinetur, aliò ſe transfert, vbi iuxta ius commune ieiunatur, teneri ieiunare, & à carnibus abſtinere. Tum quia præceptum illis diebus ieiunandi eſt generale, & latum à iure communi; ideoque obligat in omnibus locis iis, ſolùm exceptis, in quibus contraria conſuetudine non eſt abrogatum. Mediolani autem tantùm recepta videtur conſuetudo, illis quatuor diebus non ieiunandi. Tum quia Priuilegium, quod habent Mediolanenſes, illis quatuor diebus non ieiunandi, non eſt perſonale, ſed locale. Ergo Mediolanenſes ab obligatione ieiunandi eximit ſolùm, dum ſunt Mediolani.

Quartò: Eum, qui ex locis propinquis Mediolanum, primis quatuor Quadrageſimæ diebus ſe transfert, carnibus, ac lacticiniis veſci poſſe. Tum quia par 29
eſt, vt ſicut obligatur legibus loci, in quo eſt; ita eius priuilegiis localibus gaudeat. Tum quia hoc communi illi axiomati eſt conforme; *cum fueris Romæ, Romano viuito more, cum fueris alibi, viuito ſicut ibi.* Imo quamuis Mediolanum ſe transferret, vt carnes comederet, non peccaret; quia iure ſuo vteretur non minus quam petendo diſpenſationem. *Sanch. lib. 1. cap. 12. num. 3.*

Quintò: Eum, qui die 24. Auguſti Tuſculo Romam ſe transfert, poſtquam 30
die præcedenti Tuſculi in vigiliâ S. Bartholomæi ieiunauit, teneri iterum ieiunare, cum Romæ die illa ieiunetur. Tum quia conformare ſe debet legibus loci, in quo eſt. Tum quia tenetur vitare ſcandalum; carnes autem tunc comedere ſcandali occaſionem præberet. Tum denique, quia qui die 24. iret Tuſcu-

Tuſculum, ieiunare non teneretur, ſicque per accidens ab omni illius vigiliæ obligatione eſſet liber. Ergo etiam è contra, qui die 24. Auguſti Tuſculo Romam ſe transfert, bis ad eandem vigiliam teneri poteſt per accidens,

QVAESTIO VI.

An Lex obliget extra territorium exiſtentes.

CASUS.

1 CVm in quadam Diœceſi lata eſſet ſententia Excommunicationis contra accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum illis colloquentes. Titius ad Monaſterium quoddam exemptum acceſſit, ibique cum Monialibus locutus eſt. Quæritur; an & quot excommunicationes incurrerit.

SVMMARIVM.

3 *Ad Monaſterium Monialium exemptarum accedens, excommunicationem incurrit.*
4 *Etiam loquendo cum Monialibus videtur incurriſſe.*
5 *Quamuis Moniales eſſent exemptæ.*
6 *Imo etiam Monaſterium.*
7 *Verè tamen non incurrit.*
8 *Locus exemptus æquiparatur loco extra territorium.*
9 *Eſt ſubiectus alterius Ordinaris iuriſdictioni.*
11 *Locutio cum Monialibus ibi non eſt delictum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm lex obliget eos ad quos dirigitur; quæri ſolet; an, ſicut dirigi poteſt ad omnes in Territorio Legiſlatoris exiſtentes; ita dirigi poſſit etiam ad exiſtentes extra Territorium; Aliqui enim voluerunt poſſe, & conſequenter Titium cum Monialibus loquendo in excommunicationem incidiſſe.

Certum eſt autem, Titium ad Monaſterium Monialium, quamuis exemptum accedendo, excommunicationem contraxiſſe; commiſit enim delictum ſub cenſura prohibitum, & illud commiſit in loco ſubiecto iuriſdictioni Epiſcopi, qui tali delicto pœnam excommunicationis impoſuit; Nam, cum via, per quam itur ad Monaſterium, ſit Epiſcopi Territorium, conſequenter acceſſus ad Monaſterium, qui in illa fit, eſt delictum in Epiſcopi territorio commiſſum, ideoque eiuſdem pœnæ ac cenſuræ ſubiectum. 3

Digitized by Google

4 Difficultas eſt; An excommunicationem contraxerit, loquendo cum Monialibus in Monaſterio exempto. Ratio autem dubitandi eſt primò: quia, ſi illam non incurriſſet, delictum remanſiſſet impunitum. Secundò: quia illam incurrit ad Monaſterium accedendo. Ergo multo magis cum Monialibus loquendo: Minus enim delictum eſt, ad Monaſterium accedere, quàm cum Monialibus loqui. Si ergo propter illud excommunicationem incurrit, à fortiori illam incurrit propter hoc.

5 Neque obſtat primò: quod Moniales, cum quibus locutus eſt, eſſent exemptæ. Nam, quamuis ipſæ eſſent exemptæ, non erat tamen exemptus Titius, qui locutus eſt. Locutio autem, cui impoſita erat excommunicatio, fuit actio Titii, non Monialium; ipſæ enim fuerunt ſolùm terminus locutionis.

6 Neque obſtat ſecundò; quod Monaſterium, in quo Titius cum Monialibus locutus eſt, eſſet exemptum; Nam Eccleſiæ, & Monaſteria exempta non ſunt propriè exempta ratione loci, ſed ſolùm ratione perſonarum religioſarum, quæ ſunt exemptæ. Ergo, quamuis in Monaſterio exempto locutus ſit, verè excommunicationem contraxit; Verè enim delictum commiſit in territorio, ſiue in loco ſubiecto iuriſdictioni Epiſcopi, qui tulit cenſuram; Ita *Suar. dub. 5. ſect. 4. num. 6. Salas de legib. d. 14. ſ. 6. num. 85. & Fillius. tract. 11. cap. 5. num. 149.*

RESOLUTIO.

His tamen non obſtantibus: Ad caſum 7 reſpondetur: Titium loquendo cum Monialibus in Monaſterio exempto, excommunicationem non incurriſſe. Ita *Auila p. 2. c. 3. d. 2. du. 5. Silueſter v. excom. 2. num. 12. Vgolin. tab. 1. 69. §. 3. num. 3. Bonac. de cenſ. diſ. 1. quæſt. 1. p. 11. num. 9. Azor. p. 1. lib. 5. c. 25. quæſt. 4. Regin. lib. 9. num. 154. Coninch. d. 13. de cenſ. d. 7. num. 63.* & alii communiter.

Primò: Quia locus exemptus æquiparatur loco extra territorium quoad iuriſdictionem; 8 non minus enim locus exemptus eſt extra iuriſdictionem Epiſcopi, qui tulit cenſuram, quam alienum territorium. Sicut ergo, ſi Titius locutus fuiſſet cum Monialibus in alieno territorio exiſtentibus, excommunicationem non incurriſſet; quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, vt habetur *c. 2. de conſtitut. in 6.* ita illam non incurrit loquendo cum illis in loco exempto; locus enim exemptus, quamuis materialiter ſit intra Epiſcopi territorium, formaliter tamen eſt extra illud, cum ad eius iuriſdictionem non magis pertineat, quam alienum territorium.

Secundò: Quia non minus Monaſte- 9 rium exemptum eſt extra Epiſcopi iuriſdictionem ratione loci, quam Parochia exempta; Parochia autem exempta eſt extra Epiſcopi iuriſdictionem ratione loci. Sicut ergo, ſi Epiſcopus ſub excommunicatione furtum Rei ſacræ prohiberet, & aliquis eius ſubditus in illa Parochia exemptà, calicem ſurriperet, non propterea excommunicationem incurreret;

ret; ita illam non incurreret Calicem ſurripiendo in Monaſterio exempto. Ergo eodem modo illam non incurrit cum Monialibus loque[n]do.

10 Tertiò; Quia, ideo Parochia eſt exempta ratione loci, quia alterius Ordinarii iuriſdictioni eſt ſubiecta, ſed etiam Monaſterium alterius Ordinarii iuriſdictioni eſt ſubiectum; eſt enim ſubiectum Prælato ac Superiori, qui in ſuâ iuriſdictione ab Epiſcopo nullo modo dependet. Ergo etiam Monaſterium eſt exemptum ratione loci. Hæc ergo ſolùm differentia eſt inter Parochiam & Monaſterium exemptum, quod Parochia eſt principaliter & per ſe exempta, perſonæ verò in illa commorantes ſolùm minùs principaliter & ratione loci; Monaſterium verò eſt primò & principaliter exemptum ratione Perſonarum per ſe in illo degentium; minus verò principaliter ratione loci. Quoad priuilegium tamen exemptionis, eodem modo illo gaudet, ac Parochia, quia eodem modo alterius iuriſdictioni eſt ſubiectum, ac Parochia exempta.

11 Neque ex tali emptione ſequitur, quod delictum maneat impunitum; nam ſi in illo Monaſterio talis locutio non eſt ſub excommunicatione prohibita, ibi non eſt delictum; Si verò eſt prohibita, tunc & conueniri poterit coram Superiore Monaſterii; & illam incurret ex alio capite; quia ſcilicet, quando eædem leges & conſuetudines obligant non ſolùm in proprio territorio, ſed etiam in eo, vbi quis reperitur; qui ibi reperitur, quamuis ſit Aduena, illas obſeruare tenetur; Tum quia æquitas hoc poſtulare videtur, cum Titius non maiori tunc onere prematur propter exiſtentiam in loco exempto, quàm propter exiſtentiam in Epiſcopi territorio. Tum quia hic eſt vſus & praxis communiter quaſi iure quodam gentium introducta, & unanimi Fidelium Superiorum conſenſu recepta & approbata.

QVAESTIO VII.

An aliqua Lex obliget extra territorium exiſtentes.

CASUS.

12 EPISCOPUS Athenienſis ſub pœna ſuſpenſionis ſuæ Diœceſis Sacerdotibus prohibuerat, ne extra Diœceſim celebrarent, aut in Miſsâ ſolemni miniſtrarent. Duo autem Sacerdotes eius ſubditi extra Diœceſim tunc exiſtentes, quamuis ſcirent hoc præceptum, ne tamen eleemoſynam, quæ in cuiuſdam defuncti exequiis diſtribuebatur, amitterent, celebrarunt. Quæritur: Vtrum in ſuſpenſionem inciderint.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes contra Epiſcopi prohibitionem extra Diœceſin celebrantes non videntur vllam pœnam incurriſſe.*

3 *Extra territorium ius dicenti non paretur impune.*

4 *Epiſcopi iurisdictio terminatur loco, ſicut perſonis.*

5 *Subditi extra Diœceſim ſunt habitualiter ſubditi.*

6 *Ab Epiſcopo puniri non poſſunt.*

8 *Quot titulis Epiſcopus iurisdictionem habeat in ſubditos.*

9 *Quot actionum genera præcipere poſſit vel prohibere.*

10 *Quas præcipiat per ſtatutum, quas per ſententiam.*

11 *Quando præcipere poſſit in alieno territorio exercendas.*

13 *Sacerdotes contra Epiſcopi prohibitionem extra Diœceſim celebrantes ſuſpenſionem incurrerunt.*

14 *Epiſcopus illos per præceptum perſonale obligare potuit.*

15 *Propter bonum ſuæ Diœceſis.*

16 *Sicut illos à cenſuris abſoluere poterat.*

17 *Et, ſicut Superior Regularis obligare poteſt ſubditum extra monaſterium exiſtentem.*

18 *Ius dixit in perſonam ſubiectam.*

19 *Nec transgreſſus eſt limites ſuæ iurisdictionis.*

20 *Perſonas etiam extra territorium eſt illi ſubiecta.*

21 *Quâ pœnâ illam punire poſſit.*

22 *Quas actiones illi præcipere poſſit.*

23 *Quæ decreta reputentur ſtatuta, quæ ſententia.*

24 *Decretum reſtitutionem præcipiens eſt perſonale.*

RATIONES DUBITANDI.

2 QVamuis ex dictis *quæſt. præced.* conſtet, legem regulariter dirigi non poſſe; niſi ad ſubditos in proprio Territorio exiſtentes; adhuc ſupereſt difficultas; an hoc verificetur vniuerſaliter de omni lege; an verò [illegible]tur aliquæ ſaltem leges, quæ ad ſubditos etiam exiſtentes extra proprium territorium ſe extendant, eoſque obligent. Nam *Syluester* Verbo, *Excommunicatio, qu 2. num. 12. Auila quæſt. 2. c. 3. diſp. 2. dub. 5. Conincb. diſt. 13. diſp. 7. num. 61.* & alii contendunt, nullam legem ad exiſtentes extra territorium dirigi poſſe, eosque obligare; & ideo duos Sacerdotes extra Epiſcopi Athenienſis Diœceſim celebrando, nullam cenſuram incurriſſe.

Primò: Quia, ex *c. Vt animarum, de conſtitutionibus in 6.* extra territorium ius dicenti non paretur impune; Epiſcopus autem Athenienſis per illud decretum videtur extra territorium ius dixiſſe; prohibuit enim actionem, quæ in alieno territorio fieri debebat. Sicut ergo *Bonifac. VIII. in d. cap. Vt animarum:* decernit, ſtatuta Epiſcopi excommunicantis eum; qui furtum faceret, non comprehendere eum, qui furtum fecit extra Diœceſim; Ita ſtatutum Epiſcopi Athenienſis extendere ſe non potuit ad actiones extra Diœceſim faciendas; ideoque nec eos excommunicatione ligare, qui eas fecerunt. 3

Secundò: Quia Epiſcopus, ſicut habet limites circa perſonas, ita illos habet circa locum Ergo, ſicut in ordine ad perſonas transgredi non poteſt limites ſibi à iure præfixos, ita nec illos transgredi poteſt in ordine ad locum; illos autem transgrederetur, ſi in alieno territorio delinquentem punire poſſet. 4

Tertiò:

5 Tertiò: Quia Epiſcopus actualem iuriſdictionem non habet in ſuos Subditos, quandiu hi extra illius Diœceſim exiſtunt; quandiu enim Subditi ſunt extra Diœceſim, licet ſint ſubditi, quaſi habitualiter ratione domicilii, quod habent in Diœceſi, non ſunt tamen ſubditi actualiter; ſic enim conſtituuntur per actualem exiſtentiam in Diœceſi. Lex autem ligare non poteſt, niſi eos, qui actualiter ſunt ſubditi; ſicut enim lex ad ligandum requirit actualem iuriſdictionem ac poteſtatem in Legiſlatore, ita requirit actualem ſubiectionem in Subdito; Vnde ſtatutum exiſtentes extra territorium non obligat, quia extra territorium exiſtentes non ſunt actu, ſed ſolum habitu Subditi ſtatuentis. Cum ergo Sacerdotes ſupponantur extra Diœceſim Epiſcopi Athenienſis extitiſſe, ab eo excommunicationis aut ſuſpenſionis pœna ligari non potuerunt propter actionem extra territorium factam.

6 Quartò: Quia Epiſcopus punire non poteſt ſubditum exiſtentem in aliena Diœceſi, aliquâ pœnâ corporali; vt pecuniariâ, vel carceris; neque enim præcipere poteſt, vt reus extra territorium capiatur. Ergo nec pœna ſuſpenſionis.

7 Quintò; Denique, quia aſſignari non poteſt, quaſnam actiones Epiſcopus Subditis extra Diœceſim exiſtentibus præcipere poſſit, vel prohibere. Ergo nullas præcipere aut prohibere poteſt, præſertim verò ſub pœnâ cenſuræ.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò: Epiſcopum ex duplici capite in ſubditos iuriſdictionem habere. Primò, in ordine ad bonum Communitatis, cuius ipſi ſunt pars; cum enim ſint pars Communitatis, eius bonum procurare, & malum vitare tenentur, eo quod bonum totius redundet etiam in bonum ipſius partis. Secundò, in ordine ad bonum proprium & particulare ipſorum Subditorum, quatenus hoc vel illud ad bonum ipſorum regimen, & ad eorum felicitatem, ſiue æternam, ſiue temporalem acquirendam eſt vtile. Hinc autem fit primò, vt ipſi etiam Subditi ex duplici capite vel titulo ſint Subditi, primò, quatenus ſunt pars talis Communitatis. Secundò, quatenus tales Perſonæ ſunt. Secundò fit, vt Superior illis præcipere vel prohibere poſſit, non ſolum quæcumque conducunt, vel nocent bono Communitatis, ſed etiam quæcumque ipſis vtilia ſunt, vel nociua ad felicitatem conſequendam.

9 Aduertendum eſt ſecundò; tria dari genera actionum; quantum facit ad rem præſentem; Aliquæ enim ſunt, quæ fieri neceſſariò debent in territorio Superioris illas præcipientis, eo quod addictæ ſint loco, & alibi fieri nequeant; vt, cum Epiſcopus præcipit reſidentiam in Parochiâ; aſſiſtentiam in choro, & debiti ſolutionem; vel, cum prohibet, ne quis tranſeat per talem viam; aut ne talem domum ingrediatur, &c. Aliquæ verò ſunt, quæ fieri neceſſariò debent extra territorium Superioris præcipientis; vt, cum Epiſcopus præcipit, ne quis in aliena Diœceſi celebret; ne alteri Epiſcopo inſeruiat; ne extra propriam Diœceſim funera comitetur; aut proceſſionibus interſit &c. Aliæ

Digitized by Google

denique ſunt, quæ vtrobique fieri poſſunt, quia abſtrahunt à loco; vt, ſi Epiſcopus præcipiat ieiunium, aut recitationem Officii Beatæ Virginis ſemel in hebdomada, vel menſtruam confeſſionem; vel prohibeat, ne Clerici geſtent veſtem breuem, aut comam, &c.

10 Aduertendum eſt tertiò: Primum genus actionum præcipi, vel prohiberi ſemper per ſtatutum; cum enim ſtatutum primariò reſpiciat territorium, & locum & ſubditos ſolum, vt exiſtentes in territorio; conſequenter eas ſolas actiones præcipit vel prohibet, quæ exercendæ ſunt in ipſo territorio, eiuſque gubernationi ſunt vtiles vel nociuæ. Secundum genus actionum præcipitur vel prohibetur ſemper per ſententiam; Cum enim hæc primariò reſpiciat perſonas, eaſque ligare poſſit vbique: conſequenter hæc ſola præcipere vel prohibere poteſt actiones extra territorium exercendas; tertium denique genus actionum, quamuis præcipi vel prohiberi poſſit, tam per ſtatutum, quàm per ſententiam; regulariter tamen cenſetur præcipi, vel prohiberi per ſtatutum, niſi Superior aliter intendat & exprimat; Cum enim odia, quantum fieri poteſt, ſint reſtringenda, etiam præceptum circa has actiones reſtringendum videtur ad ſolum territorium, & non vlterius.

11 Aduertendum eſt quartò: Epiſcopum præcipere vel prohibere poſſe actiones exercendas in alieno territorio per ſententiam perſonalem; primò, quando ex eatum exercitio, vel omiſsione ſequi poteſt notabilis vtilitas, vel damnum propriæ Communitatis; tunc enim Subditi, vbicumque ſint, parere tenentur; quia cum ſint pars ipſius Communitatis, eius bonum procurare ac damnum, quantum poſſunt, vitare tenentur; Vnde ſi tunc delinquant, quamuis extra territorium delinquant, non cenſentur tamen ſimpliciter, ſiue moraliter extra territorium delinquere, cum in illud, eiuſque damnum ac iniuriam delinquant.

Secundò: Epiſcopus per ſententiam 12
perſonalem præcipere etiam poteſt Subditis, vbicumque exiſtentibus actiones extra proprium territorium exercendas, quando habet iuſtas cauſas ad eorum, vel aliorum bonum pertinentes; tunc enim ſubditus, vbicumque ſit, parere tenetur, quia tenetur conſulere bono ſuo, vel aliorum. In his autem caſibus præceptum ſemper eſt perſonale, ſiue ſit generale, ſiue particulare, quia reſpicit & afficit perſonam ſecundum ſe, & præſcindendo à loco; Vnde, qui ſic præcipit, non dicitur propriè extra territorium ius dicere; ſicut, qui Subditum abſoluit in aliena Diœceſi exiſtentem, non dicitur propriè extra territorium ius dicere, ſed ſolùm ius dicere in Perſonam ſibi ſubditam, abſtrahendo à territorio. His poſitis,

RESOLUTIO.

AD Caſum Reſpondetur; Duos Sacer- 13
dotes, qui contra præceptum generale Epiſcopi Athenienſis extra Diœceſim celebrarunt, per ſe loquendo, hoc eſt, præciſà neceſsitate, aut aliâ rationabili cauſa excuſante, in ſuſpenſionem incidiſſe. *Suarez diſp. 3. ſect. 5. num. 5. & diſp. 5. ſect. 4. num. 12. Salas de legib. diſp. 14. ſect. 5. num. 73. Filliuc. tract. 11. cap. 5. quæſt. 10. num. 152. Sayrus lib. 1.*

Digitized by Google

lib. 1. *c.* 7. *num.* 18. *Vgolin. tab.* 1. *cap.* 9. §. 3. *num.* 4. & alii communiter.

14 Primò: Quia Epiſcopus illos ad hoc per præceptum perſonale obligare potuit, etiam ſub pœna ſuſpenſionis; quamuis enim extra Diœceſim exiſterent, erant tamen adhuc eius ſubditi actu in ordine ad præcepta perſonalia. Cum ergo eius præcepto non obediuerint, pœnam ſuſpenſionis incurrerunt.

15 Secundò: Quia, quamuis celebratio eſſet actio exercenda in aliena Diœceſi, adhuc tamen Epiſcopus illam prohibere poterat propter bonum ſuæ Diœceſis; ne ſcilicet in Diœceſi Sacerdotes ac ſacrificia notabiliter diminuerentur, cum notabili Diœceſanorum damno. Ergo Sacerdotes, vt pars illius Diœceſis, obedire tenebantur; ideoque non obediendo ſuſpenſionem incurrerunt.

16 Tertiò: Quia Epiſcopus Sacerdotes illos vbique exiſtentes abſoluere poterat ab excommunicatione, & in votis, ac iuramentis diſpenſare. Ergo etiam potuit illos vinculo ſuſpenſionis ligare; eadem enim eſt poteſtas ad ligandum, ac ad ſoluendum; & ſicut abſolutio non requirit ſtrepitum iudicii, ita illum non requirit executio cenſuræ, cum hæc ipſo facto, & ſine alia Iudicis ſententia incurratur.

17 Quartò: Quia Superior Regularis præcipere poteſt Subdito etiam ſub pœna excommunicationis, ne talem domum ingrediatur, propter fœminam ſuſpectam ibi habitantem, ne tranſeat per talem viam, & alias ſimiles actiones, quæ exerceri non poſſunt, niſi extra proprium Monaſterium propter bonum, vel Religionis, vel ipſius Subditi. Ergo etiam poterit Epiſcopus propter bonum Diœceſis, vel ipſius Subditi, aliquas illi actiones præcipere, licet exerceri non poſſint, niſi extra propriam Diœceſim; non minorem enim ſubiectionem habet Clericus reſpectu ſui Epiſcopi in iis, in quibus eſt illi ſubditus, quam Subditus regularis reſpectu ſui Superioris.

OBIECTIONUM SOLVTIO.

AD rationes autem in contrarium, facilis eſt reſponſio. Nam ad primam 18 Reſpondetur: Epiſcopum Athenienſem ius proprie non dixiſſe in alieno territorio, ſed in perſonam ſibi ſubiectam etiam extra territorium, & vbique in ordine ad præcepta perſonalia; vnde *c. Vt animarum.*; de hoc caſu non loquitur.

Ad ſecundam reſpondetur; Epiſcopum 19 non tranſgreſſum eſſe limites ſui territorii, ſed impoſuiſſe ſolùm præceptum perſonale; quod cum reſpiciat perſonas ſecundùm ſe, illas afficit vbique, præſertim verò, cum hoc eſſet vtile in ordine ad bonum ſuæ Diœceſis, & redundaret etiam in bonum ipſorum Subditorum.

Ad tertiam reſpondetur: Exiſtentes 20 in alieno territorio, non eſſe actualiter ſubditos in ordine ad ſtatuta, quæ primariò reſpiciunt territorium; eſſe tamen actualiter ſubditos in ordine ad ſententias perſonales; hæ enim illos immediatè reſpiciunt, ideoque comitantur & obligant vbique; ſicut diſpenſationes illos vbique diſpenſant.

Ad quartam Reſpondetur: Non poſſe 21 Epiſcopum punire exiſtentem in alieno territorio pœna corporali; quia hæc non incurritur ipſo facto, ſed per iudicis condemna-

demnationem; ideoque requiritur aliquis actus iudicialis, qui in aliena Diœceſi exerceri non poteſt. At Excommunicatio & ſuſpenſio, cum incurrantur, ipſo facto nullum requirunt actum iudicialem, ideoque incurri poſſunt etiam in alieno territorio.

22 Ad quintam negatur Antecedens. Ex dictis enim conſtat, Epiſcopum Subditis extra Diœceſim exiſtentibus præcipere vel prohibere poſſe; primò, Actiones omnes, quæ vel phyſicè vel moraliter exerceri debent in territorio, & has per ſtatutum. Secundò: per ſententiam vel præceptum perſonale actiones omnes, quæ loco non ſunt addictæ, & eſſe poſſunt vtiles ad bonam gubernationem, vel Diœceſis, vel ipſius. Tertiò denique, quando adſunt iidem fines, etiam actiones, quæ ſaltem phyſicè exerceri non poſſunt niſi extra Diœceſim, vt dictum eſt.

COROLLARIA.

23 Colligitur ex dictis primò; Decretum, quo Epiſcopus Clericis ſuæ Diœceſis ſub pœna excommunicationis prohibet, ne ſclopum aut alia arma geſtent; & ne veſte breui vtantur, regulariter illos extra Diœceſim non obligare, quia cenſetur ferri per modum ſtatuti, cum feratur per modum alicuius conſtitutionis perpetuò duraturæ, eo quod Epiſcopus cenſeatur voluiſſe, ſe in tali edicto iuri communi canonum conformare, & accommodare; & canones perpetuò durent, & vim habeant legis; ac ſtatuti vniuerſalis.

Secundò: Decretum, quo Epiſcopus pœnam excommunicationis imponit iis, qui furtum commiſerunt, niſi intra certum tempus reſtituerint, ex hoc etiam capite ligare exiſtentes in alieno territorio, quia decretum ſiue præceptum eſt perſonale; idemque dicendum eſt de præcepto ſub pœna cenſuræ obligante, ad debita in territorio contracta ſoluenda; hoc enim etiam ligat debitores omnes exiſtentes non ſolùm in territorio, ſed etiam extra illud, quia eſt præceptum perſonale. *Suar. ſec. 5. num. 5.* 24

QVAESTIO VIII.

An Lex Ciuilis obliget Perſonas Eccleſiaſticas.

CASVS.

1 CVm in cuiuſdam Principis territorio circa tempus meſſis propter nimiam ſiccitatem magna tritici penuria timeretur; & ob id triticum longè cariùs venderetur, quàm pauperum conditio ferre poſſet; Princeps ſolemni edicto præcepit, ne tritici modios vltra decem aureos venderetur, ſub pœna amiſſionis ipſius tritici, aliiſque pœnis Iudicis arbitrio infligendis. Quidam autem Clericus pretii taxâ non ſeruatâ triginta tritici

triſtici modios vendidit, aureis quindecim ſingulos. Legis transgreſſione compertà, Principis Miniſtri Clerico triticum confiſcarunt. Quæritur; Vtrum Clericus mortaliter peccauerit; & an Princeps ſæcularis triticum confiſcatum reſtituere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Clericus, contra legem ciuilem merces contrahendo, videtur non peccaſſe.*
3 *Lex extractionem prohibens, eſt pœnalis.*
4 *Perſonas Eccleſiaſticas obligare non poteſt.*
5 *Princeps Laicus, nullam habet poteſtatem in Clericos.*
6 *Si Lex lata eſt verbis præceptiuis, Clericus mortaliter peccauit.*
7 *Clerici, ab omnibus legibus ciuilibus exempti non ſunt.*
8 *Legibus eorum ſtatui non repugnantibus ligantur, ſicut Laici.*
9 *Abſurda quæ alias ſequerentur.*
12 *Si lex lata eſt verbis indifferentibus, Clericus non peccauit.*
13 *Clericus abſolutè peccauit mortaliter.*
14 *Peccauit contra iuſtitiam.*
15 *Lex ciuilis declarat naturalem, ac diuinam.*
16 *Quomodo Perſona Eccleſiaſtica à Laica iurisdictione ſint immunes.*
17 *Quomodo triticum confiſcari Clerico potuerit.*
18 *Clerici quibus legibus ciuilibus directè ligentur.*
19 *Et quibus Religioſi.*
20 *Hi Legibus Epiſcopalibus non ligantur.*

RATIONES DVBITANDI.

1 Sicut Lex habet limitationem reſpectu loci, ita illam habet reſpectu perſonarum, ad quas dirigitur; ſicut enim regulariter reſpicit ſolum locum ſubiectum, ita ſolùm ad perſonas ſubditas ſe extendit. Dubium tamen eſt; an Lex Ciuilis ad Perſonas etiam Eccleſiaſticas dirigi poſſit, easque obligare. Videtur enim nunquam dirigi poſſe, & conſequenter Clericum triticum extrahendo, mortaliter non peccaſſe. *Nau. conſ. 3. de conſt. concl. 3. cui conſentire videtur Bonac. d. 1. quæſt. 1. p. 6. num. 33. Salas de legib. d. 14. ſect. 10. num. 102. Suar. lib. 3. c. 34.*

Primò; Quia Lex iſta mercibus pretium, ſub mercium amiſſione præſcribens, 3
eſt Lex pœnalis; Lex autem pœnalis, verbis non præceptiuis, ſed indifferentibus lata, non obligat in conſcientià ad actum cui pœna imponitur, ſed ſolùm ad ipſam pœnam; vt infra patebit *Quæſt. 14.*

Secundò; Quia, etiam ſi Lex iſta, 4
verbis præceptiuis, lata eſſet, & in conſcientià obligaret, non tamen obligaret Perſonas Eccleſiaſticas; procedit enim à poteſtate ciuili, quæ nullam habet poteſtatem perſonis Eccleſiaſticis imperandi; vt expreſsè dicitur: *in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit. c. Sæculares, de foro compet. in 6.* & alibi; ſine poteſtate autem imperandi, obligatio obediendi eſſe non poteſt. Ergo Clericus, cum ſit perſona Eccleſiaſtica, nullam habebat obligationem legi illi ciuili obediendi, ideoque illam transgrediendo, mortaliter non peccauit.

Tertiò;

5 Tertiò; Quia Principes Laici nullam habent poteſtatem Clericos puniendi, ſi eorum Leges transgrediantur. Ergo ſignum eſt, non habere poteſtatem directiuam illos ſuis legibus obligandi; poteſtas enim directiua, ſemper cum coercitiua eſt coniuncta. Ergo, ſi Clerici non ſubiacent eorum poteſtati coercitiuæ, nec ſubiacent directiuæ; ideoque Clericus, Principis legem non ſeruando, mortaliter non peccauit.

RESOLVTIO I.

6 Reſpondetur primò; ſi Lex præſcribens mercibus pretium, pœna transgreſſoribus appoſitâ, fuit à Principe lata verbis præceptiuis, Clericum mortaliter contra illam peccaſſe. *Suar. lib. 3. de legib. cap. 34. num. 6. Vaſq. 1. 2. diſ. 167. cap. 4. Salas diſp. 14. ſect. 8. num. 94. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 12. Molina tr. 2. d. 31. conc. 6. Valent. tom. 4. d. 9. quæſt. 5. p. 4. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 13. Clauis reg. lib. 3. c. 4. num. 16. Nau. cap. 23. num. 88.* & alii ferè omnes communiter.

7 Primò; Quia Clerici, quo ad vim directiuam, non ſunt exempti à legibus ciuilibus, quæ Clericorum ſtatui non repugnant, & tam Clericis, quàm Laicis ſunt communes, ac ad commune Reipublicæ bonum ordinantur; Clerici enim nullo iure, neque diuino, neque humano, à politica Reipublicæ gubernatione ſunt exempti. Nam ex iure diuino potius conſtat, ipſos non eſſe exemptos; dicitur enim *Rom. 13.* vniuerſaliter: ***omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt***; quæ verba *S. Chryſoſt. hom. 23.* etiam ad Clericos extendit; ***etiam ſi Apoſtolus ſis***, ait, ***Euangeliſta, Propheta; neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.*** Neque Chriſtus ſuas leges induxit, vt politicas euertat, ſed vt melius inſtituat; Ex iure verò Canonico, conſtat ſimiliter, harum legum obſeruantiam præcipi, non improbari. Cum ergo Clerici ab huiuſmodi legibus non ſint exempti, conſequenter eas ſeruare tenentur; ideoque Clericus, eam transgrediendo mortaliter peccauit, quia materia erat grauis.

Secundò; Quia Clerici, legibus communibus, eorumque ſtatui non repugnantibus non minus directè, ac per ſe obligantur, quam Laici; cum enim non minus Ciues ſint, ac partes Reipublicæ Ciuilis, quam Laici Gubernatori politico debent eſſe ſubiecti, qui propterea eas illis leges imponere poterit, quæ & eorum ſtatui, & Reipublicæ conuenientes ſint. Sicut ergo Laici, ſi huiuſmodi leges transgrederentur, mortaliter peccarent, ita mortaliter peccabunt Clerici, eas transgredientes. 8

Tertiò; Quia, ſi Leges ciuiles, tritico, alijſque mercibus pretia imponentes, Perſonas Eccleſiaſticas directè, ac per ſe non ligarent; Eccleſiaſtici ſine vllâ iniuſtitiâ, ac obligatione reſtituendi, vendere poſſent vltra pretium taxatum; illa enim taxa eos non ligaret; Si ergo, ſecluſâ taxâ, vendere poterant vltra pretium taxatum, vendere eodem modo poſſent etiam ſtante taxâ; taxâ enim eſſet ſolum pro tritico, & oleo Laicorum, non verò Eccleſiaſticorum. Neque dici poteſt; poſitâ taxâ, vel à lege vel à conſuetudine, vel à naturâ, iam triticum vltra illam non valere, quia vltra illam æſtimari non poteſt. Nam hoc eſt verum ſolùm 9

ſolùm, quando pro omni tritico, omnibusque perſonis taxa eſt impoſita; tunc enim omnes eodem modo æſtimant merces; At quando taxa pro aliquarum ſolùm perſonarum mercibus eſt impoſita, & non aliarum, tunc huiusmodi merces valorem habent, perinde ac, ſi nulla taxa eſſet impoſita, ſed ſi nulla taxa eſſet impoſita, poſſet triticum vendi vltra raxam; Ergo Clerici iuſtè vendere poſſent triticum vltra taxam.

10 Quartò; Quia, ſi Clerici directè ac per ſe legibus ciuilibus, eorum ſtatui non repugnantibus, non obligarentur, non tenerentur ſeruare leges formam contractibus præſcribentes; huiusmodi enim leges à Principe Laico feruntur; vnde poſſent validè contractus celebrare, etiam non ſeruatà formà ad valorem à Principe per leges requiſità; Princeps enim poteſtatem non haberet eorum actus irritandi, cum irritatio proueniat à poteſtate Superiori, & efficacior iurisdictio ad irritationem requiratur, quam ad ſimplicem obligationem. Si ergo duo Clerici contractum aliquem inter ſe celebrarent contra formam à Principe præſcriptam, validus eſſet talis contractus, quia à Principe, vtpotè iurisdictionem in illos non habente, irritari non poſſet. Hoc autem Reipublicæ pacem perturbaret, eſſetque bono communi maximè nociuum, & eſt expreſsè contra *cap. Innotuit: de Arbitris.*

11 Quintò; Quia, Si leges Ciuiles Clericorum ſtatui non repugnantes, illos non comprehenderent; neque leges teſtamentis formam præſcribentes, ſe extenderent ad teſtamenta Clericorum, ideoque poſſent Clerici, legum formà non ſeruatà, validè inſtituere hæredes alios Clericos, vel etiam Laicos, ſicut Ciuis aliquis Neapolitanus per teſtamentum conditum Romæ, etiam non ſeruatà formà, quæ Neapoli per leges præſcribitur, validè inſtituere poteſt hæredem Neapoli exiſtentem; ſicut enim teſtamentum Romæ factum, contra leges Neapolitanas, eſt validum, quia Roma legibus Neapolitanis non ſubiacet; ita teſtamentum contra eaſdem leges factum à Clerico eſſet validum, quia etiam Clericus eiſdem legibus non eſt ſubiectus; Conſequens autem eſt contra omnem rationem, conſuetudinem, ac praxim, vt per ſe patet; ex eoque plurima, ac maxima in Republica ſequerentur inconuenientia. Cum ergo etiam Clerici, legibus ciuilibus, bono communi, & eorum ſtatui conuenientibus, ſint ſubiecti, dicendum eſt, Clericum, legem pretia mercibus taxantem violando, mortaliter peccaſſe, ſi verbis præceptiuis lata fuit.

RESOLVTIO II.

Reſpondetur ſecundò, Si Lex fuit à Principe lata verbis indifferentibus, Clericum, pretii taxam violando, non peccaſſe contra legem. Quia lex tunc fuit purè pœnalis, lex antem purè pœnalis non obligat in conſcientia; Ergo ſicut non peccaſſet Laicus illam violando, ita neque peccauit Clericus. 12

RESOLVTIO III.

Reſpondetur tamen tertiò; Clericum abſolutè, mortaliter peccaſſe, quomodocumque tandem lex fuerit à Principe lata. *Molina Salas locis cit. Clauis Reg. l. c. num.* 17. *Suar. l. c. num.* 9. 13

G 2 *Caſtrop.*

Caſtrop. tr. 3. d. 1. p. 24. num. 6. Bonac. d. 1. quaſt. p. 6. nu. 31. & alij communiter.

14 Primò; Quia Clericus lege naturali iuſtitiæ tenebatur, triticum vendere pretio, quod communiter æſtimabatur iuſtum; vendendo autem vltra taxam, non vendidit pretio, quod communiter æſtimabatur iuſtum; pretium enim iuſtum eſt, quod per legem decernitur, & taxatur; ſed vendidit vltra pretium à lege taxatum; ergo vendidit ſupra pretium iuſtum; ideoque peccauit, non quidem contra legem, ſed contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem exceſſus.

15 Secundò; Quia lex ciuilis, pretium rebus præſcribens, prohibensque, ne vltra illud res vendantur, quamuis nouam, obligationem non induceret, declarando tamen quodnam ſit pretium iuſtum, ſaltem declarat eam, quæ lege diuina, ac naturali, eſt impoſita, non vendendi res vltra pretium iuſtum, eamque determinat ad non vendendum triticum vltra pretium ab ipſa taxatum, eò quod illud ſit iuſtum; Sicut lex vectigalium, determinando modum, quò Subditi concurrere debent ad Principis ſuſtentationem, non inducit nouam obligationem, ſed determinat illam, quam Subditi iure naturali habent, ad Principis ſuſtentationem concurrendi, vt obliget ad concurrendum per ſolutionem vectigalium: Cum ergo Clerici, à lege naturali, & diuinà non ſint exempti, merces vltra pretium à lege taxatum tenentur non vendere, & ſi vendant, mortaliter peccant, & tenentur ad reſtitutionem exceſſus.

16 Neque obſtat, quod perſonæ Eccleſiaſticæ dicantur à Laicorum iuriſdictione exemptæ, ac immunes; Nam primò hoc intelligi debet quod ad vim directiuam in rebus ſpiritualibus, & quæ ad eorum immunitatem ſpectant. Secundò, quo ad vim coactiuam, ſiue punitiuam; Quamuis enim, per ſe loquendo, poteſtas præcipiendi, ſit coniuncta cum poteſtate puniendi; ex priuilegio tamen poſſunt ab inuicem ſeparari; atque ità de facto in Principe laico ſeparatæ ſunt; Hic enim, Clericos, leges Ciuiles, ac politicas transgredientes, ex priuilegio, & exemptione illis à Chriſto, vel Summis Pontificibus conceſſà, punire non poteſt, ſed relinquere debet Iudici Eccleſiaſtico puniendos, qui illos pro libito punire poterit, vel pœnam moderari, prout magis expedire iudicauerit.

RESOLVTIO IV.

Reſpondetur quartò; Si tritici amiſſio ſequebatur de plano, nec ad hoc vlla cognitio cauſæ prærequirebatur; Principis miniſtros licitè triticum Clerico auferre potuiſſe; Quia hoc non tam factum eſt in pœnam legis violatæ, quam in reparationem damni illati, & ne Clericus, legis violationem proſequatur. Princeps tamen Clerico rei ſublatæ valorem reſtituere tenetur, detractis damnis; niſi à Iudice Eccleſiaſtico ad illius amiſſionem condemnetur; Clericus enim à poteſtatè Ciuili, quoad tribunalia, ac iudicia, eſt omninò immunis, vt conſtat ex *cap. 2. de foro compet. c. Clerici. c. At ſi Clerici, de iudiciis*, & alijs pluribus *Salas d. 14. ſect. 9. num.* 107 17

COROL.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò; Clericos directè, ac per ſe teneri ſeruare leges, quæ prohibent, arma noctu deferri, & merces, aut aliud ſimile ex Ciuitate extrahi; quæ rebus vendendis pretia præſcribunt; aut contractibus formam imponunt; & alias ſimiles; Hæ enim ſtatui Eccleſiaſtico, ac Clericorum libertati non repugnant, & aliunde, ad commune Reipublicæ bonum maximè conducunt, quod Clerici æquè, ac laici procurare tenentur, cum non minus Clerici ſint pars Reipublicæ, quàm laici. Cum autem perſonæ Eccleſiaſticæ à laicorum iuriſdictione dicuntur immunes, intelligi debet quoad vim coactiuam, & quoad directiuam in rebus ſpiritualibus, & in ijs, quæ eorum immunitatem reſpiciunt.

19 Secundò; Etiam Religioſos eiſdem legibus teneri, ſicut tenentur Clerici. Ipſi enim etiam tenentur in contractibus ſeruare formam, ac ſolemnitatem à lege Ciuili præſcriptam; merces, aut alias res è Ciuitate non extrahere, quando hoc propter bonum commune prohibetur; & alia ſimilia; Nam ipſi etiam, vt partes Reipublicæ, eius bonum procurare tenentur. Obligari tamen non poſſunt ad pœnam, ſicut non poſſunt Clerici, quia, quo ad hoc, non ſunt minus exempti, quam Clerici.

Tertiò; Religioſos exemptos, nullâ ratione teneri Conſtitutiones, ac præcepta Epiſcopalia ſeruare, exceptis caſibus à iure expreſſis; Cum enim ab Epiſcopi iuriſdictione ſint exempti, eius legibus non ſubijciuntur, atque ita habetur *cap. 1. de priuileg. in 6. & in Tridentino ſeſſ. 25. c. 12. de Regularibus*; vbi ſolum eis præcipitur, obedire in feſtorum obſeruatione, in interdicto, & in ceſſatione à Diuinis; In alijs verò prorſus eximuntur; Et iure; Cum enim proprijs obligationibus, ſtatui Religioſo annexis, arctentur, alias ſuſtinere cogendi non ſunt. Vnde, ſicut Nouitij, leges, ac præcepta Profeſſis impoſita, ſeruare non tenentur, quia, cum in eodem ſtatu cum Profeſſis non ſint, eis etiam non tenentur ſe conformare; ita Religioſi, neque Sæcularibus in eorum obſeruantiis, neque Clericis in ordine ad præcepta Epiſcopalia, ſe conformare tenentur, quia non ſunt in eodem ſtatu cum ipſis, & proprias habent obſeruantias, quibus ſufficienter arctantur. *Suar. lib. 5. de legib. c. 20. in fine.* 20

(o)

QVAESTIO IX.

An lex directè præcipere poſſit actum internum.

CASVS.

1 TITIVS, die quodam feſto, ſacrum audiebat, ignorans, eſſe diem feſtum. Circa medium autem ſacri, aduertens, eſſe diem feſtum, per illud ſacrum præcepto ſatisfacere noluit, ſed intentionem habuit, aliud audiendi; poſtea tamen, varijs ſuccedentibus negotijs, hanc voluntatem mutauit, nec aliud ſacrum audire voluit. Quæritur; Vtrum Eccleſiaſtico præcepto ſatisfecerit.

SVMMARIVM.

4 *Intentio ſatisfaciendi præcepto, præcipi poſſe videtur, à lege humana.*

5 *Præceptum, impleri non poteſt ſine eius cognitione.*

7 *Multo minus cum intentione, illud non implendi.*

8 *Hac poſitâ, ſatisfactio non eſt voluntaria.*

9 *Non eſt opus factum ex debito præcepti.*

10 *Sicut, ſi miſſam quis audiret, vt Amico complaceret.*

12 *Lex humana, actus mere internos, præcipere non poteſt.*

13 *Voluntas ſatisfaciendi præcepto, eſt actus mere internus.*

14 *Voluntas ponendi rem præceptam, eſt virtualiter etiam voluntas ſatisfaciendi præcepto.*

15 *Sine intentione ſatisfaciendi præcepto, illi ſatisfit.*

16 *Satis eſt, ponere rem præceptam.*

17 *Voluntas non ſatisfaciendi, non impedit, quin ſatisfiat.*

19 *Lex, non præcipit intentionem illi ſatisfaciendi.*

20 *Præceptum etiam ſine illius cognitione, per accidens, impleri poteſt.*

21 *Cur, in obligationibus iuſtitiæ, poni non poſſit res præcepta, ſine cognitione obligationis.*

22 *Voluntas non ſatisfaciendi præcepto, eſt inefficax.*

23 *Non tollit libertatem neceſſariam ad ſatisfaciendum præcepto.*

24 *Vt ſatisfiat præcepto, ſatis eſt ponere rem materialiter debitam.*

25 *Idemque valet in Voto, ac Pœnitentia.*

27 *Quandonam requiratur intentio ſpecialis.*

28 *Quæ præcepta, vt impleantur, ſpecialem intentionem requirant.*

29 *Præcepto ſatisfacit, qui miſſam audit animo non ſatisfaciendi.*

30 *Quo-*

30 *Quomodo Eccleſia à Beneficiarijs exigere poſſit intentionem ſumendi ſacerdotium intra annum.*
31 *Etiam ad lucrandas indulgentias aliquam intentionem exigere poteſt.*
32 *An delectari de carnium comeſtione, in die ieiunij, ſit peccatum.*
33 *Superior, quomodo diſpenſare poſſit in voto pure interno.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVemadmodum Lex ſemper procedit à Superiore; & dirigitur ad ſubditos, ita ſemper verſatur circa actiones humanas, tanquam circa propriam materiam; has enim præcipit, vel prohibet; has punit, & aliquando etiam irritat. Quia tamen actiones humanæ, aliæ ſunt merè internæ, vt ſunt actus intellectus, & voluntatis; aliæ ex internis, & externis compoſitæ, vt ſunt omnes actiones externæ liberæ; hæ enim neceſſariò ſemper procedunt ab aliquo actu libero voluntatis, cum eoque vnam actionem humanam integram, ac perfectam conſtituunt, ideo duplex oritur difficultas. Prima eſt; an lex humana præcipere poſſit actus merè internos, & cum externis per ſe nullo modo connexos. Secunda eſt, an ſaltem præcipere poſſit internos, qui cum externis aliquo modo per ſe connectuntur; Primam examinamus hic; Secundam examinabimus *Quæſt. ſequ.*

3 Quoniam verò intentio ſatisfaciendi præcepto, eſt actus merè internus; cum actio externa præcepta; vt auditio Sacri, ieiunium, officij recitatio, & aliæ ſimiles actiones, liberè poni poſſint, vel cum intentione ſatisfaciendi præcepto, vel ſine illa, De hac præcipuè quæritur, an præcipi poſſit; ita vt ad præceptum implendum ſit neceſſaria.

Aliqui contendunt, non ſolùm præcipi poſſe, ſed præcipi de facto, ita vt ſine illà, præcepto non ſatisfiat, ideoque Titium, per illam ſacri auditionem, præcepto Eccleſiaſtico non ſatisfeciſſe. Ita *Silueſter v. hora quæſt. 11. dub. 5. nu. 14. Lopez lib. 1. de contr. c. 53. fol. 198. Ledeſ. c. 37. ſum. poſt 10. concl. fol. 349. relati à Sanch. lib. 1. ſum. c. 13. num. 9. & 13. & ex parte. Azor. lib. 10. c. 8. quæſt. 7. & c. 11. quæſt. 8. Henriq. lib. 9. de Miſſa. c. 25. num. 6. in fine.* 4

Primò: Quia primam partem Sacri audiuit, ignorans eſſe diem feſtum, & conſequenter dari præceptum de Sacro audiendo. Præceptum autem impleri non poteſt, ſine cognitione præcepti. Tum quia præceptum nulla alia de causâ obligat ad ſui notitiam, niſi quia impleri non poteſt ſine ſui cognitione. Tum quia, qui præceptum ignorat, non facit actum obedientiæ, ideoque nec implet præceptum. 5

Secundò: Quia, ſi quis, ob male acquiſita, centum, pauperibus deberet reſtituere, & huius obligationis immemor, centum in eleemoſynas tribueret, non propterea debitum extingueret: Ergo ſignum eſt, ad præcepti adimpletionem requiri cognitionem præcepti, & voluntatem illi ſatisfaciendi; Neutrum autem habuit Titius. 6

Tertiò: Quia, Titius recordatus, eſſe diem feſtum, habuit expreſſam intentionem, per illud Sacrum, præcepto non ſatisfaciendi. Ergo illi de facto non ſatisfecit: actus enim, non operatur vltra agen- 7

agentis intentionem. *L. non omnis, ff. ſi certum petat. & L. in Agris. ff. de acquiren. dom.* Si ergo per illam actionem ſatisfacere noluit, non ſatisfecit.

8 Quartò; Quia præcepti ſatisfactio, debet eſſe voluntaria, ac libera; præceptum enim eſt de actione humanà; Poſità autem voluntate per illud Sacrum non ſatisfaciendi præcepto, ſatisfactio non eſt voluntaria; non enim eſt volita, ſed nolita, cum Titius voluntatem non habuerit implendi præceptum per auditionem illius Sacri; ſed oppoſitam. Ergo, poſità tali voluntate, de facto præcepto non ſatisfecit.

9 Quintò; Quia auditio Miſſæ, vt ſit ſatisfactio præcepti, debet eſſe auditio Miſſæ, non eſt deuotione, ſed ex debito præcepti; executio enim rei præceptæ eſt executio rei debitæ, ex vi præcepti, non verò liberaliter donatæ. Sed qui habet intentionem non ſatisfaciendi præcepto, dici non poteſt rem debitam exequi; res enim illa tunc non procedit ab eo, vt debita, ſed vt Deo liberaliter donata. Ergo per illam præcepto non ſatisfacit.

10 Sextò; Quia, ſi quis, ex pœnitentià ſibi à Confeſſario iniunctà, Miſſam audire debens, illam audiret, non vt pœnitentiæ ſatisfaceret, ſed vt Amico id ab eo petenti complaceret, verè pœnitentiæ non ſatisfaceret. Similiter, ſi debens ex voto quotidie miſſam audire, dum audit, haberet animum non ſatisfaciendi, illà Miſsà, ſed alià, verè Voto non ſatisfaceret; non enim impleret promiſſionem Deo factam, ſed alium cultum liberalem ei præſtaret. Denique ſi pro Miſsà ſtipendium accepiſſet, & dum celebrat, vellet gratis celebrare; ſic celebrando, debitum non extingueret. Ergo ſignum eſt ad ſatisfaciendum præcepto requiri voluntatem illi ſatisfaciendi; quam quia Titius non habuit, præcepto non ſatisfecit.

Septimò; Quia præcepta obligant ſubditos ad illa implenda; Ergo obligant, vt velint illa implere; alioquin non implerentur voluntariè, & modo humano. Sed Titius non habuit voluntatem implendi præceptum; Ergo illius obligationi non ſatisfecit. 11

NOTABILIA.

Aduertendum eſt primò, Legem humanam, actus merè internos, & cum externis non per ſe, ſed ſolùm per accidens connexos, præcipere non poſſe: Tum quia actus merè internos de facto nunquam præcipit, vel prohibet; Tum quia occulta, ſoli Deo ſunt reſeruata, 1. *Cor. 14. Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Tum quia Superior humanus, per vim legislatiuam, præcipere non poteſt niſi id, de quo per vim coactiuam, iudicium ferre poteſt, ac pœnas ſumere: ad hoc enim habet vim coactiuam. Sed iudicare, ac punire actus merè internos non poteſt, cum illos non cognoſcat, *c. Sicut tua nos, de Simonia.* Ergo nec illos præcipere, vel prohibere. Tum denique, quia poteſtas legislatiua, ad rectam Reipublicæ gubernationem eſſentialiter ordinatur, & ad hunc ſolum finem Superiori data eſt. Reſpublica autem, cum ſit viſibilis, non rectè gubernatur actu inuiſibili: Ergo poteſtas 12

Legiſ-

Legiſlatiua, ad actum inuiſibilem, ac merè internum extendi non poteſt.

13 Aduertendum eſt ſecundò; Voluntatem formalem ſatisfaciendi præcepto, eſſe actum merè internum; per ſe enim, nullam connexionem habet cum actu externo præcepto; cum, die feſto, Sacrum audiri poſſit etiam ſine intentione ſatisfaciendi præcepto; imo cum poſitiua voluntate illi non ſatisfaciendi. Quod autem dicitur de intentione ſatisfaciendi præcepto, valet etiam de quacumque alia intentione; Vnde Eccleſia, nunquam fidelibus præcipit, vt in oratione fundenda, hanc, vel illam habeant intentionem; quia hoc eſſet, actum merè internum directè præcipere, quod Eccleſia non poteſt, cum hoc ad eius rectam gubernationem neceſſarium non ſit, & fideles, in actibus merè internis, communione viſibili, communicare non poſſint.

14 Aduertendum eſt tertiò; Voluntatem ponendi rem præceptam, quæ requiritur ad ſatisfaciendum præcepto, eſſe virtualiter etiam voluntatem ſatisfaciendi præcepto, cum enim, præcepto ſatisfacere formaliter, nihil ſit aliud, quam opus præceptum ponere; eo ipſo, quod quis voluntatem habet opus præceptum faciendi, neceſſariò etiam per ſe loquendo, ſaltem virtualiter voluntatem habet præcepto ſatisfaciendi. Dixi tamen, per ſe loquendo, quia ſi quis ex errore, putaret, per illud opus, præcepto non ſatisfieri; tunc voluntas ponendi opus præceptum, non eſſet virtualiter voluntas ſatisfaciendi præcepto. Hæc autem voluntas ponendi rem præceptam, licet requiratur ad ſatisfaciendum præcepto affirmatiuo; ad ſatisfaciendum tamen præcepto negatiuo non requiritur; præceptum enim negatiuum, ſicut nullam requirit actionem, vt impleatur; ita nullam requirit intentionem, ac voluntatem, nam Ebrius, vel dormiens, aut omnino oblitus, præceptum de non furando ſufficienter implet, ſiue potius non violat; per ſolam abſtinentiam à furto, ſine vllà voluntate. His poſitis.

RESOLVTIO.

15 AD Caſum Reſpondetur; Titium ſatisfeciſſe præcepto. *Suar. tom. 3. in 3. p. d.* 88. *ſ. 3. & lib. 3. de legib. c. 29. Vaſquez* 1. 2. *quæſt.* 100. *art. 9. num. 5. Valen.* 2. 2. *d. 6. quæſt. 2. p. vlt. in fine. Leſſius lib. 2. c. 37. d. 10. num. 59. & c. 46. d. 6. num. 42. Bonac. d. 1. quæſt. 1. p. 10. num. 9. Sanch. lib. 1. ſum. c. 13. num. 9. & 13. Aragon. 2. 2. quæſt. 83. art. 13.* & alij apud iſtos.

16 Primò; Quia ad ſatisfaciendum præcepto, non eſt neceſſe, habere voluntatem expreſſam illi ſatisfaciendi, ſed ſatis eſt exequi rem præceptam; quamuis enim quis, cum ignorantia præcepti, rem præceptam exequeretur, adhuc præcepto ſufficienter ſatisfaceret; nam adhuc rem præceptam exequeretur. Libera autem rei præceptæ executio, eſt impletio præcepti.

17 Secundò; Quia voluntas, quam Titius habuit non ſatisfaciendi præcepto per illam miſſam, fuit omnino inefficax, nec impedire potuit, quin præcepto ſatisfecerit; non enim impedire potuit, quin miſſam audierit. Hoc autem fuit ſatis ad præceptum implendum; quia Eccleſia præcipit ſolum miſſæ auditionem,

Digitized by Google

nem, non verò miſſæ auditionem ex intentione ſatisfaciendi præcepto, præceptum enim de tali intentione, nullibi extat. Cum ergo miſſam audierit, præceptum impleuit.

18 Tertiò; Quia, ſi lata fuiſſet cenſura contra non audientes miſſam in die feſto, Titius illam cenſuram non incurriſſet; Vere enim miſſam audiuit. Ergo ſignum eſt, quod præceptum impleuit; præceptum enim nihil plus præcipit, quam cenſura.

19 Quartò; Quia, qui facit id, quod præcipitur, ſatisfacit præcepto, quamcumque tandem intentionem habeat; hæc enim duo, ſunt idem. Sed Titius, audiendo ſacrum, fecit id, quod ab Eccleſia præcipitur; Eccleſia enim ſolum præcipit, vt in die feſto ſacrum audiatur. Ergo præcepto ſatisfecit, quamcumque tandem intentionem habuerit; illa enim non cadit ſub præcepto; Vnde, ſicut voluntas ſatisfaciendi præcepto non requiritur ad illi ſatisfaciendum, ita voluntas contraria non ſatisfaciendi, non impedit, quin illi ſatisfiat; contrariorum enim eadem eſt ratio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

20 AD rationes autem in oppoſitum Reſpondetur; ad primam; Præceptum, per ſe, & regulariter, impleri non poſſe ſine cognitione ipſius præcepti, ideoque ad ſui notitiam obligare; per accidens tamen, etiam ſine illius cognitione, ſed ſolum cum cognitione rei præceptæ, impleri poſſe, quia impleri poteſt ſufficienter per voluntatem faciendi rem præceptam materialiter, licet non quatenus præcepta eſt formaliter. Tunc autem, licet non ſit opus obedientiæ formalis, eſt tamen opus obedientiæ materialis, quod ſufficit ad præceptum implendum; neque enim præcepta obligant ad faciendum opus externum, ex motiuo obedientiæ; alioquin, qui miſſam audiret ex motiuo vanæ gloriæ, præcepto non ſatisfaceret; ſed obligant ſolum ad ponendum ipſum actum externum; Actus autem externus, poni poteſt etiam ſine cognitione præcepti.

Ad ſecundam Reſpondetur; in obligationibus iuſtitiæ, poni non poſſe rem præceptam ſine cognitione obligationis, quia res præcepta, eſt ſolutio, non donatio; Solutio autem fieri non poteſt ſine cognitione debiti, & voluntate illi ſatisfaciendi; alioqui non eſſet ſolutio, ſed liberalis donatio; ideoque debitum non extingueret. In alijs tamen obligationibus, hæc ratio non militat, ideoque, in iſtis, poni poteſt res præcepta, etiam ſine cognitione præcepti, & ſine animo illi ſatisfaciendi. Si autem debitor, etiam in materia iuſtitiæ, aliquando in genere, habuiſſet animum reſtituendi, caſu quo aliquam haberet obligationem, hæc ſola voluntas ſufficeret, vt, cum dat eleemoſynam, hæc haberet rationem ſolutionis, & non liberalis donationis, quia, iam procederet ex voluntate illa debito ſatiſfaciendi. 21

Ad tertiam Reſpondetur; negando conſequentiam; duplicem enim voluntatem habuit Titius, aliam inefficacem non ſatiſfaciendi præcepto, ortam ex ignorantia; aliam efficacem ſatiſfaciendi, volendo efficaciter opus præceptum; & per hanc ſatiſfecit; hæc enim, vtpotè, principalior, vicit. 22

Ad

23 Ad quartam Reſpondetur; præcepti ſatisfactionem, debere quidem eſſe voluntariam; hæc tamen libertas neceſſaria, non tollitur per voluntatem non ſatisfaciendi; ſicut enim hæc voluntas non impedit, quin omnino libere ponatur res præcepta, ita non impedit, quin omnino libere præcepto ſatisfiat.

24 Ad quintam Reſpondetur; ad ſatisfaciendum præcepto, ſatis eſſe, vt ſit executio rei debitæ materialiter, non formaliter; neque enim requiritur, vt executio illa à nobis procedat formaliter, vt debita, ſed ſatis eſt, ſi à nobis procedat materialiter debita, hoc eſt, illa, quæ eſt debita; quia præceptum non obligat ad habendam formalem intentionem obediendi. Illa ergo intentio inefficax non ſatisfaciendi præcepto, cum non deſtruat voluntatem efficacem ponendi rem præceptam, conſequenter neque impedit, quin præcepto ſatisfiat.

25 Ad ſextam Reſpondetur; Negando; pœnitentiæ, tunc, ac voto non ſatisfieri per miſſæ auditionem; vere enim poneretur res promiſſa per votum, & à Confeſſario iniuncta; intentio autem illa inefficax non ſatisfaciendi, ſicut non abſtulit voluntatem efficacem audiendi miſſam, ita auferre non potuit voluntatem ſufficientem ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto. Si tamen pro miſſæ celebratione, ſtipendium accepiſſet, tunc requireretur intentio ſatisfaciendi, quia debitum non extinguitur, niſi per ſolutionem. Solutio autem, eſſentialiter includit voluntatem ſatisfaciendi debito, vt dictum eſt.

26 Ad ſeptimam Reſpondetur; præcepta obligare quidem ſubditos, vt illa velint implere, non tamen per voluntatem ſpecialem, & expreſſam, ſed ſolum per voluntatem ponendi opus præceptum; hæc enim, implicitè, & virtualiter eſt voluntas implendi præceptum, cum idem ſit, ponere opus præceptum, ac præceptum implere.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò. Cum quis præſtat opus aliquod multis titulis debitum, requiri ſpecialem intentionem, vt vni potius obligationi, quam alteri ſatisfaciat; cum enim opus ipſum ſit indifferens, vt fiat propter hunc finem potius, quam propter alium; per intentionem huius, debet ad hunc determinari potius, quam ad alium, actio enim, ad eum finem valet, ad quem dirigitur, ac ordinatur. Hinc fit, vt, ſi quis ex Voto, & ex pœnitentia ſacrum audire debeat; dum illud audit, audire debeat ex intentione huic potius, quam alteri obligationi ſatisfaciendi; quod ſi intendat ſatisfacere obligationi voti, non ſatisfaciet alteri; ſi verò opus præſtet omnium obligationum immemor, ſatisfaciet grauiori, quia huic præſumitur velle primo loco ſatisfacere; *l. Cum pluribus, ff. De ſolutionibus.* Vnde, ſi teneatur miſſam audire ex præcepto, ex voto, & ex pœnitentiâ, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciet, quia hæc obligatio eſt grauior, quam obligatio contracta ex propria voluntate, aut ex intentione Confeſſarij. 27

Secundò. Aliqua dari præcepta poſitiua, quæ, licet ſint de actibus exterioribus, aliquam tamen ſpecialem intentionem neceſſario requirunt, vt impleantur; quia non ſolum actum externum 28

præcipiunt, ſed etiam internum, cum ſit de eorum ſubſtantia; præceptum enim præcipiens recitationem Officij, præcipit ſimul etiam intentionem colendi Deum, quia per talem intentionem, recitatio habet, vt ſit oratio, cum alias ex ſe, ſit indifferens, vt fiat, vel gratia addiſcendi, vel alios docendi, in quo caſu, non eſſet oratio, idemque dicendum eſt de Sacramentorum adminiſtratione, quæ eſſentialiter includit intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia; Vnde Eccleſia, eo ipſo, quod talem adminiſtrationem præcipit, præcipit etiam illam intentionem; hæc tamen intentio, non eſt intentio ſatisfaciendi præcepto, ſed intentio eſſentialiter conſtitutiua actionis externæ, in ratione, vel orationis, vel Sacramenti, vel in alia ſimili ſpecie rei præceptæ.

29 Tertiò. Eum, qui miſſam audiuit animo per illam non ſatisfaciendi præcepto, ſed poſtea aliam audiendi; ſi aliam poſtea audire nolit, non teneri mutare voluntatem, & habere animum per primam ſatisfaciendi, quia iam præcepto ſatisfecit, cum opus præſcriptum impleuerit. Ergo non requiritur, vt habeat intentionem ſatisfaciendi; ab Eccleſia enim ad talem intentionem non obligatur; vnde ſatis erit, ſi deſiſtat ab intentione non ſatisfaciendi præcepto; ſi enim tollet ſufficienter, actualem affectum ad peccatum.

30 Quartò. Intentionem aſſumendi Sacerdotium intra annum, exigi poſſe ab Eccleſiâ à recipientibus beneficium curatum, addita pœnâ priuationis fructuum in *c. Commiſſa, §. Cæterum, de elect. in 6.* quia Eccleſia id exigit non ex vi præcepti, ſed ex vi conditionis, ſine qua, Eccleſia illis beneficij fructus concedere non vult. Cum enim Eccleſia ſit beneficiorum domina, aut ſaltem adminiſtratrix, poteſt ſub hac, vel illa conditione beneficia conferre; Vna autem ex conditionibus, eſt, vt, qui beneficium curatum recipiunt efficacem habeant voluntatem ſacerdotium aſſumendi; quam propterea, ſi non habeant, fructus non faciunt ſuos, neque beneficia ipſa retinere poterunt. Hoc tamen non eſt; actum internum præcipere, ſed ſolum tribuere nolle beneficium, niſi ſub conditione alicuius actus interni. *Suarez l. 4. de legib. c. 12. num. 4.*

Quintò. Eccleſiam, ad lucrandas indulgentias, exigere poſſe aliqua opera ſub hac, vel illa intentione, ita vt ſine illâ, indulgentiæ non acquirantur, quia talem intentionem exigit, non vt Legiſlatrix, ſed, vt Indulgentiarum adminiſtratrix, eamque exigit, tanquam conditionem ſine qua dictas indulgentias diſtribuere non vult; hoc autem modo, exigi poſſunt etiam actus mere interni, quia nemini fit iniuria. 31

Sextò. Eum, qui in die ieiunij de eſu carnium, quas mente reuoluit, ſimpliciter delectatur, contra ieiunij præceptum non peccare, quia præceptum ieiunij, non prohibet ſimpliciter, quemlibet actum internum circa eſum carnium, ſed illum ſolum, qui eſt cauſa actus externi ab illo principaliter prohibiti, quæ eſt voluntas efficax, carnes tunc comedendi, & illum, qui circa eandem comeſtionem verſatur, vt principaliter prohibitam; hi enim ſoli cum actu externo connectuntur, & non ille. *Bonac. diſp. 5, qu. 7. part. 5, num. 14.* 32

Septi-

53 Septimò, Superiorem, in voto pure interno diſpenſare poſſe. Etiam ſi votum illi non manifeſtetur, vt ſi dicat. *Diſpenſo tecum, ſi aliqua voto teneris.* Quia diſpenſatio, non oritur à poteſtate Legiſlatiua, ſed fit nomine Dei, & in cauſa, quæ agitur inter hominem, & ipſum Deum. Similiter poteſt ſacerdos abſoluere à peccatis mere internis, etiam non manifeſtatis, vt ſunt peccata interna oblita. Quia abſoluit iurisdictione data à Chriſto in bonum fidelium, & hi actus, ſunt actus iurisdictionis non contentioſæ, ſed voluntariæ, quæ internam animæ pacem reſpicit, non vero externam gubernationem, vt reſpicit iurisdictio contentioſa, & lex humana. *Suarez de legib. lib. 4. c. 12. num. 10.*

QVAESTIO X.

An lex indirecte præcipere poſſit actum internum.

CASVS.

1 IN quadam Diœceſi erat impoſita pœna excommunicationis non confitentibus, & communicantibus in Paſchate. Vnus autem ex illa Diœceſi, indigne communicauit, & alter ſine dolore confeſſus eſt. Quæritur, an vterque in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Per confeſſionem ſine dolore ſatisfieri videtur præcepto annuæ confeſſionis.*
3 *Sicut per indignam Communionem ſatisfit præcepto Communionis.*
4 *Actus internus, à Republica præcipi non poteſt.*
5 *Cum ab ea puniri non poſſit.*
6 *Quot modis actus internus coniungi poſſit cum externo.*
7 *Eccleſia, aliquos actus externos prohibet ſolum ſub conditione interni.*
8 *Qui ſine dolore confitetur præcepto Eccleſiaſtico non ſatisfacit.*
9 *Confeſſio ſine dolore, non eſt vera confeſſio.*
10 *Communio ſine interna deuotione, eſt vera communio.*
11 *Eccleſia, indirecte præcipit contritionem.*
13 *Actus internus, per externum, cum quo connectitur, ſufficienter manifeſtatur.*
14 *Eccleſia, licet actus internos directe non cognoſcat, cognoſcit indirecte.*
15 *Eccleſia, præcipit confeſſionem mortalium etiam internorum.*

16 *Et in Officij recitatione, internam attentionem.*

17 *Non tamen Sacramentorum receptionem cum interna diſpoſitione.*

18 *Poteſtas Eccleſiaſtica, quomodo ad bonum fidelium ordinetur.*

19 *Ad lucrandas indulgentias, non requiritur intentio illas lucrandi.*

20 *Quid ad illas lucrandas, ſufficiat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 EX dictis conſtat, legem humanam directè præcipere non poſſe actum internum. Supereſt tamen adhuc difficultas; an illum præcipere ſaltem poſſit indirectè, quatenus connectitur cum actu externo, quem directè, ac principaliter præcipit; videtur enim, nec indirectè illum poſſe præcipere; ideoque illum, qui ſine dolore confeſſus eſt, in excommunicationem non incidiſſe. Ita *Silueſter v. Excommunicat. 7. n. 3. Clauis reg. lib. 3. c. 6. num. vltim. Azor. p. 1. lib. 5. c. 10. Nauar. c. 27. num. 87. Becanus tr. 3. c. 6. qu. 5. num. 2.*

3 Primò; Quia, qui indigne communicauit, potuit per ſacrilegam Communionem præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacere. Ergo etiam qui indignè confeſſus eſt, per ſacrilegam Confeſſionem. Non minus enim iſte, quam ille poſuit actum externum ab Eccleſiâ præceptum; nec minus in vno caſu, quam in alio, actus internus limites Eccleſiaſticæ iuriſdictionis excedit.

4 Secundò; Quia actus internus, cum occultus ſit, & incognitus, ſicut bono communi prodeſſe non poteſt, ita nec obeſſe. Ergo à Republica, ſiue Eccleſiaſticâ, ſiue Ciuili præcipi, aut prohiberi non poteſt. Hæc enim per leges, eâ ſolùm præcipere, vel prohibere poteſt, quæ prodeſſe, vel obeſſe poſſunt bono communi; cum poteſtas legiſlatiua ad bonum commune ſit eſſentialiter ordinata, & ad hunc ſolum finem Principibus à Deo data. Cum ergo ab vtroque æquè fuerit poſitus actus externus, conſequenter ab vtroque, æquè fuit præcepto Eccleſiaſtico ſatisfactum.

5 Tertiò; Quia *ex Ar.* 10. *eth. c.* 5. qui leges ferre poteſt, poteſtatem habere debet, earum transgreſſores puniendi, non ſolùm per ipſam legem, pœnam transgreſſoribus ipſo facto imponendo, ſed per ſententiam cognoſcendo tam de delicto, quam de pœnâ impoſitâ; hoc enim ad legum obſeruantiam eſt omnino neceſſarium. Sed Eccleſia, poteſtatem non habet actus internos per ſententiam puniendi cum illos cognoſcere, ac iudicare non poſſit; homo enim videt ſolum ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor. Ergo de actibus internis legem ferre non poteſt, ſed ſolum de Externis. Vterque autem æquè poſuit actum externum ab Eccleſia præceptum.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; Actum internum dupliciter coniungi poſſe cum externo, qui per legem præcipitur. Primò; Quatenus eſt aliquid neceſſarium ad ipſum actum externum phyſicè ponendum, vel omittendum; quo modo voluntas efficax, ad omnem actum externum eſt neceſſaria; nemo enim ambulare poteſt, aut loqui, ſine voluntate efficaci

efficaci loquendi, aut ambulandi. Actum autem internum hoc modo cum externo connexum, certum eſt, per legem humanam præcipi poſſe, quia præcipitur non per ſe, ſed per accidens, vt quatenus ad externum ponendum eſt neceſſarius. Secundò; Coniungi poteſt actus internus cum externo; quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum externum in eſſe morali; quomodo ad legitimum contractum requiritur voluntas contrahendi, ac ſe obligandi; ad orationem vocalem intentio, & attentio; & ad Sacramentorum confectionem intentio faciendi id, quod facit Eccleſia; & hoc etiam modo actus internus cum externo coniunctus, à lege humana præcipi poteſt, quia præcipitur ſimiliter per accidens, & indirectè, quatenus eſt forma actus externi, qui principaliter & directè præcipitur. Cum enim contractus fictus, oratio ficta, & ficta Sacramenta, rectæ Reipublicæ, tam Eccleſiaſticæ, quam ciuilis gubernationi, ac bono communi aduerſentur; Hæc poteſtatem habere debuit, ſaltem indirectè præcipiendi quidquid ad illorum actuum veritatem, ac valorem eſt neceſſarium, inter quæ eſt actus internus.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Eccleſiam, aliquos actus externos, quos abſolutè prohibere, ac punire poterat, tanquam malos, de facto non prohibere, nec punire abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione, quod à tali, vel tali actu interno procedant; ſic enim *in Clem. 1. de ſtatu Monachorum.* Excommunicat Monachos Benedictinos ad Curiam accedentes animo Prælatum accuſandi; *& in Clem. 1. §. Verùm. de Hæreticis.* Inquiſitores, ex odio, vel amore turpis lucri omittentes procedere contra aliquem ex causâ fidei. In hoc autem caſu prohibet actus internos ſolùm, quatenus ſunt conditio refundens in actum externum malitiam ſpecialem, & bono communi ſpecialiter oppoſitam, ideoque eius poteſtatem non excedunt, cum hæc ordinetur ad bonum commune. Imo, cum ipſa poteſtatem habeat prohibendi actum externum abſolutè, hanc ſuam prohibitionem limitat, ac reſtringit ad actum externum, ſolum vt tali conditione affectum, ſcilicet ad actum ſolum, vt ex amore, vel odio procedentem, eo modo quo, dum excommunicat ſcienter delinquentes, limitat, ac reſtringit poteſtatem, quâ excommunicare poterat delinquentes ſimpliciter. His poſitis.

RESOLVTIO.

Reſpondetur; primum ſolum in excommunicationem incidiſſe, non ſecundum. *Sanchez lib. 9. matr. diſp. 31. Valentia 2. 2. d. 7. quæſt. 3. part. 2. Suarez d. 4. ſect. 2. num. 27. & de legib. lib. 4. c. 12. Vaſquez tract. de excomm. diſp. 13. & 1. 2. d. 160. Reginaldus lib. 9. num. 158. Azor. par. 1. lib. 5. c. 10. Clauis Reg. lib. 3. c. 6. n. vlt. Nauar. c. 27. num. 87. Filliuc. tract. 12. c. 6. quæſt. 3. & 6.* & alij fere omnes communiter. 8

Primò; Quia Primus ſolus præcepto non ſatisfecit; cum enim vera confeſſio ſubſiſtere non poſſit ſine dolore, ac integritate, ſequitur, eum, qui ſine dolore confeſſus eſt, non poſuiſſe veram confeſſionem, & conſequenter, neque præcepto ſatisfeciſſe; Eccleſia enim, quamuis præcipere non poſſit actus internos ſecundum ſe, & directè, cum de illis iudicium 9

cium ferre non poſſit, eo quod in ſe ſint omninò occulti; præcipere tamen illos poteſt indirectè, quatenus ſunt neceſſarij ad ponendum actum externum, quem ipſa principaliter, & directè præcipit; ſic enim iam fiunt ſenſibiles, & de illis ferre poteſt iudicium. Sic præcipiendo auditionem Sacri, præcipit etiam voluntatem illud audiendi, quia præcipit auditionem humanam; ſola autem auditio, ſine voluntate audiendi, non eſſet actus humanus; vnde ſi quis inuitus cogeretur audire ſacrum, non ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, quia ſola auditio externa, non eſt actus humanus.

10 Contra verò; ſecundus Eccleſiæ præcepto ſatisfecit; Quia, cum poni poſſit vera communio externa, ſine interna deuotione, eo quod deuotio non ſit de ſubſtantia veræ communionis, ſed ſolum circumſtantia aliqua, & modus; ſequitur, ſecundum, etiam ponendo communionem indignam, poſuiſſe veram communionem, quia etiam communio indigna eſt vera communio externa, hanc autem ſolum præcipit Eccleſia.

11 Secundò; Quia Eccleſia, ſicut ad rectam gubernationem præcipere poteſt actum Externum, ita præcipere poteſt quidquid eſt neceſſarium ad illum ponendum. Sic enim etiam Reſpublica, quia præcipere poteſt contractum, præcipere conſequenter poteſt voluntatem ſe obligandi, ad verum contractum neceſſariam. Sed ad veram confeſſionem, erat neceſſaria contritio, & ad veram communionem non erat neceſſaria deuotio; Ergo Eccleſia illam præcipere potuit, & non iſtam; ideoque ſecundus præcepto ſatisfecit, & non primus; Secundus enim poſuit quidquid ab Eccleſiâ præcipiebatur, & non primus.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Neque obſtant fundamenta contraria. 12 Nam ad primum fundamentum patet diſparitas; Confeſſio enim ſine contritione, non eſt vera Confeſſio; Communio verò ſine interna deuotione, eſt vera Communio. Eccleſia autem præcipit veram Confeſſionem, ac Communionem.

Ad ſecundum Reſpondetur; actum 13 internum, quando ad externum eſt neceſſarius, & cum illo connexus, per ipſum externum ſufficienter manifeſtari, & bono communi indirectè obeſſe, vel prodeſſe; ſicut directè prodeſt, vel obeſt actus externus, ad quem ordinatur, & cum quo connectitur.

Ad tertium Reſpondetur; Eccleſiam 14 nec cognoſcere, nec punire poſſe actus internos directè, illos tamen cognoſcere, ac punire poſſe indirectè, quatenus directè punit actum externum, cum quo interni connectuntur; ſicut enim præcipiendo actum externum, indirectè præcipit etiam internum ad illum neceſſarium, ita puniendo actum externum, indirectè punit etiam internum cum illo connexum. Neque vllum eſt abſurdum quod actus interni, hoc modo, ſub humanam cadant poteſtatem; ſic enim ab illâ reſpiciuntur, quatenus in actu externo ſunt ſenſibiles & ad rectam Reipublicæ gubernationem conferunt.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Eccleſiam, dum annuam Confeſſionem 15 præ-

præcipit, ſimul etiam indirectè præcipere Confeſſionem peccatorum mortalium internorum, quia ſine hac, Confeſſio non eſſet integra, & conſequenter nec vera, ſed ficta; Integritas enim eſt de iure diuino, & ad Confeſſionis ſubſtantiam pertinet.

16 Secundò; Eandem Eccleſiam, dum Officij Diuini recitationem præcipit, indirectè etiam internam attentionem præcipere. Quia præcipit orationem vocalem; hæc autem, ſine interna attentione ſubſiſtere non poteſt, ſicut ſine interna voluntate ſe obligandi, dari non poteſt verus contractus.

17 Tertiò; Quamuis detur obligatio Sacramenta recipiendi, cum rectâ diſpoſitione interna; Scilicet abſque conſcientiâ peccati mortalis; hanc tamen diſpoſitionem non præcipi fidelibus ab Eccleſiâ; Ad hoc enim ſufficienter obligantur præcepto diuino, quod obligat ad Sancta ſanctè tractanda; & hoc præcepto, etiam Sacerdos, Sacramenta in ſtatu peccati mortalis adminiſtraturus, obligatur ad contritionem.

18 Quartò; Quamuis poteſtas Eccleſiaſtica, ſit poteſtas ſpiritualis; & quia à Chriſto proceſſit; & quia ad animarum bonum ordinatur; & quia circa Sacramenta, ac virtutes ſupernaturales verſatur, Hanc tamen poteſtatem, hæc omnia ordinare ad bonum Fidelium, quatenus inter ſe conueniunt, ad vnum corpus efficiunt, ad quod requiritur, vt omnia, aliquo modo, fiant ſenſibilia, ac cognoſcibilia; Sic enim, & non aliter ad rectam eorum gubernationem conducere poſſunt.

19 Quintò; Eum, qui facit opus præſcriptum à Pontifice ad lucrandas Indulgentias, illas lucrari, quamuis intentionem non habeat illas lucrandi, nec ex tali intentione operetur, quia ad lucrandas Indulgentias ſatis eſt ponere opus à Pontifice præſcriptum; hoc autem poni poteſt etiam ſine intentione lucrandi Indulgentias, cum hæc intentio, ipſius operis præſcripti non ſit forma, ſicut voluntas ſe obligandi, eſt forma contractus.

Sextò; Eum lucrari poſſe Indulgentiam, qui facit opus à Pontifice præſcriptum; v. g. eleemoſynam vel ieiunium, etiam ſi illud faciat ex fine vanæ gloriæ, aut alio quolibet fine malo, quia, ſicut intentio finis boni, non eſt de ſubſtantia operis præſcripti, ſed ſolùm eius circumſtantia, ita intentio finis mali. Ergo, ſicut poni poteſt ſufficienter opus præſcriptum ſine intentione finis boni, ita poni ſufficienter poterit, quamuis ponatur cum intentione finis mali. Neque dici poteſt præſcribi à Pontifice opus honeſtum; opus autem ex fine malo factum, non eſſe honeſtum. Nam Pontifex non alio modo præſcribit v. g. auditionem Sacri ad lucrandam Indulgentiam, quam Eccleſia eandem præcipiat ad colendum Deum. Ergo ſicut per quamcumque Sacri auditionem, etiam ſi ſit poſita ex fine malo, ſatisfit ſufficienter Eccleſiæ præcepto; ita per quamcumque auditionem Sacri etiam poſitam ex fine malo ſatisfiet ſufficienter præcepto Pontificis in ordine ad Indulgentiam lucrandam. Eſto nemo lucrari illam poſſit, niſi tunc ſit in ſtatu gratiæ, cum applicanda eſt Indulgentia; hoc enim oritur non ex eo, quod opus præſcriptum ſufficienter poſitum non fuerit, ſed quia, vt aliquis ſit capax Indulgentiæ, debet eſſe in ſtatu gratiæ; nemo 20

enim, dum eſt Dei inimicus, & pœnâ æternâ dignus, poteſt eſſe dignus remiſſione pœnæ temporalis. Quamuis ergo ad lucrandam indulgentiam requiratur ſtatus gratiæ, non tamen requiritur, vt opus præſcriptum ponatur, vel ex fine honeſto, vel ſine fine malo, ſed ſatis eſt quod ſimpliciter ponatur; alioqui, neque ſatisfieret Eccleſiæ præcepto de audiendo Sacro per auditionem Sacri ex fine veniaſiter, vel mortaliter malo, quod tamen omnes communiter admittunt.

QVAESTIO XI.

An Lex obligare poſſit grauiter in materiâ leui.

CASVS.

1 CVM in quadam Diœceſi, furtum eſſet ſub excommunicatione prohibitum; & Clericis etiam ſub pœna excommunicationis prohibitum eſſet, geſtare comam, & mendacia proferre. Clericus quidam illius Diœceſis, acum Caio Sartori abſtulit, ex cuius ablatione Sartor notabile damnum paſſus eſt; & inſuper comam geſtauit, ac in contemptum Epiſcopi, plura mendacia iocoſa protulit. Quæritur; an, & in quot excommunicationes inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Proprius legis effectus, eſt obligatio.*

3 *Cenſura grauis, non incurritur niſi ob culpam grauem.*

5 *Clericus Sartori vnicam acum ſurripiens, cenſuram non contraxit.*

6 *Ablatio acus, non eſt culpa grauis in genere furti.*

7 *Clericus, nec propter mendacia iocoſa incidit in cenſuram.*

8 *Mendacia illa, non ſunt actio externa ſufficiens ad mortale.*

9 *Clericus, comam geſtando, cenſuram incurrit.*

10 *Geſtatio comæ, ratione alicuius circumſtantiæ, poteſt eſſe culpa grauis.*

11 *Proiectio lapidis in Clericum, quando ad cenſuram ſit ſufficiens.*

12 *Ablatio acus Sartori, quando ſit ſufficiens ad cenſuram.*

13 *Geſtatio veſtis breuis, poteſt eſſe ſufficiens reſpectu Clerici.*

14 *Et ſilentij violatio reſpectu Religioſi.*

15 *Quanam huius rei ſit ratio.*

17 *Prolatio hæreſis, quando cenſura ſubiaceat.*

RATIO-

RATIONES DVBITANDI.

2 CErtum eſt, proprium legis effectum eſſe, ſubditos ad ſui obſeruantiam obligare, hanc enim vim habet lex à poteſtate, ac voluntate Legislatoris; ſicut proprius contractuum effectus eſt, obligare contrahentes. Difficultas ſolùm eſt circa modum obligandi; an ſcilicet Lex obligare poſſit grauiter in materià leui.

3 Certum eſt autem, cenſuram grauem, qualis eſt excommunicatio maior, niſi ob culpam grauem, ac mortalem, incurri non poſſe; pœna enim, vt ſit iuſta, debet eſſe proportionata delicto, ac culpæ; culpæ autem veniali, ac leui non eſt proportionata pœna grauiſſima, qualis eſt excommunicatio maior.

4 Hinc iam oritur ratio dubitandi; Nam Clericus, auferens acum Sartori mortaliter peccauit. Ergo incidit in excommunicationem contra fures latam. Similiter, dum plura mendacia iocoſa protulit in contemptum Epiſcopi, mortaliter peccauit. Ergo etiam propter illa, incidit in excommunicationem. Quia verò comam geſtare, ex ſe, neque venialiter eſt malum, ſed aliquid omninò indifferens, videtur, comam geſtando, mortaliter non peccaſſe, & conſequenter neque in excommunicationem, propter hoc, incidiſſe.

RESOLVTIO I.

5 REſpondetur tamen primò; Clericum, propter furtum acus, in excommunicationem non incidiſſe; *Suar. d. 4. ſ. 6. & lib. 3. de legib. c. 25. num. 3. Nau. c. 17. num. 4. Filliuc. tract. 11. cap. 6. quaſt. 4. & tract. 12. cap. 1. qu. 8. Sayrus lib. 1. cap. 17. num. 8. Coninch. d. 13. dub. 8. num. 66. Reginald. lib. 9. num. 167. Salas de legib. d. 10. ſ. 9. num. 64. & d. 16. ſ. 9. in fine Sanch. de matrim. lib. 9. d. 32. num. 29.*

Prob. quia, vt per actionem aliquam incurratur excommunicatio, vel alia pœna grauis, requiritur, vt actio illa ſit culpa grauis, in genere culpæ prohibitæ; in eo enim genere debet habere proportionem cum pœna; ablatio autem acus, non eſt culpa grauis in genere furti; quod ſolùm per illud decretum, erat prohibitum, ſemper enim eſt ablatio materiæ paruæ, ac leuis, ſed ſolùm in genere, iniuſtitiæ, quia verè, per tale furtum, intulit damnum graue. Ergo propter acus ablationem, incurrere non potuit excommunicationem latam contra fures. Si tamen excommunicatio lata eſſet contra iniuſtos damnificantes, tunc in illam incidiſſet, quia talis ablatio in genere iniuſtæ damnificationis, eſt culpa grauis, ideoque ſufficiens ad excommunicationem incurrendam. 6

RESOLVTIO II.

REſpondetur ſecundò. Clericum, nec propter mendacia iocoſa, quamuis in Epiſcopi contemptum prolata, in excommunicationem incidiſſe. 7

Prob. Quia quamuis, ratione contemptus, fuerint peccata mortalia; adhuc tamen ſecundum ſe conſiderata, & ſecluſo contemptu, non ſunt actio externa ſufficiens ad peccatum mortale, & ad culpam grauem in genere mendacij; Ad cenſuram autem grauem incurrendam, requiritur, vt actio ipſa externa, quæ prohibetur, ſecundum ſe conſiderata, ſit 8

ſit ſufficiens ad culpam grauem; cum enim hæc ſola proprie prohibeatur, ac puniatur, conſequenter hæc etiam ſola, & ſecundum ſe conſiderata, proportionem habere debet cum pœna; non enim punitur internus contemptus, ſed ipſa mendacia. Cum ergo hæc, ex ſe, ſemper ſint materia leuis, nec ſufficiens ad mortale in genere mendacij, conſequenter, neque erunt ſufficientia ad excommunicationem incurrendam.

RESOLVTIO III.

9 Reſpondetur tertiò, Clericum, comam geſtando, in excommunicationem incidiſſe. *Sachez lib. 1. ſum. c. 4. nu. 4. Suarez lib. 3. c. 25. num. 4. Vaſquez 1. 2. d. 158. c. 6. num. 60. Azor. par. 1. lib. 5. c. 6. quæſt. 5. Becanus tract. 3. c. 6. quæſt. 3. num. 6. Reginaldus, & Valentia locis cit.*

10 Prob. quia, quamuis geſtare comam, non ſit actio, de ſe, neque mortaliter, neque venialiter mala, ſed omninò indifferens; fieri tamen poteſt culpa grauis, vel ratione alicuius circumſtantiæ, v. gr. ratione ſcandali, vel ratione finis intenti à Superiore prohibente, ſi Superior, v. gr. intendat, vt ſic magis ſeruetur honeſtas, ac decentia ſtatus clericalis. Ad cenſuram autem incurrendam, ſufficit, quod actio externa prohibita, ex aliquo capite, ſit culpa grauis, ſic enim habet proportionem cum pœnâ.

COROLLARIA.

11 Colligitur ex dictis primò; Eum, qui, dum Clericus tranſiret per viam, ex odio, ac praua voluntate, lapidem è feneſtrâ proiecit, vt illum occideret, ſed caſu leviter ſolum tetigit, excommunicationem non incurriſſe; quia actus ille externus, non fuit ex ſe ſufficiens ad mortale, licet affectus internus, non fuerit mortaliter malus. Cenſura autem non incurritur propter affectum internum, ſed propter actionem externam; Sicut enim hæc eſt, quæ propriè prohibetur, ac punitur, ita hæc eſt, quæ proportionem habere debet cum pœnâ. *Valentia to. 4. d. 7. quæſt. 17. par. 15.*

Secundò; Si, dum Clericus acum Sartori abſtulit, alij eius ſocij, alias res leues abſtuliſſent, quæ tamen ſimul ſumptæ eſſent ſufficientes ad conſtituendam materiam grauem; in hoc caſu, Clericum incurſurum excommunicationem contra fures latam; quia, licet ipſe rem leuem abſtuliſſet; fuiſſet tamen particeps furti, quod ab alijs commiſſum fuiſſet, & acceptum ſimul cum alijs, conſtitueret furtum graue. Similiter excommunicationem incurreret latam contra iniuſtos detentores, qui materiam leuem alicui auferret, ignorans, eidem ablatam fuiſſe aliam materiam, quæ ſimul cum illa conſtitueret materiam grauem, ſi poſt quam cognouit rem ab alijs ablatam, non reſtitueret, quam ipſe abſtuliſſet; quia quamuis res ab eo ablata, ſecundum ſe ſpectata, eſſet leuis, accepta tamen ſimul cum ablata ab alijs, conſtitueret materiam notabilem, & graue damnum Domino inferret; ideoque eam non reſtituere eſſet culpa grauis. Si tamen vnus ex illis reſtitueret, eaque reſtitutione factâ, materia ab alijs retenta non remaneret amplius notabilis, ex- 12

com-

communicationem non incurreret, rem ablatam non reſtituendo, quia detentio illa tunc non eſſet mortaliter mala, nec cauſa grauis damni.

13 Tertiò; Clericum, qui veſtem, vſque ad genua non geſtaret in Diœceſi, in qua hoc præcipitur ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis, ſuſpenſionem incurrere; quia, licet non geſtare veſtem, vſque ad genua, non ſit ex ſe malum graue; poſita tamen Superioris prohibitione, fit malum graue, ratione finis ab eodem intenti; quatenus talis geſtatio per præceptum ordinatur à Superiore ad ſtatus decentiam, ac honeſtatem ſeruandam, qui finis eſt ſufficiens ad reddendam transgreſſionem mortaliter malam, & conſequenter obnoxiam ſuſpenſioni.

14 Quartò; Si Superior Religioſus, ſub mortali, vel ſub pœna excommunicationis, hoc, vel illo tempore, ſilentium præcipiat, peccare mortaliter Subditum, & in excommunicationem incidere, ſi illud non ſeruet: quia, licet ſeruare ſilentium, ſit aliquid ex obiecto leue; fit tamen graue ex circumſtantijs concurrentibus, quas Superior ſpectat, & Subditi ſæpe ignorant, & eius obſeruantia tali, vel tali tempore, valde conferre poteſt ad bonum commune Religionis. *Suarez tom. 3. de relig. lib. 10. c. 9. num. 9.*

15 Conſtat ergo; actionem ex ſe indifferentem, poſſe eſſe materiam prohibitionis, ac pœnæ grauis, quamuis culpa, ex ſe leuis, ac venialis, non poſſit; Quia culpa leuis, ſicut per prohibitionem non conſtituitur in ratione culpæ, ita conſtitui non poteſt in ratione culpæ grauis. Contra vero, actio indifferens, cum per prohibitionem conſtituatur in ratione culpæ, poterit etiam conſtitui in ratione culpæ grauis.

Ratio autem à priori. Cur actio ex ſe 16 indifferens, per præceptum, vel prohibitionem conſtitui poſſit in ratione culpæ, eſt; quia actio illa, cum ex ſe ſit indifferens, eſt ordinabilis ad aliquem finem honeſtum; ſi ergo actio per præceptum Superioris ad illum ordinetur, per talem ordinationem extrinſecam actualem participat honeſtatem finis à Superiore intenti, & conſequenter actio illi oppoſita inhoneſtatem, ac malitiam iuxta menſuram oppoſitionis, quam habebit cum tali fine; ſicut enim veracitas, propter ordinationem, & vtilitatem intrinſecam, quam habet in ordine ad commercium humanum conſeruandum, eſt intrinſecè honeſta, & mendacium propter intrinſecam oppoſitionem cum eodem commercio, eſt intrinſecè malum; ita actio ex ſe indifferens, propter extrinſecam ordinationem, & vtilitatem ad finem honeſtum à Superiore intentum, fit honeſta, & actio oppoſita, propter extrinſecam oppoſitionem cum eodem fine, fiet mala, ac inhoneſta: & ſicut mendacium eſt ex ſe graue, vel leue prout notabiliter, vel leuiter opponitur commercio humano; ita actio externa, poſito præcepto, erit peccatum graue, vel leue, quatenus notabiliter, vel leuiter opponetur fini à ſuperiore intento. Hoc autem iudicandum erit ex circumſtantijs, & in hoc ſtandum erit iudicio prudentum.

Quintò; Eum, qui exterius hæreſim profert, ſed interius bene ſentit, 17 non ſubiacere excommunicationi contra hæreticos latæ, Tum, quia hic

vere non eſt hæreticus. Tum quia, excommunicatio lata eſt contra actionem externam, habentem malitiam hæreſis. Ad cenſuram enim incurrendam neceſſario requiritur, vt actio externa habeat malitiam, ſub cenſura prohibitam. Prolatio autem externa hæreſis, ſine animo interno, non habet malitiam hæreſis, quæ eſt malitia prohibita.

18 Sextò. Quamuis probabile ſit Eum, qui habens actum internum hæreſis, & præuidens periculum illam ore proferendi in ebrietate, voluntariè ſe inebriat; & in ebrietate hæreſim illam profert, incidere in excommunicationem contra hæreticos latam. Tum quia, in hoc caſu, prolatio externa hæreſis videtur habere malitiam hæreſis, cum procedere videatur ex actu interno hæreſis, ſaltem indirectè, quatenus præuidens periculum, illud non vitauit. Tum quia, ſi in ebrietate committeret homicidium ante ebrietatem præuiſum, aut Clericum percuteret, excommunicationem incurreret, ſi lata eſſet contra humicidas, vel contra Clericorum percuſſores; quia committeret veriſſimum homicidium, aut vere percuteret.

Probabilius tamen videri, quod non incurreret; quia excommunicatio impoſita videtur, non ob hæreſim materialem, qualis eſt propoſitio hæretica in ſomnis prolata, ſed ob formalem. Neque eſt eadem ratio de homicidio, aut Clerici percuſſione, in ebrietate, contingente. Nam ipſum homicidium, & Clerici percuſſio, per ſe, ac directè, ſub excommunicatione eſſent prohibita. At hæreſis prolatio, non eſt prohibita per ſe, ſed ſolum quatenus procedit ab interna, quæ exterius proditur, ac manifeſtatur. Ita *Sanchez lib. 2. ſum. c. 8. num. 24. Duardus in Bulla Cœnæ quæſt. 24. nu. 19. Caſtropal. tom. 1. tract. 4. punc. 3. num. 3. in fine. Suarez diſp. 21. de cenſ. ſect. 2. num. 12.* & alij apud iſtos. 19

QVAESTIO XII.

An Lex obliget, etiam cum quocumque incommodo, ac periculo.

CASVS.

1 CVM in Eccleſiâ quadam Campeſtri, quæ tamen erat Parochialis, omnes ſacræ veſtes, noctu furto ſublatæ fuiſſent; mane ſequenti, qui erat dies Aſcenſionis Domini, ad Eccleſiam ex locis vicinis multi confluxerant, vt Sacrum audirent; Cumque Parochum precibus flectere non poſſent, vt ſine Sacris veſtibus celebraret; euaginatis gladijs coegerunt. Quæritur; Vtrum Parochus ſic celebrans, mortaliter peccauerit.

SVMMA-

SVMMARIVM.

1 *Parochus ſine Sacris veſtibus celebrans non videtur mortaliter peccaſſe.*

3 *Leges humanæ non obligant cum periculo grauis damni.*

4 *Non ſtrictius obligant, quam Diuinæ, ac Naturales.*

5 *Aliæ Leges Eccleſiaſticæ, non obligant cum graui incommodo.*

6 *Obligare debent modo humano.*

7 *Reſpublica, cum vitæ periculo obligare non poteſt.*

8 *Parochus ſine Sacris veſtibus celebrans mortaliter peccauit.*

9 *Sicut peccaſſet, ſi Confesſionis ſigillum violaſſet.*

10 *Fecit contra Legem reſpicientem bonum commune Religionis.*

11 *Princeps obligare poteſt, quando hoc eſt neceſſarium ad bonum commune.*

12 *Et quando agitur de contemptu Religionis.*

13 *Lex humana non obligat cum graui incommodo ad actiones bonum commune immediatè non reſpicientes.*

14 *Ad actiones communes ſtrictius obligat, quam Lex diuina ad ſpeciales.*

15 *Lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, eſt lex obligans ad actionem communem.*

16 *Lex obligans ad actiones communes etiam cum periculo, obligat humano modo.*

17 *In quo caſu Reſpublica, de ſubditorum vita diſponere posſit.*

18 *Miles, tempore belli, peccat, ſtationem deſerendo.*

19 *Et excommunicatus vitandus, metu mortis abſoluendo.*

20 *Secus Carthuſianus, in mortis periculo, carnes comedendo.*

RATIONES DVBITANDI.

AD modum obligandi proprium legis, 2
pertinet etiam; an Lex obliget cum quocumque incommodo, ac periculo; aliqui enim putant, legem non obligare; ideoque Parochum, in caſu poſito, celebrantem, mortaliter non peccaſſe. Ita *Valentia diſp. 7. q. 5. p. 6. Suar. de Cenſ. d. 6. ſ. 3. nu. 7. & de legib. lib. 3. c. 30. num. 4. Vaſq. 1. 2. d. 161. c. 2. Sanch. lib. 1. c. 18. num. 4. Azor. p. 1. lib. 1. c. 11. quæſt. 5. & lib. 5. cap. 6. quæſt. 6. Clauis reg. lib. 3. cap. 7. Henriq. lib. 13. cap. 21. num. 2. Bonac. d. 2. de legib. quæſt. 8. p. 2. num. 9.*

Primò; Quia leges humanæ non obli- 3
gant cum periculo grauis damni; Neque enim credibile eſt, eas cum tanto onere obligare, nec legislatores intentionem habuiſſe tunc obligandi; Lex autem ſine Sacris veſtibus non celebrandi, eſt lex humana; eſt enim lex Eccleſiaſtica. Ergo non videtur obligare cum tam graui incommodo, ac periculo; & conſequenter nec Parochus, ſine Sacris veſtibus celebrando mortaliter peccaſſe.

Secundò; quia Lex Eccleſiaſtica ſtri- 4
ctius obligare non videtur, quam obliget lex naturalis, ac diuina; gratis enim daretur illi maior vis obligandi. Sed multæ leges naturales, ac Diuinæ, non obligant cum periculo grauis damni; Votum enim, licet ſit de iure naturali diuino, non tamen obligat cum periculo

grauis

grauis incommodi. Reſtitutio licet ſit iure naturali, ac Diuino præcepta, non tamen obligat cum proprio incommodo, quando hoc, aſt longe maius, quam illud, quod patitur Dominus ex carentiâ rei ſuæ. Confeſſio, licet iure Diuino ante ſumptionem Euchariſtiæ præmittenda ſit, non tamen obligat in omnibus caſibus, ſicut nec obligat præceptum de Confeſſionis integritate. Ergo neque Lex Eccleſiaſtica obligabit cum graui incommodo; ideoque Parochus, ad vitandum mortis periculum, ſine Sacris veſtibus celebrans, legem Eccleſiaſticam non violauit; in eo enim caſu non obligabat.

5 Tertiò; Quia aliæ Leges Eccleſiaſticæ, ieiunij, audiendi Sacrum die feſto, ſoluendi decimas, communicandi in Paſchate, & aliæ ſimiles non obligant cum graui incommodo. Ergo neque Lex prohibens ſine Sacris veſtibus celebrare; nulla enim eſt ratio, cur hæc obliget etiam cum graui incommodo, & non aliæ.

6 Quartò; Quia, eo ipſo, quod lex aliqua, eſt humana, obligare debet modo humano, ſed obligare modo humano, eſt obligare ſine graui incommodo; per hoc enim diſtinguuntur etiam leges Diuinæ, quæ dicuntur obligare humano modo, ab alijs, quæ dicuntur obligare ſimpliciter etiam cum vitæ periculo; vt ſunt leges non fornicandi, non mentiendi, &c. quæ prohibent actiones intrinſecè malas. Ergo lex humana, obligare non debet cum graui incommodo; ideoque lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, in eo caſu, Parochum non obligabat.

7 Quintò; Quia Reſpublica, non eſt Domina vitæ Subditorum, ſed Gubernatrix. Ergo eorum vitam periculo exponere non poteſt, & conſequenter nec per ſuas leges obligare cum vitæ periculo; iniqua enim eſſet gubernatio, ſi per ſuas leges, priuatorum vitam periculo exponeret. Ergo lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, Parochum cum vitæ periculo obligare non potuit.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen; Parochum ſic celebrando, probabilius mortaliter peccaſſe, *Suar. lib. 3. cap. 30. num. 4. Salas de legib. d. 11. ſ. 1. Vaſq. 1. 2. diſp. 161. cap. 2. Azor. lib. 5. cap. 6. Sanchez lib. 1. cap. 18. num. 4. Becanus tom. 2. tract. 3. cap. 6. quaſt. 4. Rodrigu. cap. 194. ſum. concl. 5. Silueſter v. excom. 5. quaſt. 14. Sotus lib. 1. quaſt. 6. art. 4. Caſtrop. tract. 3. de legib. d. 1. p. 16. num. 3.* & alij plures apud iſtos. 8

Primò; Quia, ſi Parochus ex eodem mortis metu, confeſſionis ſigillum violaſſet, vel in vnâ tantum ſpecie conſecraſſet, mortaliter peccaſſet. Ergo etiam mortaliter peccauit, ſine Sacris veſtibus celebrando; Ideo enim mortaliter peccaſſet, ſigillum violando, quia obſeruatio ſigilli ad communem ritum Sacramentorum, & ad rectam eorum adminiſtrationem pertinet; nulla enim alia ratio aſſignari poteſt, quæ ad hanc tandem non reducatur. Sed etiam cum Sacris veſtibus celebrare, pertinet ad communem ritum Sacramentorum, & ad rectam eorum adminiſtrationem; non minus enim pertinet, quam alia. Ergo etiam ſine Sacris veſtibus celebrando, mortaliter peccauit. 9

Secun-

10 Secundò; Quia Si Prælatus, tempore peſtis, legem ferret, qua præciperet, Parochos peſte infectis aſſiſtere in ordine ad Sacramenta miniſtranda, huiuſmodi lex quamuis humana, vim haberet obligandi etiam cum vitæ periculo. Ergo etiam lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, quamuis humana, habebit vim obligandi etiam cum vitæ periculo; Ideo enim lex, peſte infectis aſſiſtendi, haberet vim obligandi etiam cum vitæ periculo, quia eius obſeruatio tunc ad boni communis conſeruationem eſſet neceſſaria; ſed etiam obſeruatio legis ſinè Sacris veſtibus non celebrandi, pertinet ad bonum commune Religionis; pertinet enim ad conſeruationem communis ritus Sacramentorum, & ad rectam eorum adminiſtrationem, quod non eſt minus bonum, quam conſeruatio boni communis temporalis; imo ad ipſum etiam ſpectat; Conſeruatio enim Religionis, eſt eſſentialiter neceſſaria ad conſeruationem boni communis; Ergo etiam lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, habet vim obligandi etiam cum vitæ periculo, ideoque tenebatur Parochus illam non violare.

11 Tertiò; Quia Princeps, pænes quem eſt poteſtas regendi populum, ſubditos mortis etiam periculo exponere poteſt, quando extrema, vel grauis neceſſitas boni communis id exigit; bonum enim commune, particulari præferendum eſt; alioqui ſine hac poteſtate, Princeps bono communi efficaciter prouidere non poſſet. Ergo etiam ſubditus tenetur tale periculum tunc ſubire; Si enim vnuſquiſque ab illo periculo, & præcepto excuſare ſe poſſet, eo quod non videretur magis obligatus, quam quilibet alius, Princeps bono communi efficaciter prouidere non poſſet. Vt ergo huic bono prouidere poſſit, quilibet ſubditus facta aſſignatione, obedire tenetur etiam cum vitæ periculo. Cum ergo, etiam præceptum ſine Sacris veſtibus non celebrandi, ordinetur, & ſit neceſſarium ad communem Sacramentorum ritum conſeruandum, & conſequenter ad bonum commune Religionis, ſequitur, illud obligare etiam cum vitæ periculo; ideoque Parochum, illud violando, mortaliter peccaſſe.

Quartò; Quia, ſi Infidelis, die ieiunij, mortem alicui minaretur niſi ieiunium violaret, & hoc faceret in contemptum legis Eccleſiaſticæ, & in odium religionis, mortaliter peccaret hic, ieiunium violando, ad vitæ periculum vitandum; Hoc enim tunc idem eſſet ac Religionem contemnere. Ergo Parochus, ſine ſacris veſtibus celebrando, ad vitandum mortis periculum, mortaliter peccauit, Ideo enim violans ieiunium tunc peccaret, quia lex ieiunij, in eo caſu, obligat etiam cum vitæ periculo, ad legis Eccleſiaſticæ auctoritatem, & ad Religionem tuendam, eo quod bonum publicum præponderet priuato. Sed etiam lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, ordinatur ad communem Sacramentorum ritum, ipſamque Religionem conſeruandam. Ergo etiam Parochus hoc præceptum violans, mortaliter peccauit; idem enim fuit, ac communem Sacramentorum ritum contemnere. 12

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes autem in contrarium reſpondetur; Ad primam; Leges huma- 13

humanas duo genera actionum poſſe præcipere; ſcilicet vel actiones ſpeciales, quæ ſingulos reſpiciunt, vel communes, ſiue pertinentes ad bonum commune. Ad primum genus actionum, leges humanæ non obligant cum graui detrimento vitæ, honoris, aut rei familiaris. At ad ſecundum genus, obligant etiam cum graui periculo, ac incommodo, quia ab earum poſitione pendet conſeruatio boni communis, quod particulari ſemper præferendum eſt. Hoc autem non contingit in actionibus ſpecialibus.

14 Ad ſecundam Reſpondetur; Legem Eccleſiaſticam, quatenus, obligat ad actiones communes, ſiue pertinentes ad bonum commune, ſtrictius obligare, quam obliget lex naturalis, ac diuina, obligans ad actiones ſpeciales; neque hoc vllum eſſe inconueniens, quia ſic poſtulat bonum commune, quod ſemper particulari præferendum eſt.

15 Ad tertiam reſpondetur; Alias leges Eccleſiaſticas, ibi enumeratas, obligare ſolùm ad actiones particulares, ac ſpeciales, non verò ad communes, ac immediatè reſpicientes bonum commune; & ideo non mirum, ſi non obligent cum graui incommodo. At Lex ſine Sacris veſtibus non celebrandi, obligat ad actionem communem, quia ſine Sacris veſtibus non celebrare, immediatè pertinet, & ordinatur ad communem Sacramentorum ritum conſeruandum. Ergo nullum eſt inconueniens, quod obliget etiam cum graui incommodo.

16 Ad quartam Reſpondetur, Leges humanas, etiam quando obligant ad actiones periculoſas, propter bonum commune præcipere humano modo, quia præferre bonum commune particulari, non eſt principium ſolùm diuinum, ſed etiam humanum. Non dicuntur tamen tunc præcipere modo humano, hoc eſt humanæ fragilitati ſe accommodando; quia neceſſitas boni communis, quod lex vnicè reſpicit, ita poſtulat, & ad hoc cogit.

17 Ad quintam Reſpondetur; Quamuis Reſpublica extra caſum grauis vel extremæ neceſſitatis boni communis, non ſit Domina vitæ ſubditorum; in eo tamen caſu, ex Dei conceſſione, poſſe de Subditorum vitâ diſponere propter conſeruationem boni communis, ſicut propter eamdem rationem, poteſt grauiter delinquentes morte punire. Eo enim ipſo, quod Deus Principibus poteſtatem gubernatiuam conceſſit in ordine ad boni communis conſeruationem, conceſſit etiam quidquid erat ad talem conſeruationem neceſſarium. Erat autem neceſſaria poteſtas, etiam cum vitæ periculo, obligandi; quia tamen hæc obligatio ſummè ardua eſt, ac difficilis, ideo illam conceſſit ſolùm in caſu extremæ, vel grauis Reipublicæ neceſſitatis, & ad bonum commune conſeruandum.

COROLLARIA.

18 Colligitur ex dictis primò; grauiter peccare Militem, ſi contra præceptum Principis, aut Ducis inſtante vitæ periculo, tempore belli, ſtationem deſerat, aut Hoſtem non inuadat, vel non pugnet, aut fugiat; Quia, cum ibi agatur de Reipublicæ, ac boni communis conſeruatione, & Princeps obligare poteſt etiam cum vitæ periculo, & Miles obedire tenetur; poteſt enim Princeps

vitæ

vitæ periculo partem exponere propter bonum commune totius, cum bonum commune, ſemper priuato præponderet. *Vaſq. par. 2. dub. 161. cap. 3.*

19 Secundò ; Excommunicatum vitandum, ſi, metu mortis, pœnitentiæ Sacramentum adminiſtret, mortaliter peccare, quia exercet actionem intrinſecè malam; abſoluens enim ſine iuriſdictione, intentat actum Sacramentalem inualidum, quod eſt directè contra reuerentiam debitam Sacramentis. *Suar. de cenſ. dub. 6. ſect. 3. n. 3.*

Tertiò ; Carthuſianum, aut alium 20
Voto abſtinentiæ à carnibus obſtrictum, imminente vitæ periculo, carnibus veſci poſſe. Tum quia Votum non obligat cum tanto incommodo, & in voto ſubintelligitur hæc conditio, niſi carnium comeſtio fuerit vitæ neceſſaria; hæc enim conditio requiri videtur, vt Votum ſit prudens; Tum quia nulla eſt cauſa abſtinendi à carnibus tempore tantæ neceſſitatis, & aliunde quilibet propriæ vitæ conſulere tenetur. *Azor. to. 1. lib. 5. cap. 6. quæſt. 6.*

QVAESTIO XIII.

An lex obliget ad præueniendum impedimentum.

CASVS.

1 TITIO impoſitum fuerat præceptum de ſoluenda penſione ſuo Penſionario intra ſex menſes, ſub pœna excommunicationis. Ille autem, quamuis, toto primo menſe, ſoluere poſſet, & præuideret, ſe poſt ſex menſes fore impotentem ad ſoluendum, illo menſe ſoluere noluit; poſt ſex menſes vero, non potuit. Quæritur; Vtrum in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Penſionem, ob impotentiam, non ſoluens, cenſuram videtur non incurrere.*

3 *Sicut non incurreret, ſi præuidiſſet mortem Epiſcopi præcipientis.*

4 *Et ſicut, qui ante meridiem, diſcedit à loco, vbi feſtum celebratur, ſacro non audito.*

5 *Et ſicut, qui dat operam venationi, excuſatur à ieiunio.*

6 *Et ſicut, qui mane excommunicationem incurrit, excuſatur à ſacro audiendo.*

9 *Lex obligat ad remouenda impedimenta, & ad ponenda media neceſſaria.*

9 *Præcepta poſitiua, ad quæ media obligent.*

Digitized by Google

10 *Penſionem non ſoluens, peccauit, & incidit in cenſuram.*

11 *Voluntarie ſe reddidit impotentem ad ſoluendum.*

12 *Præceptum obligans ad finem, obligat etiam ad media.*

13 *Impotentia malitioſè aſſumpta, non excuſat.*

14 *Epiſcopi præceptum vrgebat.*

15 *Et erat quaſi negatiuum de ſolutione vlterius non differenda.*

16 *Penſionarius non peccaſſet, ſi ante tempus ſoluendi, præceptum ceſſaſſet.*

17 *Non fuit exemptus ab onere præcepti.*

18 *Tenebatur, ſe non reddere impotentem.*

19 *Quilibet reddens ſe impotentem ad ſeruandum præceptum, peccat.*

20 *Penſionarius ſoluere tenebatur, antequam fieret impotens.*

21 *Non eodem tempore peccauit, ac incidit in cenſuram.*

22 *Ponens impedimentum executioni præcepti, peccat contra præceptum.*

23 *Et qui ob pilæ ludum non ieiunat, contra præceptum ieiunij.*

24 *Secus, qui ex officio laborat, quamuis labore non neceſſario.*

RATIONES DVBITANDI.

2 AD modum obligandi proprium legis, reducitur quoque; an lex obliget ad præueniendum impedimentum; videtur enim non obligare; & conſequenter, Titium, ob penſionem, ex impotentia, non ſolutam, in excommunicationem non incidiſſe. Ita *Tabiena*, Verbo, *Excommunicatio 5. c. 1. num. 35. Sotus in 4. d. 22. quæſt. 1. ar. 2. Henriq. c. 18. num. 4. & de Miſſa c. 25. num. 11. Azor. par. 1. lib. 1. c. 28. quæſt. 9. Auila par. 2. c. 5. d. 5. d. 1. Sayrus lib. 1. c. 18. num. 40.*

Primò; quia, ſi Titius præuidiſſet, ante ſex menſes moriturum Epiſcopum, qui tulit præceptum, non ſoluendo in excommunicationem non incidiſſet; non enim peccaſſet, non ſoluendo primo menſe, quia præceptum pro illo tempore non vrgebat, neque non ſoluendo, in fine ſexti menſis, quia tunc præceptum amplius non obligaſſet; expiraſſet enim morte Epiſcopi præcipientis. Ergo, neque incidit non ſoluendo primo menſe; tunc enim non tenebatur ex vi præcepti, neque in fine ſex menſium, quia tunc, propter impotentiam, non obligabatur. 3

Secundò; quia, qui ſummo mane reperitur in loco, vbi, ex ſpeciali Epiſcopi præcepto, celebratur dies feſtus localis, ſi ſit inde diſceſſurus, & ante meridiem peruenturus ad locum, vbi feſtum illud non celebratur; non peccat, ſacrum non audiendo ante diſceſſum, quia præceptum, tunc non vrget; tempore verò, quo vrgebit, ille non erit amplius in loco, in quo obligat. Ergo ſimiliter Titius non peccauit contra præceptum, ante impedimentum non ſoluendo, quia præceptum pro illo tempore non vrgebat, neque non ſoluendo poſt ſex menſes, quia tunc erat impotens, & conſequenter legitimè impeditus; præceptum autem non obligat impotentes. 4

Tertiò; quia, qui in die ieiunij dat operam venationi, quamuis præuideat, ſe propterea fore impotentem ad ieiunandum, non ieiunando, non peccat, quia cenſe- 5

Digitized by Google

cenſetur legitimè impeditus, & præceptum ieiunij legitimè impeditos non obligat. Sed etiam Titius in fine ſexti menſis, ſupponitur fuiſſe legitimè impeditus ob impotentiam. Ergo, non ſoluendo primo menſe, quamuis præuiderit, ſe fore impotentem in fine ſexti menſis, non peccauit, & conſequenter, neque incidit in excommunicationem. Si enim Venator licitè venationem ponere poteſt, quamuis præuideat, illam impedituram obſeruantiam ieiunij, cur Titius primo menſe licitè ſolutionem omittere non poterit, quamuis præuideat, ſe deinde fore impotentem, & conſequenter impeditum ad præcepto obtemperandum.

6 Quartò; quia, qui, die feſto, mane antequam audiat ſacrum, percutit Clericum, præuidens, fore, vt illud deinde, propter excommunicationem audire non poſſit, non peccat contra Miſſæ præceptum, illam ante Clerici percuſſionem non audiendo. Ergo à fortiori, non peccauit Titius contra Epiſcopi præceptum, primo menſe non ſoluendo; ideo enim Clerici percuſſor, Sacrum, ante Clerici percuſſionem non audiendo, non peccauit contra præceptum Miſſæ audiendæ, quia, tunc ſacrum audire non tenebatur, tempore vero ſequenti, erat legitimè impeditus; ſed etiam Titius, primo menſe ſoluere non tenebatur, & in fine ſex menſium erat, ob impotentiam, legitimè impeditus. Ergo, neque Titius peccauit contra Epiſcopi præceptum; ideoque in excommunicationem non incidit.

7 Quintò; quia Titius, primo menſe non ſoluendo, numquam fecit contra præceptum: Non enim fecit contra præceptum, primo menſe, quia præceptum non obligabat pro primo menſe, ſed ſolum poſt ſex menſes; neque fecit contra illud, poſt ſex menſes; quia, cum eo tempore eſſet impotens, præceptum tunc, illum non obligabat. Si autem non fecit contra præceptum, neque incidere debuit in pœnas per præceptum impoſitas.

NOTABILIA.

ADuertendum eſt primò; Legem, eo 8 ipſo, quod obligat ad aliquid ponendum, ſimul etiam obligare ad ea omnia impedimenta remouenda, & media ponenda, quæ ad rem præceptam ponendam ſunt neceſſaria. Præceptum enim obligans ad Sacrum audiendum, ſimul obligat, ad eo tempore non ludendum, & ad eundum ad Eccleſiam. Quia ludus eſt impedimentum ad Sacrum audiendum, & iter ad Eccleſiam eſt medium neceſſarium. Lex autem præcipiens finem, media ſimul præcipere cenſetur. Ad hæc tamen impedimenta remouenda, ac media ponenda, non omnes leges æqualiter obligant; Nam præcepta naturalia, ſicut omninò, & in quibuſcumque circumſtantijs obligant ad rem præceptam ponendam, vel omittendam, ita per ſe obligant ad omnia prorſus impedimenta remouenda, & ad omnia media neceſſaria ponenda. Vnde Confeſſarius, Iudex, & Aduocatus addiſcere tenentur, quæ ad rectam ſui officij executionem ſunt neceſſaria, & remouere impedimenta, quæ obſtare viſa fuerint; præſcribens enim abſolutè finem, etiam media ad illum neceſſaria præſcribere debet. At verò, præcepta poſitiua, ſicut non

obligant abſolutè, ſed ſolum, quando, ſine graui incommodo impleri poſſunt; ita non obligant ad omnia prorſus media ponenda, quæ ad eorum executionem aliquo modo neceſſaria videntur, nec ad omnia impedimenta remouenda, ſed ea ſolum, quæ ſine graui incommodo poni, vel remoueri à nobis poſſunt; obligatio enim ad media ſimilis eſſe debet obligationi ad finem, cum ex eo oriatur. Imo Legislator humanus regulariter cenſetur habere voluntatem obligandi ſolum ſub conditione, quod quis liber ſit, & expeditus; ſic enim præceptum ieiunij obligat ſolum, poſito quod quis legitimè impeditus non ſit.

9 Aduertendum eſt ſecundò, Etiam præcepta poſitiua obligare ad ponenda ea media, quæ per ſe, intrinſecè, & ex natura rei, ad eorum executionem ſunt neceſſaria, & ad ea impedimenta remouenda, quæ eidem executioni, per ſe, & ex natura rei, obſtant. Sic enim præceptum obligans ad horas Canonicas recitandas, obligat ad non proijciendum Breuiarium; & qui die feſto ſe inebriat præuidens, hanc ebrietatem illi fore impedimentum ad ſacrum audiendum, dum ſe inebriat, peccat contra Eccleſiæ præceptum, quia apponit impedimentum per ſe obſtans executioni præcepti; Ad alia vero impedimenta remouenda, ac media ponenda, magis, vel minus obligant, prout magis, vel minus obligant ad finem; Hoc autem, ex conſuetudine, ac modo, quo præceptum eſt receptum, colligi poterit. *Sanch. lib. 1. in dec. cap. 15. num. 4.* His poſitis.

RESOLVTIO.

10 His tamen non obſtantibus Reſpondetur; Titium, primo menſe non ſoluendo, mortaliter tunc peccaſſe; elapſo vero ſexto menſe, etiam in excommunicationem incidiſſe. *Suarez diſp. 20. ſect. 2. num. 16. Filliuc. tract. 11. cap. 8. quæſt. 8. num. 243. Leſſius lib. 2. c. 15. d. 8. num. 50 & c. 16. d. 1. num. 23. & lib. 4. cap. 2. d. 6. num. 44. Reginaldus lib. 9. num. 206. Molina diſp. 754. Vaſquez d. 10. de reſtitut. d. 1. Bonacina d. 2. de legib. quæſt. 8 pun. 1. num. 9.* & cæteri fere omnes communiter.

Primò; quia, non ſoluendo, peccauit contra Epiſcopi præceptum; pecuniam enim expendendo, voluntarie ſe reddidit impotentem ad ſoluendum deinde, elapſo termino conſtituto. Sicut ergo, qui initio diei, proijciendo Breuiarium in mare, ſe reddit impotentem ad officium ea die recitandum, peccat contra præceptum officij recitandi; ita Titius, pecuniam libere expendendo, ſicque ſe reddendo impotentem ad penſionem, tempore debito, ſoluendam, peccauit contra Epiſcopi præceptum, & conſequenter, elapſo termino, incidit in excommunicationem, quia tunc ſolum, exterius præcepti omiſſionem conſummauit, ſiue poſuit externam omiſſionem ſub excommunicatione prohibitam, quamuis antecedenter illius omiſſionis cauſam poſuerit, & tunc propriè peccauerit. 11

Secundò; quia præceptum, obligans ad aliquem finem, obligat ſimul ad non ponenda voluntarie impedimenta ad illum finem; præceptum enim recitandi officium Diuinum, obligat ſimul ad non proijciendum Breuiarium in mare; & præceptum audiendi Sacrum, obligat etiam ad non reddendum ſe directe impotentem ad illud audiendum; ſed Titius, 12

pecu-

Digitized by Google

pecuniam expendendo, reddidit ſe vo- voluntariè impotentem ad ſoluendum tempore debito. Ergo fecit contra obligationem præcepti; ideoque in eius pœnas merito incidit. Impotentia enim, quæ voluntariè incurritur, aſſumitur potius, quam incurratur, ideoque non excuſat à culpa.

13 Tertiò; quia, ſi impotentia voluntariè aſſumpta, eſſet ſufficiens ad excuſandam præcepti transgreſſionem à culpâ, ſequeretur, quod etiam impotentia malitioſè aſſumpta, eſſet ſufficiens; quod enim ſit aſſumpta malitioſè, vel ſine malitia, eius naturam non mutat, nec rationem impedimenti; ſicut, infirmitas, quia eſt, ex ſe, ſufficiens ad excuſandum ab auditione ſacri in die feſto, eſt ſufficiens, ſiue fuerit contracta culpabiliter, & per intemperantiam, ſiue inculpabiliter, & caſu; quia modus illam contrahendi, eius naturam non mutat. Si autem impotentia malitioſè aſſumpta ſufficeret ad præcepti transgreſſionem excuſandam à culpâ, vnusquisque malitioſè à cuiusuis præcepti obligatione ſe ſubtrahere poſſet, ſicque vim legis effugere, ſiue potius eludere; quod ſine maxima legum, & boni communis perturbatione concedi non poteſt. Ne ergo concedamus, Titium, impunè, totam pecuniam malitioſè expendendo, vel donando, vel conſumendo, excommunicationis vim euaſiſſe, dicendum eſt, eum in excommunicationem incidiſſe. Quod autem dicitur de malitia, dicendum videtur etiam de graui negligentia; hæc enim æquiualet malitiæ, & cenſetur dolus præſumptus, & interpretatiuus.

14 Quartò; quia præceptum Epiſcopi de penſione, intra ſex menſes ſoluendâ, ante iſtos ſex menſes, non fuit ſuſpenſum, nec eius obligatio ceſſauit; cauſæ enim, ob quas præceptum latum, ſub conditione intra certum terminum implendâ, ſuſpenditur, aut ceſſat, ſunt, aut voluntas directa præcipientis, cum ab illa maxime pendeat; aut mors, vel amiſſio iurisdictionis eiusdem, cum præceptum expiret morte, vel naturali, vel Ciuili Præcipientis, ſicut mandatum morte Mandantis; Epiſcopus autem, nec mortuus eſt, nec iurisdictionem amiſit, nec præceptum reuocauit. Ergo, elapſo ſex menſium termino, ſtatim obligauit Titium alias non legitimè, quia voluntariè, impeditum, ac impotentem. Cum igitur huic obligationi Titius non ſatisfecerit, peccauit contra præceptum, ac fuit contumax, ideoque excommunicationem incurrit.

15 Quintò; quia Epiſcopi præceptum de penſione, intra certum terminum, ſoluendâ, erat quaſi negatiuum, ſolutionem vltra terminum præfixum non differendi; terminus enim ille, non erat deſignatus ad finiendam obligationem, ſed ad differendam executionem vsque ad illum, & non vltra, cum præceptum reſtitutionis, & ſolutionis debiti, ex natura ſua ſemper obliget. Huiusmodi autem præceptum, cum intra terminum præfixum, ex quacumque causâ, non impletur, non propterea extinguitur, ſed ſemper obligat, ne ſolutio vlterius differatur. Cum ergo Titius, intra terminum præfixum, penſionem non ſoluerit, non propterea, elapſis ſex menſibus, ab eius obligatione liberatus eſt, ſed potius obligari cœpit ad ſoluendum quam pri-

mum, ſiue ad ſolutionem non vlterius differendam; Et contra hanc obligationem fecit, ob impotentiam voluntariam, non ſoluendo, ideoque merito excommunicationem incurrit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

16 AD rationes autem in contrarium, facile ex dictis patet reſponſio. Ad primam enim reſpondetur; fore, vt Titius non peccaſſet, non ſoluendo, ſi ante ſex menſes elapſos, Epiſcopus fuiſſet mortuus; quia, tunc ceſſaſſet præceptum ante terminum præfixum ad obligandum. At in noſtro caſu præceptum non ceſſauit, nec Titius habuit cauſam illum ſufficienter excuſantem.

17 Ad ſecundam ſimiliter reſpondetur; Eum, qui à proprio territorio recedit, per receſſum eximi ab onere, & obligatione legis, quæ in territorio, ad quod tendit, non obligat. At Titius præuidens fore, vt poſt ſex menſes, eſſet impotens ad ſoluendum, non fuit exemptus ab onere præcepti; præceptum enim illum obligabat, vt, quocumque tempore moraliter poſſet, intra ſex menſes, penſionem debitam ſolueret. Cum ergo poſſet primo menſe, tunc illum ſoluere tenebatur, & non ſoluendo peccauit.

18 Ad tertiam reſpondetur. Primò, à multis negari antecedens. Secundò, adhuc dari diſparitatem; nam, qui venationi laborioſæ dat operam, præuidens fore, vt ob nimiam corporis defatigationem ieiunare non poſſit, excuſari poteſt à peccato contra ieiunij præceptum, quia venatio non eſt cauſa per ſe, ſed ſolum per accidens fractionis ieiunij, ratione, ſcilicet laboris annexi; Vnde præceptum ieiunij illam non prohibet, cum non ſit cum ieiunio incompoſſibilis. At impotentia, eſt cauſa per ſe ſolutionem omittendi; eſt enim cum ſolutione incompoſſibilis; & ideo præceptum obligans ad ſolutionem, obligat etiam ad non reddendum ſe impotentem ad ſoluendum; & hanc obligationem Titius violauit, pecuniam primo menſe expendendo, ſicque reddendo ſe impotentem ad ſoluendum tempore debito.

Ad quartam; negatur antecedens; 19 Qui enim, die feſto, mane Clericum percutit, præuidens fore, vt, propter excommunicationem, in quam incidet ipſo facto, Sacrum audire non poſſit, peccat etiam contra præceptum audiendi Sacrum, quia voluntariè ſe reddit impotentem ad ſacrum audiendum; ſicut, qui mane proijcit Breuiarium in mare, voluntariè reddit ſe impotentem ad officium eo die recitandum; ideoque peccat contra præceptum obligans ad horas canonicas recitandas.

Ad quintam reſpondetur; Titium fe- 20 ciſſe contra Epiſcopi præceptum, non ſoluendo primo menſe, quia præceptum obligabat ad ſoluendum, quocumque tempore intra ſex menſes moraliter poſſet. Titius autem videbat, ſe alio tempore mortaliter non fore potentem ad ſoluendum, quam primo menſe. Ergo tunc ſoluere tenebatur; & ideo non ſoluendo peccauit.

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; Titium 21 non eodem tempore contra Epiſcopi præce-

præceptum peccaſſe, ac in excommunicationem incidiſſe. Statim enim, ac aduertit, ſe futurum poſtea impotentem ad ſoluendum, & culpabiliter non ſoluit, factus eſt reus culpæ, ac obligationis ad excommunicationem incurrendam; eam tamen ſolum in fine termini ſex menſium præſcripti contraxit, quia, tunc ſolum poſuit externam ſolutionis omiſſionem, ſub excommunicatione prohibitam. Eam autem contraxiſſet, etiam ſi factus impotens ad ſoluendum, de omiſſâ ſolutione doluiſſet, quia ad cenſuram incurrendam, non requiritur, vt quis tunc peccet, ſed ſatis eſt, præſciuiſſe, & peccaſſe, ac fuiſſe contumacem in causâ. *Suarez d. 20. ſect. 2. num. 16.*

22 Secundò; Eum, qui veſpere ante diem feſtum comedit cibum, ex quo præuidet die ſequenti impediendum ob infirmitatem, à Sacro audiendo. Mortaliter peccare contra Eccleſiæ præceptum de Sacro audiendo. Quia non minus tenetur impedimentum hoc remouere, quam ſomnum, vel ludum tempore, quo Sacrum eſt audiendum. Ratio enim dictat, vt, quando vrget præceptum, vel proxime eſt, vt vrgeat, remoueantur, quæ eius executionem impediunt. Cum verò præceptum adhuc non vrget, & eſt adhuc remotum, tunc tanta non videtur dari obligatio impedimenta remouendi.

Tertiò. Eum ſimiliter, qui die ieiunij vult ludere ludo pilæ, vel alio labore non neceſſario, neque honeſto occupari, ex quo ſequatur defatigatio, ac ieiunij violatio; mortaliter peccare non ieiunando, ſicut mortaliter peccat, qui die feſto, tempore quo audiendum eſt Sacrum, vult ludere. Quia non minus in vno caſu, quam in alio ponitur impedimentum executioni præcepti per cauſam, cuius poſitio, ex nullo capite, honeſtatur. 23

Quartò. Non peccare eum, qui die ieiunij ex officio laborat, vel peregrinationem aliquam facit, aut aliud opus honeſtum, vel pium exercet, quamuis ſciat ſe inde reddi impotentem ad ieiunandum; quia hæc impedimenta, ex conſuetudine, & communi ſenſu Doctorum, ac Fidelium, abſque culpa apponi poſſunt. Imò hæc, non tam ſunt impedimenta, quam cauſæ excuſantes: præceptum enim ieiunij non obligat laborantes, quamuis labore non neceſſario, alioqui ieiunare tenerentur etiam Agricolæ, Fabri lignarij, & Ferrarij, ac Diuites, qui, ſine vllo incommodo illa die à labore ceſſare poſſent, quod tamen eſt contra conſuetudinem, & communem Doctorum ſenſum, ac praxim Fidelium. *Io. Sanchez d. 54. ſelec. num. 14.* 24

QVAESTIO XIV.

An lex pœnalis obliget in conſcientia.

CASVS.

1 CVM in quadam Ciuitate, plurima committerentur homicidia; Princeps, ad ea extirpanda, ſub pœnà mortis prohibuit, ne quis ignea tormenta, ſiue longiora, ſiue breuiora, præſertim noctu, geſtaret. Ciuis tamen quidam, cum inimicitias haberet, tormentum igneum breuius ad ſui defenſionem, noctu ſæpius geſtauit. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Lex pœnalis obligare videtur ad culpam.*
3 *Continet præceptum.*
4 *Et omnis pœna ſupponit culpam.*
5 *Legislator intendit prohibere actum, dum pœnam imponit.*
6 *Pœna grauis, indicat culpam grauem.*
7 *Legislator exprimere ſolet, quando ad culpam non obligat.*
8 *Multæ leges pœnales, obligant ad culpam.*
9 *Et lex pœnalis Diuina ad utrumque obligat.*
10 *Pœnæ appoſitio indicat, Legislatorem velle obligare ad culpam.*
11 *Indicat, velle obligare, quantum poteſt.*
12 *Leges pœnales Eccleſiaſticæ, obligant etiam ad culpam.*
14 *Vnusquisque tenetur, ſe grauis mali periculo non exponere.*
15 *Lex, tam Ciuilis, quam Eccleſiaſtica, habet vim obligandi ad culpam.*
16 *Ad ſic obligandum, requiritur voluntas Legislatoris.*
17 *Lex pœnalis Canonica, obligat etiam ad culpam.*
18 *Dantur aliquæ leges ad pœnam ſolum obligantes.*
19 *Quot modis lex ferri poſſit.*
20 *Lex, modo præceptiuo lata, obligat ad culpam.*
21 *Sufficienter indicat intentionem Legislatoris ſic obligandi.*
22 *Obligat ad culpam, ſicut ſi non obligaret ad pœnam.*
23 *Et ſicut ſimile Votum, obligat ad culpam.*
24 *Dantur multæ leges, quæ de facto ſic obligant.*
26 *Lex pœnalis, verbis indifferentibus lata, non obligat ad culpam.*
27 *Legislator, præſumitur non habere intentionem, tunc ad illam obligandi.*
28 *Votum ſimile, non obligat ad culpam.*
29 *Lex Ciuilis ſic lata, obligat ſolum ad pœnam temporalem.*
30 *Legislator non exprimit, ſe velle ad culpam obligare.*
31 *Obligatio ad pœnam, ſufficit ad bonam gubernationem.*
32 *Lex, in dubio, minus pœnalis indicanda eſt.*
33 *Lex Ciuilis obligat ſolum quatenus à Populo eſt recepta.*
34 *Pœna temporalis, culpam ſolum ciuilem ſupponit.*

38 *Lex*

Digitized by Google

38 *Lex, vt obliget, exprimere debet voluntatem Legiſlatoris.*
42 *Cum Legiſlator potens exprimere, non exprimit, ſignum eſt ipſum nolle.*
43 *Leges obligantes ad pœnam ſpiritualem, obligant etiam ad culpam.*
44 *Aliquando datur obligatio per accidens ad actum, cui pœna eſt impoſita.*
45 *Legis transgreſſor, non ſemper grauis mali periculo ſe exponit.*
46 *In quo differant Conſilium, Præceptum, ac Lex.*
47 *Lex pœnalis fertur ſolum in pœnam actui impoſitam.*
48 *In quo diſtinguatur lex pœnalis à præceptiua.*
49 *Multæ leges, quarum violatio, non eſt culpa.*
50 *Quid legis pœnalis ſit proprium.*

RATIONES DVBITANDI.

1 CVm proprius Legis effectus ſit, ſubditum obligare, & lex pœnalis ſit aliqua lex; conſequens eſt, vt ipſa etiam aliquam pariat obligationem. Quæſtio ſolum eſſe poteſt; an obliget ſolum ad pœnam, an vero etiam ad culpam. Aliqui enim putarunt, obligare etiam ad culpam, & ideo Ciuem, arma ad ſui defenſionem, contra Principis prohibitionem, geſtando, mortaliter peccaſſe. Ita *Azor. tom. 1. lib. 5. c. 6. qu. 5. Bonacina d. 1. quaſt. 1. punct. 7. §. 2. num. 3. Salas d. 10. ſect. 9. num. 47. & d. 14. ſect. 1. num. 17. Suarez lib. 5. de legibus c. 3. num. 16. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 4. n. 6. Vasquez d. 159. c. 2. Clauis Regia lib. 3. c. 9. num. 10.*

2 Primò; quia Lex pœnalis continet præceptum, de cuius eſſentia eſt, obligare in conſcientià; præceptum enim, per hoc differt à conſilio, quod conſilium non obliget ſub culpà, præceptum verò obliget.

Secundò; quia omnis pœna, ſupponit culpam; imponitur enim ſolum propter culpam; Vnde, ſi quis legem pœnalem, inuincibiliter ignorans, transgrediatur, non cenſetur, dignus pœnà quia nullam culpam commiſit. Ergo lex, eo ipſo, quod pœnam imponit, obligat neceſſariò etiam ad culpam; hæc enim debet neceſſariò præcedere; alioquin pœna à lege Delinquenti taxata, iuſtè imponi non poſſet. 4

Tertiò; Quia, quando Legislator alicui actui pœnam imponit, intendit actum illum prohibere; propter hoc enim pœnam imponit, ne actus fiat. Facere autem contra prohibitionem tacitam, vel expreſſam Superioris, eſt culpa. 5

Quartò; Quia leges pœnales aliquando transgreſſoribus imponunt pœnas graues, aliquando leues. Hoc autem non aliunde oritur, niſi quia aliquando agnoſcunt culpam grauem, aliquando leuem. 6

Quintò; Quia, quando Legislator in re alias non præceptà, intendit non obligare ad culpam, hoc ſolet exprimere; ſic enim plurium Religioſorum Conſtitutiones ad nullam culpam obligant, quia illarum Religionum Fundatores ita voluerunt, & hanc ſuam voluntatem expreſſerunt. Ergo eo ipſo, quod hoc non exprimit, ſignum eſt, quod velit obligare. 7

Sexto; Quia lex, qua in *cap. finali tit. de celebr. Miſſ.* præcipitur, ne Latinus in Occidentali Eccleſià conſecret in pane fermentato ſub pœnà priuationis officij, ac beneficij; præceptum recitandi horas canonicas ſub pœnà amiſſionis fructuum; lex ſoluendi vectigalia ſub pœnà amiſſionis 8

mercium; & aliæ ſimiles leges, ſunt leges pœnales; & tamen obligant in conſcientiâ. Ergo lex pœnalis; obligat in conſcientiâ; ideoque Ciuis, contra Principis prohibitionem, arma geſtando mortaliter peccauit.

9 Septimò; Quia lex pœnalis Diuina, obligat non ſolùm ad pœnam ſed etiam ad culpam; vt conſtat in primâ lege data homini; *Gen.* 2. de omni ligno Paradiſi commede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris: hæc enim lex obligauit ad culpam *ex Apoſtolo Rom.* 3. & ſimul ad pœnam mortis. Ergo etiam lex pœnalis humana, ad vtrumque obligabit; lex enim humana, eſt imitatio diuinæ, eiusque participatio.

10 Octauò; Quia pœnæ appoſitio, indicat, Legislatorem velle obligare ad culpam; indicat enim, Legislatorem, non vtcumque velle fieri id, quod præcipit, ſed vehementiſſimè velle, cum pœnam de transgreſſoribus ſumat; ideoque iudicare illud bono communi Reipublicæ, cuius, ipſe curam gerit, maximè expedire, & malum eſſe, contrarium facere. Voluntas autem, & intentio Legislatoris, eſt menſura obligationis in lege.

11 Nonò; Quia, quando Legislator præcipit aliquid non tantum ſimpliciter vtile ad bonum commune ſed maximè neceſſarium, rationabiliter præſumitur, velle ad illud obligare quantum poteſt, & pœnam apponere, vt diligentius, ac melius obſeruetur. Cum ergo obligare poſſit non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad culpam; dicendum eſt, velle ad vtramque obligare, vt ſic melius finem intentum conſequatur: ideoque leges de non extrahendis equis ex aliquo Regno tempore belli; aut de non extrahendo frumento, vino, aut alia re ſimili ex Territorio, ne Territorium illud remaneat exhauſtum, & graue damnum patiatur, quamuis addant pœnam; videntur tamen etiam obligare in conſcientiâ, quia hæc videtur eſſe Legislatoris intentio.

Decimò; Quia Leges pœnales Eccleſiaſticæ, obligant non ſolùm ad pœnam ſpiritualem excommunicationis, ſuſpenſionis &c. ſed etiam ad culpam. Ergo etiam aliæ omnes leges pœnales obligabunt ad vtrumque; Non enim eſt maior ratio vnius, quam alterius. 12

Vndecimò; Quia lex iuſta, eo ipſo quod iuſta eſt, obligat in conſcientiâ; hac enim ſolùm de cauſa lex mercibus, & alijs rebus ſimilibus pretium taxans, obligat in conſcientiâ, quia iuſta eſt; Nam eo ipſo, quod lex aliqua iuſta eſt, conſtituit rem præceptam in materiâ alicuius virtutis, ſicut lex mercibus pretium taxans, illud conſtituit in materiâ iuſtitiæ. Res autem, eo ipſo, quod eſt materiâ alicuius virtutis, eſt neceſſaria ad Beatitudinem, & conſequenter obligat in conſcientiâ. 13

Duodecimò; Quia vnusquisque, in conſcientiâ tenetur, mortis, aut alterius grauis mali periculo temerè non ſe exponere. Ergo in conſcientiâ, legem pœnalem ſeruare tenetur; illam enim non ſeruando pœnæ transgreſſoribus impoſitæ periculo, ſe exponeret. 14

NOTABILIA.

IN hac Quæſtione grauiſſimâ, ac ſanè difficili, quædam ſunt certa; quædam dubia. Certum eſt primò; Legem, tam Eccleſiaſticam, quam Ciuilem, habere vim, & efficaciam Subditos obligandi in 15

com-

conſcientiâ, ita vt transgreſſores mortaliter peccent; Sic enim videtur definitum *Roman.* 13. dum dicitur; omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem Dei ordinationi reſiſtit, ſibi damnationem acquirit; & conſequenter peccat. Ratio autem eſt; Primò, quia quilibet Legiſlator humanus, regendi poteſtatem à Deo accepit, iuxta illud *Prou.* 5. Per me Reges regnant, & legum Conditores iuſta decernunt *&* *Sap.* 6. Audite Reges quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis; ideoque cum imperat. Dei nomine imperat, & tanquam eius Vicarius; vnde qui eius mandata contemnit, Dei iuſſa ſpernit, iuxta illud *Lucæ* 10. Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit. Cum ergo Legiſlator humanus, nomine Dei, & per poteſtatem ab eo acceptam, legem imponat, ſequitur, Deum obligare ad illam ſeruandam, & pœnam æternam transgreſſoribus conſtituere. Secundò; Quia poteſtas obligandi in conſcientiâ, erat Reipublicæ gubernationi, & bonis moribus Subditorum maximè neceſſaria; ſi enim hi obligari non poſſent in conſcientiâ, ſed ſolùm timore pœnæ moueri deberent ad legem ſeruandam, nullam legem perfectè ſeruarent, ſed eatenus ſolùm, quatenus timerent pœnam illis eſſe imponendam. Sic autem aperiretur via innumeris ſimulationibus, ac fraudibus contra legem, cum maximo Reipublicæ detrimento.

16 Certum eſt ſecundò; Ad legis obligationem in conſcientiâ requiri voluntatem Legiſlatoris, nec ſufficere poteſtatem; menſura enim obligationis in lege, eſt voluntas Legiſlatoris, ſicut menſura obligationis in Voto, eſt animus, ac intentio Vouentis; ſicut ergo Votum obligat ad culpam, vel ad pœnam prout vouens voluit ſe obligare; ſi enim voueat ſimpliciter non ludere, obligat ad culpam, ſi verò voueat non ludere ſub pœnâ ſoluendi decem aureos, obligat ſolùm ad pœnam; ita lex obligabit ad pœnam, vel ad culpam prout Legiſlator voluerit. Sicut autem ad legis obligationem requiritur promulgatio, per quam Legiſlatoris voluntas manifeſtetur, ita ad obligationem in conſcientia requiritur talis modus publicationis, qui hanc ipſam voluntatem manifeſtet.

Certum eſt tertio; Legem pœnalem 17 Canonicam, quando obligat ad pœnam ſpiritualem, qualis eſt Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum, Irregularitas, depoſitio, & ſimiles; obligare etiam ad culpam; Cum enim pœnæ iſtæ, ſpirituales ſint, & grauiſſimæ, requirunt, & ſupponunt neceſſariò culpam ſpiritualem, & non ſolùm ciuilem: nam hæc ſola, eſt pœnæ ſpirituali proportionata; Vnde ad has cenſuras, & pœnas incurrendas, nòn ſufficit voluntas Prælati, ſed ſubditi delictum neceſſariò requiritur.

Certum eſt quartò; dari aliquas leges 18 obligantes ſolùm ad pœnam, & non ad culpam; vt ſunt leges Sodalitatum, aut Collegiorum, quæ extruuntur, & dotantur ad communem multorum vitam ſuſtentandam, aut ad ſtudia literarum promouenda; Hæ enim, cum procedant à non habentibus poteſtatem leges condendi, obligare non poſſunt in conſcientiâ, ſed ſolum ex conuentione, & pacto, ad ſoluendam pœnam, earum transgreſſoribus impoſitam. Idemque dicendum eſt de Legato, quod

Teſtator alicui relinquit, ſi hoc, vel illud jecerit, alioquin illud amittat; hoc enim etiam, non obligat ad hoc, vel illud faciendum, ſed ſolum ad Legatum non retinendum, ſi non faciat.

19 Dubium ergo ſolùm eſt; An Lex Ciuilis obliget in conſcientià ad actum præceptum, & cui pœnam imponit. Dupliciter autem lex quæcumque ferri poteſt. Primo ſub hac formà; *Præcipimus, ne quis arma noctu ferat; quod ſi ea tulerit, pœnam mortis incurrat.* Secundo ſub hac; *Præcipimus, ne quis ſub pœna mortis arma noctu ferat; Vel ſi quis arma noctu tulerit, pœnam mortis incurrat; Vel quicumque noctu arma tulerit, reus ſit mortis.* Hi enim tres modi, licet differant verbis, in re tamen non differunt, ſed æquiualenter ſunt idem. Si primo modo feratur, certum videtur, eam obligare in conſcientià ad actum præceptum; quia per illum modum præceptiuum, Legiſlator ſufficienter declarat, ſe habere intentionem obligandi in conſcientià non minus, quam ſi ſolùm præciperet; & pœnam non imponeret; Vtitur enim ijsdem verbis præceptiuis. Hæc tamen, non eſt propriè lex pœnalis; Non enim eſt vna lex, ſed potius duplex, & quaſi mixta ex præceptiua, ac pœnali, cum pœnam, & præceptum contineat; Sicut, ſi quis hoc modo Votum emitteret, *Voueo abſtinentiam à ludo, & ſi luſero voueo decem aureos tali Hoſpitali*; Hoc non eſſet vnum Votum, ſed duplex, alterum obligans ad non ludendum; alterum ad ſoluendos decem aureos ſi ludus ponatur. Si lex ſecundo modo feratur, tunc eſt ſimpliciter vna lex, & propriè pœnalis; ſicut, ſi quis voueat ſoluere decem aureos ſi luſerit, eſt vnum tantum Votum; illudque propriè pœnale. Hæc autem, ex intentione Legiſlatoris, obligare videtur ſolùm ad pœnam, ſicut Votum; Sicut enim vouens, non intendit ſe obligare ad non ludendum, ſed ſolùm, ſuppoſito ludo, ad pœnam, Ita Legiſlator, hoc modo legem ferens, non præſumitur habere intentionem obligandi ad actum, ſed ſolùm, ex ſuppoſitione actus, ad pœnam; Imo repugnare videtur, legem propriè pœnalem, obligare ad actum, cui pœna imponitur; Lex enim pœnalis, per hoc diſtinguitur à præceptiua, quod hæc obligat ad actum; illa verò ad pœnam, vt patet etiam in Voto. His poſitis,

RESOLVTIO I.

AD Caſum Reſpondetur primò; Si Lex 20
prohibens geſtationem tormenti ignei, fuit lata primo modo, Ciuem, per ſe loquendo, mortaliter peccaſſe, illud geſtando. *Suarez lib. 5. de legib. cap. 3. num. 16. Vasq. d. 159. cap. 2. Bonac. diſp. 1. queſt. 1. pun. 7. §. 4. num. 3. Sanch. lib. 6. in dec. cap. 4. num. 6. Becan. tract. 3. cap. 6. q. 3. num. 7.* & eſt communis.

Primò; Quia lex lata verbis præcepti- 21
uis, obligat in conſcientià; indicat enim ſufficienter intentionem Legiſlatoris eſſe, obligare in conſcientia, ſiue præceptum imponere. Sed lex prohibens armorum geſtationem, primo modo lata, continet verba præceptiua. Ergo obligat in conſcientia; ideoque Ciuis, contra illam faciens, per ſe loquendo, mortaliter peccauit. Dixi per ſe loquendo; quia ſi cauſa propriæ defenſionis fuit ſufficiens, ab illà fortaſſe excuſari potuit à culpà.

Secundò; Quia lex, primo modo lata, 22
non minus per primam ſui partem obli-

gat

gat ad arma non geſtanda, quam ſi per ſecundam partem non fuiſſet addita pœna; additio enim pœnæ, obligationem non minuit, ſed potius auget cum pœna non repugnet cum obligatione in conſcientiâ ad actum præceptum, neque indicet, intentionem Legiſlatoris eſſe, tollere obligationem in conſcientiâ ad actum, ſed eam potius, pœnæ appoſitione, roborare. Sed, ſi prima illa pars legis fuiſſet latâ ſine ſecundâ, obligaſſet in conſcientia; materiâ enim eſt grauis, & capax obligationis, & verba, obligationem ſignificant, cùm ſint præceptiua. Ergo obligat in conſcientiâ ad arma non geſtanda, quamuis per ſecundam partem ſit addita pœna. Additio enim ſecundæ legis pœnalis non mutat naturam primæ præceptiuæ, ac moralis.

23 Tertiò; Quia Votum, ſimili modo latum, obligat non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad actum, cui impoſita eſt pœna; Si quis enim dicat; *Voueo non ludere, & ſi luſero, voueo ſoluere decem aureos pauperibus.* Votum ſic emiſſum, obligat non ſolùm ad ſoluendos decem aureos, poſito ludo, ſed etiam ſimpliciter ad non ludendum. Ergo etiam lex dicens; *Diſtrictè prohibemus, ne quis arma ferat: &, ſi quis tulerit, pœna Capitis plectatur.* Obligabit non ſolùm ad pœnam, ſed etiam in conſcientiâ ad arma non ferenda. Eadem enim eſt ratio legis, ac voti quoad modum obligandi, cum votum nihil ſit aliud, quàm lex priuata, eiuſque obligatio, tota pendeat à voluntate Vouentis, ſicut tota obligatio legis pendet à voluntate Legiſlatoris.

24 Quartò; Quia lege Eccleſiaſtica, Medicis diſtrictè præcipitur, *c. Cum infirmitas: de pœnit. & remiſſ.* Vt Infirmum admoneant de Confeſſione facienda, additurque tanquam pœna, quod ſi non admonuerint, ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfecerint, arceantur. Similiter Clericis penſionarijs præcipitur, ut Officium B. Virginis recitent; &, ſi non recitauerint, ad fructuum reſtitutionem pro rata teneantur. In his autem, & ſimilibus legibus, additio pœnæ, quæ fit per ſecundam partem legis; non impedit, aut tollit conſcientiæ obligationem, quæ ponitur per primam partem.

Quintò; Quia lex mercibus, alijſque rebus pretium taxans, obligat in conſcientiâ, quia pretium taxando, illud conſtituit iuſtum, & medium in materiâ iuſtitiæ, neque hæc obligatio tollitur ex eo, quod etiam pœna transgreſſoribus imponatur. Ergo lex præceptiua, ſemper obligat in conſcientiâ ad actum præceptum, neque hæc obligatio per additionem pœnæ tollitur, aut minuitur. 25

RESOLVTIO II.

REſpondetur ſecundò; Si lex prohibens gestationem tormenti ignei, fuit lata ſecundo modo; Ciuem, illud geſtando, mortaliter non peccaſſe. *Vaſqu.* 1.2. *diſp.* 178. *cap.*4. *Reginald. lib.* 15. *num.* 54. *Azor. par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 8. *Clauis reg. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 28. *Valentia tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *par.* 9. *dub.* 3. *Nau. c.* 23. *num.* 57. *& lib.* 2. *conſ. cap.* 3. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 33. *dub.* 8. *n.* 53. & alij communiter. 26

Primò; Quia Legiſlator, hoc modo legem ferens, rationabiliter præſumitur, non habere intentionem obligandi in conſcientiâ ad actum, cui pœnam imponit, ſed ſolùm ad ipſam pœnam; ſi enim intentionem haberet obligandi in conſcientiâ ad actum, hanc ſuam intentionem facilè 27

ciſè declarare poſſet, legem primo modo ferendo. Imo deberet; lex enim, ſicut non obligat niſi debito modo publicetur, ita non obligat in conſcientiâ niſi talis obligatio à Legislatore verbis ſufficienter exprimatur. Cum ergo Legislator, hanc ſuam intentionem ſufficienter non declarat, eo quod lex nullum verbum contineat, ex quo talis obligatio conſtare poſſit, ſignum eſt, ipſum intentionem non habere obligandi ad actum, ſed ſolùm ad pœnam. Sed cum Legislator non intendit obligare in conſcientiâ, lex non obligat; non enim obligat vltra intentionem Legislatoris. Ergo lex à Legislatore, ſecundo modo, lata non obligat in conſcientia ad actum, ſed ſolùm ad pœnam; ideoque Ciuis illam transgrediens, contraxit ſolùm obligationem ad pœnam, ſed non ad culpam.

28 Secundò; Quia Votum pœnale, quo quis vouet non ludere ſub pœna decem aureorum pauperibus ſoluendorum, vel ſoluere pauperibus decem aureos ſi luſerit; non obligat ad non ludendum, ſed ſolùm, poſito ludo, ad decem aureos pauperibus ſoluendos. Ergo etiam lex pœnalis, ſiue lata ſecundo modo, non obligat per ſe ad arma non geſtanda, ſed ſolùm poſita geſtatione, ad pœnam impoſitam ſubeundam. Ideo enim Votum pœnale non obligat ad non ludendum, quia Vouens non cenſetur habere intentionem ſe obligandi ad non ludendum, ſed ſolùm ad ſoluendos decem aureos, poſito ludo; ſed etiam Legislator rationabiliter præſumitur, non habere intentionem obligandi niſi ad pœnam impoſitam ſoluendam; ijſdem enim verbis tam lex, quam Votum exprimitur. Ergo, ſi Votum non obligat niſi ad pœnam, etiam lex ad illam ſolùm obligabit; cum enim Votum ſit lex quædam priuata, quam vnusquisque ſibi ipſi præſcribit; lex eſt illi in modo obligandi omnino ſimilis.

Tertiò; Quia lex Ciuilis ſecundo modo lata, obligat ſolùm ad pœnam temporalem, & non ad æternam; ad eam enim ſolùm pœnam obligat, quam exprimit, cum ad eam ſolùm videatur velle Princeps obligare; Nam qui de duobus propoſitis, vnum ſolùm affirmat, & aliud tacet, illud negare videtur; *cap. Nonne, de præſumptionibus.* Cum ergo Princeps ad vtramque pœnam, tam temporalem, quàm æternam obligare poſſit, eo ipſo quod explicite ſolum obligat ad temporalem, excludere videtur æternam. Sed lex obligans ſolum ad pœnam temporalem, & non ad æternam, non obligat ad culpam; hæc enim neceſſariam connexionem habet cum pœna æterna. Ergo lex ſecundo modo lata, obligat ſolùm ad pœnam temporalem, & non ad culpam. 29

Quartò; Quia Legislator, ignorare non poteſt, hanc opinionem eſſe probabilem. Ergo eo ipſo, quod non exprimit, ſe velle ad culpam transgreſſores obligare, cenſetur conſentire, illos eſſe deobligatos; ideoque illi de facto deobligantur. 30

Quintò; Quia Leges Ciuiles pœnales, quæ modo à Principibus feruntur, omnino ſunt ſimiles legibus pœnalibus, quæ olim à Principibus gentilibus ad Reipublicæ conſeruationem, & tranquillitatem ferebantur; ſed illæ non obligabant ad pœnam æternam; Tum quia Principes illi, cum eam ignorarent, non potuerunt velle ad eam obligare; Tum quia, etiam ſi illam cognouiſſent, adhuc obligare noluiſſent, cum ad legis obſeruantiam obtinendam, 31

dam,

dam metus pœnæ temporalis ſufficiat; Imo attentà hominum conditione, longe efficacior ſit, quam metus pœnæ æternæ. Ergo neque iſtæ obligant ad pœnam æternam; Ad bonum enim commune ſatis eſt, ſi leges nunc obligent, ſicut tunc obligabant; ſic enim ſunt medium ſufficientiſſimè conducens ad bonum politicum Reipublicæ, qui eſt vnicus legum finis. In lege autem ponere non debemus maiorem obligationem, quam quæ ad eius finem obtinendum ſit ſufficiens.

32 Sextò; Quia, in dubio, iudicare debemus, legem eſſe minus pœnalem, *cap. In pœnis: de regul. iur. in 6.* & quia in pœnis mitior pars eſt accipienda. Sed, ſi lex pœnalis obliget ſolùm ad pœnam temporalem, eſt minus pœnalis. Ergo iudicare debemus, legem ad hanc ſolùm pœnam obligare, & non ad æternam; ſic enim lex eſt minus pœnalis.

33 Septimò; Quia lex ſaltem ciuilis non obligat, niſi quatenus a populo eſt recepta, cum populi acceptatio, ſit conditio ad legis ciuilis obligationem requiſita. Sed lex ciuilis pœnalis, à populo non videtur recepta, niſi in ordine ad obligandum ad pœnam temporalem. Vnde vſu, ac conſuetudine receptum videtur; vt de iſtarum legum transgreſſione ſcrupulum non habeant, *inquit Nauar.* neque Docti, neque Indocti, neque Confeſſarij, neque Pœnitentes, niſi cum per accidens violatur etiam lex naturalis, vel Diuina, vel Canonica. Ergo lex Ciuilis pœnalis, non obligat niſi ad pœnam temporalem.

34 Octauò; Quia pæna temporalis, non præſupponit, neque arguit neceſſariò culpam Theologicam, ſed ad ſummum Ciuilem, poteſt enim Reſpublica ſuarum legum transgreſſores obligare ad pænam ſuſtinendam, quamuis non obliget in conſcientiâ ad actum immediatè ordinatum. Nam ad impoſitionem pænæ, quantumuis grauis, ſufficit culpa politica, & ciuilis, quamuis non detur Theologica. Atque ita cuſtodibus Murorum imponitur lex de vigiliâ, ſub pænâ vitæ, quamuis non obligentur ſub mortali ad vigilandum; neque tunc priuatio vitæ eſt propriè pæna, ſed damnum. Similiter carceris effractoribus imponitur flagellatio, & aliquando etiam pœna vitæ, & tamen in eâ effractione, culpa mortalis non committitur ſaltem contra legem, vt docent omnes communiter, idemque dici poteſt de cuiuſlibet alterius pœnæ impoſitione. Cum ergo pœnæ impoſitio non arguat culpam theologicam, & moralem, optimè poterit lex pœnalis pœnam imponere, quin obliget ſub culpâ ad actum, cui pœna imponitur; ſemper enim pœna dici poterit impoſita à Republicâ ad defenſionem ſui iuris, ne Subditi illud audeant violare. Nam dicere, quod à Republica præſumatur culpa, eſſet Reipublicæ iniquam tribuere præſumptionem; aduerſus enim communem ſententiam, lex rationabiliter præſumere non poteſt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam; Argumentum probare de lege primo modo lata, non vero ſecundo modo; illa enim continet præceptum, quod iſta non continet. De eſſentia autem legis eſt, obligare vel ad culpam, vel ad pœnam. 35

Ad ſecundam Reſpondetur; Omnem pœnam ſupponere culpam ciuilem, ac politi- 36

politicam, non tamen ſemper Theologicam, vt patet in pœnâ, carceris effractoribus, ac murorum cuſtodibus impoſitâ, ideoque nec indirectè obligare ad culpam moralem eo ipſo, quod obligat ad pœnam.

37 Ad tertiam, & quartam reſpondetur; Legislatorem imponere quidem pœnam, ne actus fiat, ex hoc tamen rectè non colligi, quod velit ipſum immediatè prohibere ſub culpâ; Nam etiam qui vouet ſoluere decem pauperibus, ſi luſerit, ideo ſe obligat ad pœnam, ne ponatur ludus; & tamen non propterea intendit ſe obligare ad non ludendum, ſed ſolùm, poſito ludo ad pœnam ſoluendam. Ergo eodem modo, quamuis Legiſlator, pœnam imponat, ne fiat actus, non tamen propterea intendit obligare immediatè ad actum, ſed ſolùm, poſito actu, ad pœnam ſoluendam.

38 Ad quintam reſpondetur; Negando antecedens; ſicut enim legis publicatio, eſt neceſſaria ad indicandam voluntatem, quam habet Legislator obligandi per ſuam Legem; ita, quando habet voluntatem obligandi in conſcientiâ, neceſſarius eſt modus publicationis ad hoc indicandum idoneus; Voluntas enim Legislatoris, non obligat niſi vt Subditis ſufficienter manifeſtata. Quando autem leges non obligant, neceſſe non eſt, hoc exprimere, quia ſufficienter intelligitur ex eo, quod non exprimatur obligatio. Quod ſi aliqui Legislatores hoc expreſſerunt, fecerunt ſolum, ad tollendos ſcrupulos, qui ſimpliciores, & indoctos turbare poſſent.

39 Ad ſextam reſpondetur; eas omnes leges eſſe latas primo modo, ideoque obligare etiam in conſcientiâ. Quod ſi aliquæ ſupponantur latæ ſecundo modo, negatur, eas obligare in conſcientiâ ad actum, cui pœna eſt impoſita, quamuis Subditus aliundè fortaſſe ex vi alterius legis ad illum in conſcientiâ obligetur. Tenetur enim quis iuxta communem ſententiam ad vectigalium ſolutionem, non ex vi legis pœnalis ad eam obligantis ſub pœna amiſſionis mercium, ſed ex vi legis naturalis, qua ſubditi tenentur ad Principis ſuſtentationem concurrere, quæ ſuſtentatio, illo Principis decreto, eſt determinata.

Ad ſeptimam reſpondetur; eam fuiſſe legem per verba præceptiua latam, ideoque non proprie pœnalem, ſed compoſitam ex pœnali, ac præceptiua; Hanc autem non negamus obligare etiam in conſcientiâ; ſed ſolùm eſſe legem proprie pœnalem. 40

Ad tertiam negatur antecedens; pœnæ enim appoſitio, indicat ſolùm, Legislatorem nolle, vt ponatur actus, cui pœna eſt appoſita; ex hoc tamen non ſequitur, quod obligare velit in conſcientia ad illum non ponendum, quia hoc ex nullo ſufficienti fundamento colligitur. 41

Ad nonam reſpondetur. Negando, præſumi rationabiliter poſſe, Legislatorem velle obligare in conſcientiâ; Cùm enim ipſe potens hanc ſuam voluntatem exprimere, non exprimit, datur potius maximum fundamentum præſumendi, quod nolit obligare, quia ſi vellet, hanc ſuam voluntatem ſufficienter expreſſiſſet. Ad legis autem obſer- 42

Digitized by Google

obſeruantiam, & ad finem legis obtinendum, & ſufficientiſſima ſola obligatio ad pœnam, cum hæc, attentâ hominum conditione, ſit longe efficacior, quam obligatio ad culpam.

43 Ad decimam reſpondetur; Negando conſequentiam; leges enim Eccleſiaſticæ obligant ad pœnam ſpiritualem, ad quam obligare iuſtè non poſſent, niſi etiam indirectè obligarent ad culpam moralem; pœnæ enim ſpirituales, cum grauiſſimæ ſint, imponi non poſſunt, niſi ob culpam mortalem. At leges Ciuiles obligant ſolum ad pœnam temporalem. Cum hæc obligatio ad rectam Reipublicæ gubernationem abundè ſufficiat. Ad hanc autem pœnam iuſtè imponendam, ſufficit culpa Ciuilis, & politica, vt dictum eſt; Quod ſi ſint aliquæ leges Eccleſiaſticæ, quæ imponant ſolum pœnam temporalem, & eo modo, quo leges Ciuiles propriè pœnales; de illis idem dicendum eſt, ac de Ciuilibus, quod, ſcilicet non obligent, niſi ad pœnam, quia eadem tunc eſt omnium ratio.

44 Ad vndecimam reſpondetur; legem iuſtam, ſi ſit præceptiua, obligare in conſcientia eo ipſo, quod eſt iuſta; legem vero pœnalem per ſe loquendo obligare ad pœnam. Quod autem aliquando per accidens detur obligatio, etiam in conſcientia ad actum, cui pœna eſt impoſita; hoc oritur, non ex vi ipſius legis pœnalis, ſed ex vi alterius legis naturalis, vel Diuinæ, vt contingit in lege taxante mercibus pretium; Eo enim ipſo, quod per legem eſt taxatum, fit pretium iuſtum; Iuſtitia autem obligat ad res non vendendas vltra pretium iuſtum.

45 Ad duodecimam reſpondetur primo; Negando, legis Transgreſſorem ſemper mortis periculo ſe exponere; legem enim ea circumſpectione transgredi poteſt, vt pœnam effugiat. Secundò, non ſemper mortis periculo ſe exponere, eſſe peccatum; vt, ſi adſit cauſa rationabilis. Si quis enim ob grauem neceſſitatem frumentum è Ciuitate extrahat contra legem hoc prohibentem ſub pœna mortis, non peccat, quamuis mortis periculo ſe exponat. Tertiò, denique hanc obligationem ex lege naturali prouenire, qua mortis periculum fugere tenemur, non vero ex vi legis poſitiuæ.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Differentiam inter conſilium, legem, ac præceptum conſiſtere in hoc, quod conſilium nullam inducit obligationem, lex vero, & præceptum illam inducunt, vel ad culpam, vel ad pœnam;. Lex enim dicitur à ligando, eiusque effectus neceſſarius, & proprius, eſt obligatio, ſicut riſibilitas eſt effectus, ac proprietas Hominis. 46

Secundò. Legem propriè pœnalem non ferri in actum, cui pœna eſt impoſita, ſed ſolùm in ipſam pœnam; cum enim lex dicit: *Ordinamus, ne aliquis è Regno pecunias, vel arma extrahat ſub illorum amiſſione.* Armorum, vel pecuniarum extractio, proprie non prohibetur, ſed ſolum legis transgreſſores obligantur ad pœnam impoſitam. 47

Tertio. Legem proprie pœnalem à præceptiua diſtingui per hoc, quod præceptiua feratur verbis præceptiuis, quæ immediate reſpiciant actum præceptum, lex verò pœnalis feratur verbis indifferentibus, vel præceptiuis circa ipſam pœnam, vt patet ex *Clem. Exiuit.* Modo aliud non conſtet de mente Legiſlatoris. 48

49 Quartò. Multas dari leges, quarum violatio non videtur peccatum; vt ſunt leges de lignis communibus non cædendis; de non venando; de non piſcando; de non capiendis volucribus, vel feris; de non paſcendis animantibus in paſcuis communibus; de non deferendis noctu armis; de hoc, vel illo genere veſtium non vtendo; de hac, vel illa pompa funebri ſeruandâ; & aliæ ſimiles; quæ ad populum ferri ſolent, pœnâ in transgreſſores conſtitutâ. Hoc tamen intelligendum eſt, modo ſub prima forma non ferantur, ſed ſub ſecunda; ſic enim ſunt leges merè pœnales, & non præceptiuæ. *Azorius to.1. lib.5.c.6. quæſt.4.*

Quinto. Legem pœnalem, quamuis non obliget in conſcientia ad actum immediatum, cui pœna eſt impoſita; obligare tamen Iudicem ad pœnam imponendam, & ipſos Subditos, poſitâ legis transgreſſione, ad eam ſoluendam: hæc autem obligatio, ſufficit ad legem; per eam enim ſufficienter diſtinguitur à conſilio. Obligatio autem ad pœnam, licet ſupponat ſemper aliquam culpam; ex eaque procedat; non tamen ſemper ſupponit theologicam, & quoad forum internum, ſed ſæpe ſolum ciuilem, & quoad forum humanum, ac externum. 50

QVAESTIO XV.

An lex pœnalis obliget ad pœnam, antequam ſit poſitus effectus prohibitus.

CASVS.

1 EPISCOPVS Albanenſis, ad vitanda homicidia, quæ in ſua Diœceſi committebantur, ſub excommunicatione prohibuit, ne quis literas mitteret ad quoſdam Aſſaſſinos non longè commorantes; & ſimul Excommunicauit Mandantes homicidium per ipſos. Titius autem ad eos literas ſcripſit, in quibus mandabat, vt Sempronium occiderent; literæ tamen caſu ad ipſos non peruenerunt. Quæritur; an, & quot excommunicationes incurrerit.

SVMMARIVM.

2 *Scribens, & mandans homicidium videtur duplicem excommunicationem incurriſſe.*

4 *Commiſit delictum prohibitum, & mortaliter peccauit.*

5 *Epiſcopi præceptum principaliter vtrumque prohibebat.*

7 *Quæ, in qualibet lege pœnali perpendenda ſint.*

8 *Scribens, & mandans homicidium, nullam excommunicationem incurrit.*

9 *Literæ, ac mandatum non peruenerunt ad Aſſaſſinos.*

10 *Non*

10 *Non fuerunt miſſio, nec mandatum completum.*

11 *Sine peruentione, & acceptatione, non ſunt delictum prohibitum.*

12 *Verba legis intelligenda ſunt cum effectu.*

13 *Sola miſſio, & mandatum, ſunt delictum inchoatum.*

14 *Ad cenſuram incurrendam, poni debet delictum ſub cenſura prohibitum.*

15 *Delictum ab Epiſcopo prohibitum, erat miſſio completa.*

16 *Clericum leuiter tangens, cenſuram non incurrit.*

17 *Nec hæreſim proferens ſine animo.*

18 *Neque non lethaliter vulnerans, cenſuram contra homicidas.*

19 *Neque cenſuram conditionatam, ante conditionis euentum.*

20 *Neque negligens cenſuram, quæ ſcientiam requirit.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis certum ſit, Legem pœnalem obligare ad pœnam, dubium tamen eſt, circa circumſtantias, ac modum obligandi. Et primo, an obliget, antequam ſit poſitus effectus prohibitus. Videtur enim obligare, & ideo Titium, duplicem excommunicationem incurriſſe. *Caietan. 2. 2. queſt. 12. ar. 1. Nauar. c. 27. n. 11. Valentia d. 7. queſt. 17. pun. 9. ad finem.*

3 Primo; quia vere literas miſit, & homicidium mandauit. Vtrumque autem delictum erat ſub excommunicatione prohibitum.

4 Secundo. Quia Titius, tam literas mittendo, quam homicidium mandando, mortaliter peccauit. Ergo commiſit delictum, ſufficiens ad pœnam excommunicationis incurrendam.

Tertio. Quia non minus per Epiſcopi præceptum principaliter prohibetur mandatum homicidij, & miſſio literarum, quàm, *cap. 1. de homicidio in 6.* principaliter prohibeatur mandatum homicidij per Aſſaſſinos; Cum autem aliqua actio principaliter prohibetur, illà poſità, ſtatim incurritur cenſura, etiam effectu nondum ſecuto. Sicut ergo mandans homicidium per Aſſaſſinos, incidit in excommunicationem, etiam ante ſecutum homicidium; ita incidit Titius, ſtatim poſt miſſionem literarum, & poſt mandatum de homicidio, etiam ſi literæ, & mandatum ad Aſſaſſinos non peruenerint. 5

Quarto; Denique, quia Epiſcopi præceptum, ad excommunicationem incurrendam, nihil aliud requirit, quàm literarum miſſionem, ac mandatum homicidij; Titius autem vtrumque poſuit. 6

NOTABILE.

ADuertendum eſt; in qualibet lege pœnali, tria eſſe diligenter perpendenda, ſcilicet, verba ipſa legis, quibus pœna imponitur. Perſonam, contra quam fertur, & opera, propter quæ imponitur. Lex enim, vltra iſta tria, non extenditur. Hinc fit, vt lex excommunicans aliquid facientes; vt *Clementina 1. de conſangu.* excommunicans conſanguineos contrahentes; non comprehendat conſulentes, mandantes, aut aliter conſentientes; quia in materia pœnali, cum ſit odioſa, verba ſunt ſtrictè intelligenda; ſimiliter excommunicatio lata contra Clerici percuſſores, quia principaliter prohibet percuſſionem, & acceſſoriè ſolum mandatum, conſilium, auxilium, &c. non incurritur à mandante, vel conſulente, niſi ſecutà percuſſione, quæ 7

Digitized by Google

eſt effectus principaliter prohibitus; denique promittens inuenire latronem, non ſatisfacit promiſſioni, ex *l. Si balſatorem, C. De fideiuſſ.* niſi eum capiat, & Iudici exhibeat; quia, licet verbum *inuenire* proprie non ſignificet capturam inuenti, ex mente tamen Legislatoris, præſumitur hoc voluiſſe ſignificare, eo quod ſola inuentio ſine captura ad finem intentum eſſet omnino inutilis. Hoc poſito

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur; Titium nullam excommunicationem incurriſſe. *Suarez d.4. ſect.3. n.4. Nauar. c.27. n.51. & c.11. n.25. & lib.5. conſil. de ſent. excomm. conſ. 19. Reginald. lib.9. n.216. Filliuc. tract.11. c.6. quæſt.4. Valentia to.4. d.7. qu.17. pun.9. Auila par.2. c.5. d.3. d.5. Coninch. d.13. d.8. n.75.* & alij communiter.

9 Primò. Quia eius literæ ad Aſſaſſinos non peruenerunt; Epiſcopi autem intentiò fuit ſolum, literarum miſſionem prohibere, poſito quod perueniſſent; ſola enim miſſio non nocet, niſi perueniant; ſicut intentio prohibentis homicidium ſub cenſura, eſt, prohibere vulnerationem lethalem, poſito, quod ſequatur mors, vnde miſſio non principaliter, ſed acceſſorie tantum cenſetur prohibita, cum totum damnum ex ſola peruentione ſequatur. Sicut ergo lethaliter vulnerans, excommunicationem non incurrit, ſi mors, vel naturaliter, vel etiam miraculosè, non ſequatur; ita literas mittens, ſi non perueniant, excommunicationem non incurrit; lex enim non ligat vltra intentionem Legislatoris.

10 Secundò. Quia, ſicut ſola vulneratio lethalis, non eſt proprie, ac complete occiſio, ſiue homicidium, ſine morte; Ita ſola literarum ſcriptio, & traditio Tabellioni, vel Latori, vt ferat ad Aſſaſſinos, non eſt completa miſſio, niſi perueniant; & ſola iuſſio homicidij, ſi alter illam non acceptet, non eſt proprie, ac complete mandatum; mandatum enim, cum ſit contractus, eſſentialiter includit vtriusque partis conſenſum, & conſequenter acceptationem mandatarij. Cum ergo Titij literæ ad aſſaſſinos, non peruenerint, nec ipſi mandatum acceptauerint, ſequitur, quod Titius proprie, & in rigore literas non miſerit, nec homicidium mandauerit, ideoque, quod neque in excommunicationem inciderit.

Tertiò. Quia promittens inuenire latronem, non ſatisfacit promiſſioni, niſi eum capiat, & Iudici exhibeat, ex *l. Si Balſatorem, C. De fideiuſſ.* vt dictum eſt. Ergo etiam mittens literas, aut mandans homicidium, non cenſetur committere delictum ſub excommunicatione prohibitum, niſi literæ perueniant, & mandatum acceptetur; ſicut enim, licet verbum, *inuenire,* proprie non ſignificet capturam inuenti, ex mente tamen ſtatuentium præſumitur, illam voluiſſe ſignificare; ita, quamuis verbum, *mittere*, proprie non ſignificet literarum peruentionem, nec nomen *mandatum*, alterius acceptationem; ex mente tamen Epiſcopi, ac Legiſlatoris præſumitur, hæc voluiſſe ſignificare; quia ſola miſſio ſine peruentione, & ſolum mandatum, ſine acceptatione, nihil nocent. 11

Quartò. Denique, quia verba legis intelligenda ſunt cum effectu, quem Legislator, vel expreſsè, vel tacitè intendit, 12

dit, vt docet *Nauar. lib. 5. conſ. de ſens. excom. conſ. 19.* Ergo, quando prohibetur mandatum, intelligendum eſt cum effectu acceptationis; & quando prohibetur miſſio literarum, intelligenda eſt cum effectu peruentionis; ſine his enim neque miſſio, eſt miſſio completa, neque mandatum, eſt mandatum completum, ac perfectum.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 Atque hinc ad rationes in contrarium patet reſponſio. Ad primam enim reſpondetur; Miſſionem, & mandatum non incompletum, ſed completum eſſe delictum ſub excommunicatione prohibitum; ad hoc autem requiritur, vt literæ perueniant, & mandatum acceptetur. Sicut ad hoc, vt vulneratio lethalis habeat rationem occiſionis, & homicidij, requiritur, vt ſequatur mors vulnerati. Immò ſicut promiſſio non eſt propriè promiſſio, niſi acceptetur; ita mandatum dici non poteſt propriè mandatum, niſi ſit acceptatum.

14 Ad ſecundam; negatur conſequentia: neque enim ad excommunicationem incurrendam, ſufficit, vt actio, quæ fit, ſit peccatum mortale, ſed requiritur, vt ſit peccatum mortale ſub excommunicatione prohibitum, & habeat circumſtantias, quæ à Legiſlatore requiruntur ad pœnam excommunicationis incurrendam. Has autem circumſtantias non habent miſſio literarum, quandiu hæ non peruenerunt, nec mandatum, quandiu non eſt acceptatum; quia non ſunt miſſio, nec mandatum completum, ac perfectum, ſed ſolum imperfectum, & inchoatum.

15 Ad tertiam reſpondetur ſimiliter; prohiberi principaliter ab Epiſcopo miſſionem completam, ac perfectam, ideoque, illà poſità, ſtatim incurri cenſuram; miſſio autem completa, & perfecta includit etiam peruentionem literarum, ſicut occiſio perfecta, præter lethalem vulnerationem, includit etiam mortem Vulnerati. Eodemque modo reſpondetur ad quartam; Epiſcopum ſcilicet, ad Excommunicationem incurrendam, nihil aliud requirere, quam miſſionem literarum completam, & perfectam, quæ tunc ſolùm datur, cum literæ peruenerunt. Ratio autem horum omnium eſt, quia Epiſcopus, eam ſolùm literarum miſſionem ſub excommunicatione prohibet, ex quà ſequi poſſunt homicidia per Aſſaſſinos, ad hæc enim vitanda ordinatur prohibitio; Ex ſolà autem miſſione conotante peruentionem literarum ſequi poſſunt homicidia; ſola enim miſſio, ſi literæ non perueniant, nullum nocumentum afferre poteſt.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Non incurrere excommunicationem latam contra Clerici percuſſores, qui ſagittam contra Clericum emittens, vel tormentum ignitum explodens, vel lapidem proijciens, illum caſu vel leuiter ſolùm, vel omnino non tangit; quia verè non dicitur Clericum grauiter percutere, ſicut requiritur *in cap. Si quis ſuadente,* ideoque non ponit actionem principaliter prohibitam ſub cenſurà. *Auila par. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 5.*

Secun-

17 Secundò; Neque incurrere Excommunicationem contra Hæreticos latam, qui hæreſim exterius proferens, interius benè ſentit; Quia deficiente voluntate, & conſenſu, deficit etiam malitia hæreſis, propter quam lata eſt cenſura, vt dictum eſt *Quæſt.* 12. *num.* 17. Si tamen Eccleſia excommunicationem ferret contra hæreſim externam proferentes, tunc hæreſim exterius proferens, quamuis interius benè ſentiret, illam incurreret; quia prolatio externa hæreſis eſſet tunc actio principaliter prohibita ſub cenſurà. *Filliuc. tract.* 11. *cap.* 6. *quæſt.* 4.

18 Tertiò; Neque incurrere cenſuram, ſi contra homicidas lata ſit, qui vulnere non lethali aliquem vulnerat, quamuis vulneratus, ex aliquà alià cauſà accidentaliter ſuperueniente, deinde moriatur, nec eſſet mortuus, niſi tale vulnus præceſſiſſet; Imo, etiam ſi vulnerans, animum habuerit illum occidendi. Quia ad incurrendam cenſuram, neceſſariò requiritur, vt ponatur ea actio, quæ eſt prohibita ſub cenſurà; In hoc autem caſu, ſub cenſurà prohibetur ſolùm vulneratio lethalis, non verò quælibet vulneratio. *Suar. diſp.* 4. *de Cenſ. ſect.* 3. *num.* 6.

19 Quartò; Neque incurri cenſuram latam ſub conditione, ante conditionis euentum; Quia ante conditionis euentum non ponitur actio prohibita ſub cenſurà; ſi tamen quælibet percuſſio ſub Excommunicatione prohiberetur, poſitò, quod mors in illà quomodocunque ſequeretur; Qui leuiter aliquem vulneraret, ſecuta quomodocunque morte Vulnerati, Excommunicationem incurreret; ſi tamen mors non ſequeretur, illam non incurreret; Quia in primo caſu, poneret actionem ſub cenſurà prohibitam, non verò in ſecundò caſu. Tales autem plerumque ſunt cenſuræ, ad quas incurrendas requiritur ſcientia, vel dolus, vel ſaltem ignorantia craſſa; Hæ enim ſunt virtualiter conditionatæ, quia prohibent actionem non abſolutè, ſed poſito, quod adſit ſcientia, vel dolus, vel ignorantia craſſa. *Sayrus lib.* 1. *de Cenſ. cap.* 11. *num.* 18.

20 Quintò; Denique, neque ſemper incurri cenſuram, propter quodlibet voluntarium, ſed ſolùm propter illud, quod requiritur à Cenſurà; Quia tunc ſolùm ponitur actio, quæ eſt prohibita ſub cenſurà. Quando autem aliquod delictum abſolutè prohibetur ſub cenſurà, tunc lex, ad cenſuram incurrendam requirere videtur voluntarium ſufficiens ad mortale; tunc enim fertur cenſura abſolutè propter tale delictum, eo ipſo, quod eſt mortale; Quando verò prohibetur delictum non abſolutè, ſed ſolùm ſcienter, & doloſè commiſſum, tunc ad Cenſuram incurrendam, non ſufficit quodcumque voluntarium, ſed requiritur voluntarium directum, & perfectum Vnde, qui tunc præceptum transgreditur, ex negligentià, vel inaduertentià, vel ex ignorantià etiam vincibili, imo etiam, craſſa, aut affectata, quamuis contra præceptum mortaliter peccet, cenſuram tamen non incurrit, quia quamdiu non adeſt ſcientia, vel dolus, nunquam ponit illam actionem, quæ eſt prohibita ſub cenſurà. *Salas de Legib. diſ.* 15. *sec.* 9. *num.* 114.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XVI.

An lex pænalis ſemper obliget, effectu prohibito ſecuto.

CASVS.

1 TITIVS, Sempronio conſilium dederat, vt Clericum quendam; à quo iniuriam acceperat, occideret; idemque homicidium eidem Sempronio mandauerat Caius; ambo tamen deinde in ſe reuerſi conſilium, ac mandatum reuocarunt; Verùm Caius, hoc non obſtante, Clericum adhuc occidit. Quæritur; Vtrum tam Titius, quàm Caius in Excommunicationem inciderint.

SVMMARIVM.

2 *Tam mandans, quam conſulens homicidium, videntur in excommunicationem incidiſſe, Clerici morte ſecutà.*

3 *Mandans homicidium per Aſſaſſinos, illam ſtatim incurrit.*

4 *Conſilij, ac mandati reuocatio, eorum influxum in homicidium non abſtulit.*

5 *Conſilium, ac mandatum, fuerunt motiuum ad occidendum.*

6 *Ad homicidium concurrerunt magis, quam non Impediens.*

7 *Saltem magis, quam ratum Habens.*

8 *Mandans, quomodo influat in homicidium.*

9 *Conſulens quomodo influat.*

10 *Quot modis Conſilium dari poſſit.*

11 *Mandatum reuocans, excommunicationem non incurrit.*

12 *Per mandati reuocationem retraxit influxum.*

13 *Sicut, ſi è Mandatarij manibus gladium abſtraxiſſet.*

14 *Mandatum, poſita reuocatione moraliter amplius non perſeuerat.*

15 *Conſulens, ſi motiuum contrarium propoſuit, excommunicationem non incurrit.*

16 *Per hoc, Conſilium ſufficienter reuocauit.*

17 *Abſtulit motiuum antea propoſitum, eiusque vim.*

18 *Si Conſulens ſolis precibus Conſilium reuocauit, incidit in cenſuram.*

19 *Solæ preces, non tollunt motiuum datum ad occidendum.*

20 *Sicut ex Homicidæ manibus gladium non auferunt.*

21 *Mandans homicidium per Aſſaſſinos principaliter excommunicatur.*

24 *Non impediens, impedire tenetur ex officio.*

26 *Si Homicida erat ad homicidium determinatus, Conſulens, & Mandans nullam cenſuram incurrunt.*

27 *Incurrunt tamen, ſi in Homicidà voluntatem occidendi augeant.*

28 *Non incurrunt, quando parato occidere, conſulunt percuſſionem.*

29 *Etiam Conſilium, ſolis precibus reuocans, cenſuram non incurrit.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Sicut Lex pœnalis, non obligat effectu prohibito non ſecuto; ita quæritur; an ſemper obliget illo ſecuto. Videtur enim ſemper obligare; ideoque tam Titium, quam Caium in excommunicationem incidiſſe; *Nauarr. cap.27. num.* 133. *Vaſqu. de reſtit. cap.*9. §.1. *diſp.*1.*n.*11. *Clauis regia lib.*10. *cap.* 8. *n.*11. *Leſſius lib.* 2. *cap.*13. *dub.*2. *n.*5. *Rebell. lib.*2. *de reſt. quæſt.* 14. *ſect.*2. *n.*5.

3 Primò; Quia mandans homicidium per Aſſaſſinos, ſtatim poſt datum mandatum, incidit in excommunicationem. *ex cap.*1. *De homicidio in* 6. quamuis poſtea mandatum reuocet. Ergo etiam Titius, & Caius immediatè poſt datum mandatum, & conſilium, in excommunicationem inciderunt, quamuis poſtea mandatum & conſilium reuocauerint.

4 Secundò; Quia mandati, ac conſilij reuocatio, non abſtulit eorum influxum in homicidium; adhuc enim Clericus, occiſus eſt ex vi mandati, ac conſilij, ita vt, ſi hæc non præceſſiſſent, non fuiſſet occiſus. Omnis autem, ad Clerici homicidium quomodocumque concurrens, ſaltem ſecuto homicidio excommunicationem incurrit.

5 Tertiò; Quia, ſi Titius, & Caius, gladium Sempronio dediſſent, ad Clericum occidendum, per ſolam gladij repetitionem ſufficienter non reuocaſſent influxum in homicidium. Sed dando mandatum, & conſilium, dederunt illi arma ſpiritualia, hoc eſt motiuum ad operandum, ſiue ad Clericum occidendum. Ergo, per ſolam mandati, & conſilij reuocationem, influxum in Clerici homicidium ſufficienter non reuocarunt, & conſequenter in excommunicationem inciderunt.

Quartò; Quia magis influunt in homicidium mandans, & conſulens, etiam poſt mandati, ac conſilij reuocationem, quam non impediens; Sed non impediens, contrahit excommunicationem. Ergo multò magis mandans, & conſulens, quamuis mandatum, ac conſilium reuocauerint. 6

Quintò; Denique, quia, etiam ſi concedatur, Titium, & Caium, per mandati, ac conſilij reuocationem, non concurriſſe ad homicidium; hoc tamen non tollit, quin excommunicationem incurrerint; nam neque ratum habens Clerici homicidium, ad illud vllo modo concurrit, & tamen hoc non impedit, quin excommunicationem incurrat; *ex cap. Cum quis: de ſent. Excom. in* 6. Ergo, etiam ſi Titius & Caius, per mandati, ac conſilij reuocationem, ad homicidium non concurrerint, adhuc in Excommunicationem inciderunt. 7

NOTABILIA.

Aduertendum eſt primò; Illum, qui alterius mandatum exequitur, non ex alio motiuo moueri ad mandatum exequendum, quam vt Mandantis voluntatem exequatur, eique rem gratam faciat. Hinc autem fit, vt mandatum pendeat totaliter à voluntate Mandantis; per hoc enim præcisè, quod Mandans oſtendat; ſibi non amplius gratam fore operationem mandatam, ceſſat in Exequente totum motiuum operandi; hoc enim totaliter pendet à voluntate Mandantis. Ceſſante autem motiuo mandati in exequente, ſi hic adhuc operetur, iam non cenſebitur operari ex motiuo mandati, ſed ex aliquo alio motiuo. Vnde Mandans, iam non influet 8

Digitized by Google

influet amplius in operationem factam ab Exequente, nec ei magis cooperabitur, quam ſi nunquam fuiſſet datum, & conſequenter nec ſubibit pœnas cooperatoribus impoſitas.

9 Aduertendum eſt ſecundò; Illum, qui alterius conſilium exequitur, moueri ad exequendum conſilium, non vt Mandanti rem gratam faciat, ſed vt faciat rem ſibi vtilem. Hinc autem fit, vt conſilium non totaliter pendeat à voluntate Conſulentis; eo enim ipſo, quod Conſulens ſemel perſuaſit Exequenti, fore illi vtilem operationem, iam non eſt amplius in eius poteſtate facere, vt ille non operetur ex tali motiuo, quandiu non proponit aliud motiuum oppoſitum ſufficiens ad illud retrahendum ab operando. Conſulens ergo, non alio modo reuocare ſufficienter poteſt conſilium ſuum, quam proponendo Exequenti motiuum oppoſitum ſufficiens ad illum retrahendum ab operando; ſic enim operatio, ſi ponatur, cenſebitur procedere non tam ex priori motiuo, quam ex malitia Exequentis, ideoque non imputabitur amplius Conſulenti; motiuum enim illud iam non cenſebitur amplius datum, ſed à Sempronio acceptum.

10 Aduertendum eſt tertiò; Dupliciter dari poſſe conſilium; Primò oſtendendo aliquid eſſe verum, vel falſum, vt ſi quis perſuadeat, aliquem contractum eſſe licitum, vel non dari in aliquo caſu particulari obligationem reſtituendi &c. Secundò; Oſtendendo aliquid eſſe vtile, vel nociuum ipſi Exequenti; conueniens, vel diſconueniens; vt ſi quis perſuadeat alteri, vt occidat inimicum propter iniuriam, quam ab illo accepit. Vt ergo Conſulens reuocet ſufficienter conſilium ſuum primo modo datum, neceſſè eſt vt aperiat falſitatem conſilij ſui, oſtendendo v. g. contractum eſſe illicitum, vel dari in tali caſu obligationem reſtituendi; &c. Vt vero reuocet conſilium. Secundo modo datum, oſtendere debet, talem operationem non eſſe illi vel vtilem, vel conuenientem; eo enim ipſo, quod hoc facit, iam Conſultus non cenſetur moueri ad patrandum delictum propter auctoritatem Conſulentis, ſed ſi illud exequatur, ex propriâ malitia exequetur: quocumque autem alio modo reuocetur conſilium, nunquam reuocatur ſufficienter, quia ſemper remanet motiuum traditum, à quo Delinquens inducitur ad delictum patrandum; ſicut, ſi quis, poſt traditum alteri enſem ad inimicum occidendum, illum repetat ſolùm, ſed non recuperet, non cenſetur repetere ſufficienter, ſed cenſetur ad homicidium concurrere; illique tanquam cooperatori homicidium imputatur. His poſitis.

RESOLVTIO I.

Ad Caſum reſpondetur primò; Caium homicidij Mandantem, excommunicationem non incurriſſe. *Sayrus lib.7. cap.2. num.* 11. *Molina diſp.*33.*mem.* 6. *Vgolinus cap.*14. §.3. *& cap.*16. *num.*4. *Bonac. de cenſ. dub.*7. *quæſt.*4. *pun.*8. *num.*20. *&* 23. & alij apud iſtos. 11

Primò; Quia Caius, per mandati reuocationem, retraxit influxum quem antea præbuerat per mandatum. Ad excommunicationem autem contrahendam requiritur, vt quis aliquo modo influat in homicidium, eique cooperetur; mandatum enim, & conſilium, in tantum ſub 12

excommunicatione prohibentur, in quantum ſunt actiones ad alterius occiſionem cooperatoriæ.

13 Secundò; Quia, ſi Caius enſem Sempronio commodatum ad Clericum occidendum, è manibus abſtraxiſſet, quamuis deinde Sempronius Clericum illum occidiſſet, homicidium illud non imputaretur Caio, nec Caius cenſeretur illi fuiſſe vllo modo cooperatus; ſed reuocando mandatum, abſtulit motiuum, quod idem Sempronius ab illo acceperat ad Clericum occidendum; Ergo, licet Sempronius adhuc Clericum occiderit, tale homicidium non eſt imputandum Caio, nec Caius vllo modo illi eſt cooperatus, & conſequenter nec Excommunicationem incurrit.

14 Tertiò; Quia mandatum, poſitâ reuocatione, iam non amplius moraliter perſeuerat, ſed perinde eſt, ac ſi nunquam fuiſſet datum, ſed ſi nunquam fuiſſet datum, ad Clerici homicidium nullo modo concurriſſet, ergo poſitâ reuocatione, nullo modo concurrit ad Clerici homicidium, ideoque nec ſubiacet excommunicationi.

RESOLVTIO II.

15 Reſpondetur ſecundò; Titium homicidij Conſultorem, ſi conſilium renocauit, proponendo Sempronio motiuum oppoſitum ſufficiens, ad illum retrahendum ab homicidio, in excommunicationem non incidiſſe. *Sayrus lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. *& cap.* 3. *num.* 6. *Suar. diſp.* 44. *ſect.* 3 *num.* 13. *Filliuc. tract.* 20. *cap.* 4. *num.* 34. *P. Nauar. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 27. *Silueſter v. homic.* 1. *num.* 12. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 4. & alij communiter.

Primò; Quia, eo ipſo, quod Titius Sempronio propoſuit motiuum ſufficiens ad illum à Clerici occiſione retrahendum, iam Sempronius moueri non potuit ad illum occidendum ab auctoritate Conſulentis, cum hic, conſilij ſui vel falſitatem, vel peruerſitatem oſtenderit. Ergo motus eſt totaliter à ſuâ malitiâ, eique ſoli proinde imputandum eſt homicidium, non Titio. 16

Secundò; Quia Titius, proponendo Sempronio motiuum oppoſitum ſufficiens ad illum ab homicidio retrahendum, abſtulit motiuum antea eidem datum ad occidendum; hoc enim, ſuperueniente motiuo oppoſito ſufficienti, rationabiliter amplius illum mouere non poteſt ad occidendum, perinde ac, ſi nunquam fuiſſet propoſitum. Sed, ſi Titius nunquam propoſuiſſet motiuum ad occidendum nullum præbuiſſet concurſum ad homicidium, nec in excommunicationem incidiſſet. Ergo etiam proponendo Sempronio, poſt datum Conſilium ad occidendum, motiuum ſufficiens ad non occidendum, nullum cenſendus eſt, præbuiſſe concurſum ad homicidium; ideoque nec in Excommunicationem incidiſſe; ad hanc enim incurrendam, neceſſariò requiritur, vt quis committat delictum ſub Excommunicatione prohibitum. Delictum autem ſub Excommunicatione prohibitum, in noſtro caſu principaliter eſt, Clerici occiſio, minus verò principaliter, omnis cooperatio ad talem occiſionem. 17

RESOLVTIO III.

Reſpondetur tertiò; Titium, ſi ſolis precibus conſilium reuocauit, à Sempronio expetendo, vt à Clerici occiſione abſti- 18

abſtineret, probabilius Excommunicationem incurriſſe. *Nauar. c.*27. *num.* 353. *Azor. par.*3. *lib.*2. *cap.* 8. *Bonac. diſp.*7. *qu.*4. *pun.*8. *n.*20. & alij apud iſtos.

19 Primò; Quia, cum ſolæ preces non tollant motiuum antea datum ad occidendum, non reuocant ſufficienter conſilium datum; Ergo occiſio cenſetur adhuc ſequuta ex tali motiuo, & conſequenter ex conſilio; Ergo Titius, per conſilium, Clerici occiſioni cooperatus eſt, ac proinde excommunicationem incurrit.

20 Secundò; Quia, ſi Titius, poſt datum Sempronio enſem ad Clericum occidendum, illum deinde ſolis precibus repetijſſe, nec re ipſa è manibus abſtuliſſet, cenſeretur gladium non ſufficienter repetijſſe, & ſic conſequenter ad Clerici occiſionem concurriſſe; vſus enim ipſius gladij adhuc imputari poſſet tradenti. Sed etiam ſolis precibus reuocando motiuum datum ad occidendum, re ipſa illud non abſtulit, ſed Sempronius ab eo adhuc inductus eſt ad Clericum occidendum. Ergo etiam in hoc caſu, conſilium ſufficienter non reuocauit, ſed influxum præbuit ad homicidium; cum enim ipſe motiuum dederit ad occidendum, vſus illius motiui ſemper illi rationabiliter imputatur, tanquam tradenti.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

21 AD rationes autem initio propoſitas reſpondetur. Ad primam; Mandantem homicidium per Aſſaſſinos, ſtatim in Excommunicationem incidere etiam ſi deinde mandatum reuocet, quia *d. cap.* 1. principaliter prohibetur non homicidium, ſed mandatum; At in *Canone Si quis:* mandatum & conſilium non prohibentur principaliter, ſed ſolùm acceſſoriè; id enim, quod principaliter prohibetur, eſt, enormis Clerici percuſſio, ſecundario verò omnis cooperatio ad illam. Quando autem aliquid acceſſoriè ſolùm ſub Excommunicatione prohibetur, non incurritur Excommunicatio, niſi ſequuto effectu, ac delicto principaliter prohibito. Cum ergo mandatum ſupponatur à Caio reuocatum ante Clerici occiſionem conſequenter Caius illi cooperatus non eſt, ac proinde nec in Excommunicationem incidit.

Ad ſecundam reſp; Negando, per re- 22
uocationem mandati, ac conſilij primo modo, non fuiſſe ſufficienter ſublatum influxum in homicidium; quamuis enim Clericus aliàs non fuiſſet occiſus, niſi præceſſiſſet mandatum, vel conſilium, poſita tamen reuocatione, homicidium non eſt ſecutum ex vi mandati, vel conſilij, niſi fortè tanquam ex occaſione, quæ non ſufficit ad influxum.

Ad tertiam reſp; Reuocaſſe ſufficien- 23
ter mandatum, & conſilium primo modo, ſicut ſufficienter arma repetijſſent, ſi illa è Sempronij manibus abſtuliſſent, illi enim verè abſtulerunt motiuum datum ad Clericum occidendum.

Ad quartam reſp; Negando magis in- 24
fluere Mandantem, & Conſulentem etiam poſt conſilij, ac mandati reuocationem, quam non impedientem, vel enim non impediens, impedire tenetur ex officio, vt Reges, Principes, &c. vel ſolùm ex charitate, vt omnes alij, qui impedire commodè poſſunt. Si primum; multo magis influit non impediens, quia illi imputatur homicidium tanquam veræ cauſæ, ideoque in Excommunicationem

Digitized by Google

incidit. Si ſecundum; non magis influunt Mandans, & Conſulens reuocato mandato, ac conſilio, quia neuter vllo modo moraliter influit, ideoque etiam neuter Excommunicationem contrahit.

25 Ad quintam reſp; Ideo ratam habens Clerici occiſionem ſuo nomine factam incidit in excommunicationem, non quia influat in homicidium, ſed quia ita expreſsè habetur *in cap. Cum quis: de ſent. Excom. in 6.* non habetur autem *in Canone. Si quis ſuadente.* Quod in excommunicationem incidant Mandantes, etiam ſi in occiſionem non influant, ſed ſolùm quod excommunicationem incurrant omnes, ad Clerici enormem percuſſionem concurrentes.

COROLLARIA.

26 Colligitur ex dictis primò; Conſulentem, ac Mandantem, excommunicatione non ligari, quando delinquens, eodem modo commiſſurus erat delictum, etiam ſine mandato, ac conſilio; quia tunc, per ſuum mandatum, & conſilium, nihil influunt in delictum, v. g. in Clerici percuſſionem, vel occiſionem; Ad excommunicationem autem incurrendam, requiritur, vt aliquo modo ad delictum principaliter prohibitum concurratur. *Nau. cap. 27. n. 51.*

27 Secundò; Conſulentem, ac Mandantem, excommunicatione ligari, quando per ſuum conſilium, vel mandatum augent voluntatem Delinquentis ad patrandum delictum ſub excommunicatione prohibitum; quamuis Delinquens, alias delictum illud committere paratus eſſet; quia augendo voluntatem, cooperantur ad delictum, vel celerius, vel grauius committendum. *Syluester V. Excommunicat. 8. num. 10.*

Tertiò; Conſulentem, Excommunicatione non ligari, quando parato facere maius malum, conſulit minus; vt, ſi parato Clericum occidere, conſulat illum tantummodo grauiter percutere. Quia quamuis hic, per ſuum conſilium, influat in Clerici percuſſionem, non influit tamen culpabiliter, nec peccat; Conſulere enim minus malum, non eſt peccatum, ſed potius opus bonum; ad excommunicationem autem incurrendam requiritur peccatum mortale. *Molina tom. 4. diſp. 52. num. 2.* 28

Quartò; Non eſſe etiam improbabile, quod conſilium ſolis precibus reuocans, excommunicatione non ligetur, quia poſità tali reuocatione, actio iniuſta, & Clerici occiſio, non cenſetur amplius prouenire à Conſulente, ſed ab Exequente, cuius malitiæ imputandum eſt delictum, tanquam cauſæ totali. *Reginaldus lib. 10. num. 108.* vide quæ diximus *lib. 1. queſt. 14.* 29

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XVII.

An lex pœnalis obliget, effectu prohibito extra territorium ſecuto.

CASVS.

1 EPISCOPVS quidam, excommunicationem tulerat contra homicidas. Accidit autem, vt homo facinoroſus, in finibus Diœceſis exiſtens, inimicum ſuum extra Diœceſim exiſtentem, ſclopo occiderit, & alium adhuc in Diœceſi exiſtentem, enſe tam grauiter vulnerauerit, vt paucis poſt diebus, extra Diœceſim mortuus ſit. Quæritur; an, & quot excommunicationes incurrerit homo ille.

SVMMARIVM.

2 *Occidens extra Territorium exiſtentem, incurrere videtur cenſuras.*
3 *Si ipſe ſit in Territorio.*
4 *Homicidium fuit inchoatum in Territorio.*
5 *Illas incurrit lethaliter vulnerando.*
6 *Et Monaſterium exemptum ingrediendo.*
7 *Ratione homicidij, cenſuram non incurrit.*
8 *Non commiſit delictum ſub cenſura prohibitum.*
9 *Sicut incurriſſet, occidens in Eccleſia exiſtentem.*
10 *Secus autem occidendo extra illam exiſtentem.*
11 *Lethaliter vulnerans, cenſuram incurrit.*
12 *Ponit totum delictum in Territorio.*
13 *Tota malitia homicidij, conſiſtit in vulneratione lethali.*
14 *Delictum, cenſetur commiſſum, vbi eſt terminus actionis.*
15 *Ad cenſuram ſufficit delictum inchoatum, quando ipſa inchoatio principaliter prohibetur.*
17 *Cum Tritici extractio, prohibetur, prohibetur actus, qui fit in Territorio.*
18 *Lethaliter vulnerans, in eo Territorio conueniri poteſt.*
19 *Dummodo delictum ſit in Territorio commiſſum, ſemper incurritur cenſura.*
20 *Sicut, quando imponitur propter delictum præteritum.*
21 *Fideles cenſuris Pontificijs, vbique ligantur.*
22 *Sola delicti inchoatio prohiberi poteſt.*
23 *Debitor, citari poteſt in Territorio, in quo debita contraxit.*

RATIONES DVBITANDI.

ALia difficultas circa modum obligandi 2
legis pœnalis eſt; an obliget, quando effectus prohibitus, ſequitur extra Territorium Legislatoris. Aliqui enim putant obligare, & conſequenter Virum facinoroſum excommunicationem contraxiſſe, inimicum ſuum, quamuis extra Diœceſim exiſtentem, occidendo. *Armilla v. excomm. n.* 3. *Nauar. cap.* 27. *n.* 6. *Paludanus diſp.* 19. *quæſt.* 2. *ar.* 3. *Manual. Prælat. quæſt.* 3. *art.* 8. *concl.* 3. *Syluest. v. excomm.* 2. *n.* 15. *Rodrigu. tom.* 2. *qu.* 59. *art.* 1.

Primò;

Digitized by Google

3 Primò; Quia, quamuis eius inimicus, eſſet extra Diœceſim, ipſe tamen erat in Diœceſi. Delictum autem ibi dicitur commiſſum, vbi eſt delinquens; cum enim ſit eius actio, ab illo ſeparari non poteſt. Cum ergo delinquens ſupponatur fuiſſe in Diœceſi, in quà homicidium erat ſub excommunicatione prohibitum, etiam delictum in eadem Diœceſi cenſebitur commiſſum, & conſequenter excommunicationis pœna contracta.

4 Secundò; Quia, etiam ſi concederetur, homicidium non fuiſſe conſummatum in Diœceſi, certum eſt tamen, ibi ſaltem fuiſſe inchoatum. Hoc autem ſufficit ad excommunicationis pœnam contrahendam; *in l. enim prima C. vbi de crimine agi oportet*: apertè decernitur; delinquentem, qui in vno loco delictum inchoauit, & in alio compleuit, vtriusque territorij Superiori ſubijci, & ab vtroque poſſe puniri. Cum ergo Vir facinoroſus, homicidium in Diœceſi, vbi ſub excommunicatione erat vetitum, ſaltem inchoauerit, cenſuram tali delicto impoſitam contraxit.

5 Tertiò; Quia, ſi in excommunicationem non incidiſſet, occidendo extra Diœceſim exiſtentem; neque illam incurriſſet lethaliter vulnerando exiſtentem in Diœceſi; cum enim ſupponatur, mortuus eſſe extra Diœceſim; ſicut inimicus occiſus; ſequitur, vtrumque delictum æquè eſſe inchoatum in Diœceſi, & extra illam conſummatum. Ergo, ſi propter primum delictum, excommunicationem non incurrit, neque illam incurrit propter ſecundùm, quod tamen eſt contra communem ſenſum Doctorum.

Quartò; Quia, ſi Vir facinoroſus excommunicationem non contraxiſſet occidendo extra Diœceſim exiſtentem, quia delictum non conſummauit in Diœceſi, neque illam incurreret, qui contra ſtatutum Epiſcopi ſub excommunicatione prohibentis ingreſſum in Monaſteria Monialium, Monaſterium exemptum ingrederetur; Delictum enim conſummaret in loco exempto. Similiter neque excommunicationem incurreret, qui contra ſtatutum Epiſcopi ſub excommunicatione prohibentis tritici extractionem extra Diœceſim, illud extraheret; Extractio enim, licet inchoetur in territorio, extra territorium tamen completur, ac conſummatur. Conſequens autem ab omnibus communiter negatur. 6

RESOLVTIO I.

Reſpondetur tamen primò; Virum facinoroſum, ratione primi delicti, ſeu homicidij, excommunicationem non incurriſſe. *Suar. diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 9. *Filliuc. tract.* 11. *cap.* 5. *quæſt.* 9. *Reginald. lib.* 9. *num.* 146. *Vaſq. tr. de excom. diſ.* 12. *num.* 21. *Salas d.* 14. *ſect.* 7. *num.* 79. *Azor. par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 25. *quæſt.* 4. *Auila par.* 2. *cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 5. & alij apud iſtos. 7

Primò; Quia nemo incurrit cenſuram, niſi committat delictum ſub cenſurà prohibitum; Vir autem facinoroſus, non commiſit delictum in territorio ſub excommunicatione prohibitum; Hoc enim, eſt homicidium, ſiue actus conſummatus, & completus, & quidem cum effectu; nam cum verſemur in materià odioſà, verba ſtrictè accipienda ſunt, ideoque cum effectu; Homicidium autem, non fuit con- 8

conſummatum, & completum in territorio, ſed extra, & in territorio fuit ſolùm inchoatum.

9 Secundò; Quia qui exiſtens extra Eccleſiam, iacit ſagittam intra Eccleſiam, ibique hominem exiſtentem occidit, incurrit cenſuram latam contra occidentes in Eccleſiâ. Ergo è contra, qui exiſtens in Diœceſi, iacit ſagittam extra Diœceſim, ibique hominem exiſtentem occidit, non incurrit cenſuram latam contra homicidas; ideo enim in primo caſu, incurritur cenſura, quia homicidium completur in Eccleſiâ, licet ſit inchoatum extra Eccleſiam; ſed etiam, in ſecundo caſu, homicidium completur extra Diœceſim, licet fuerit inchoatum in Diœceſi. Ergo in ſecundo caſu non incurritur cenſura.

10 Tertiò; Quia, qui exiſtens in Eccleſiâ, iacit ſagittam extra Eccleſiam, ibique hominem exiſtentem occidit, non committit ſacrilegium; è contra verò illud committit, ſi exiſtens extra Eccleſiam iaciat ſagittam intra Eccleſiam, ibique exiſtentem occidat. Ergo eodem modo, qui exiſtens in territorio iacit ſagittam, vel tormentum igneum explodit, & occidit exiſtentem extra territorium, non incurrit excommunicationem in illâ Diœceſi contra homicidas latam; è contra verò illam incurrit, ſi ſit ſubditus, & extra territorium exiſtens, tormentum igneum explodens, exiſtentem in territorio occidat; non minus enim ad incurrendam cenſuram requiritur actus externus conſummatus, & completus, quam ad ſacrilegium committendum.

11 RESOLVTIO II.

RESpondetur ſecundò; Vitum facinoroſum, ratione ſecundi delicti, excommunicationem contra Homicidas latam incurriſſe. *Suar. diſp. 5. ſect. 4. num. 10. Filliuc. tract. 11. cap. 5. num. 151. Salas de legib. diſp. 14. ſ. 5. num. 73. Bonac. d. 1. de cenſ. qu. 1. pun. 11. num. 12. Auila par. 2. cap. 3. diſp. 2. dub. 5.* & alij communiter.

Primò; Quia, quamuis lethaliter Vulneratus, ſupponatur mortuus extra Diœceſim, accepit tamen vulnus lethale in Diœceſi. Vulnus autem lethale cenſetur moraliter homicidium, & delictum conſummatum, quo ad actionem externam, licet non quo ad vltimum effectum; nulla enim alia actio externa requiritur ad homicidium, ſed ſolùm eſt expectandum, vt ſequatur effectus, quem per accidens eſt, ſequi potius in vno territorio quam in alio. Cum ergo delictum ſupponatur completum, ac conſummatum in territorio, ſequitur quod delinquens, pœnam excommunicationis incurrerit. Non prius tamen, quam ſequuta fuerit mors Vulnerati; quia homicidium, cum intelligendum ſit cum effectu, eſſentialiter, præter vulnerationem lethalem, dicit etiam mortem ſequutam; Vnde; ſi mors aut naturaliter, aut etiam ſupernaturaliter fuiſſet impedita, Delinquens excommunicationem non incurriſſet. 12

Secundò; Quia tota malitia homicidij conſiſtit in vulneratione lethali. Cum ergo Delinquens, lethaliter vulnerauerit exiſtentem in territorio, totam malitiam homicidij poſuit in territorio, ideoque excommunicationem homicidis impoſitam meritò incurrit; hæc enim, eſt, impoſita propter malitiam homicidij, ſiue propter homicidium, quatenus eſt delictum; eſt autem delictum formaliter ſolùm per lethalem vulnerationem. 13

OBIECTIONVM SOLVTIO.

14 AD rationes autem in contrarium reſpondetur. Ad primam; negatur, delictum cenſeri ſemper commiſſum in loco, vbi eſt Delinquens; Licet enim delictum; quando eſt actio aliqua immanens; (vt ſi Clericus ſe ipſum percuteret;) ſit in eodem loco, in quo eſt Delinquens, quia in ipſo Delinquente recipitur; quando tamen eſt actio tranſiens, cum recipiatur, non in ipſo Delinquente, ſed in termino ipſius actionis, conſequenter, eſt, non vbi eſt Delinquens, ſed vbi eſt terminus actionis, & delicti.

15 Ad ſecundam; Negatur, ad excommunicationem contrahendam ſufficere delictum inchoatum. Quando enim ſub cenſurà, ſimpliciter prohibetur delictum; cenſetur prohiberi non delictum inchoatum, ſed conſummatum, cum verba ſtrictè, & cum effectu ſint intelligenda, eo quod verſemur in materià odioſà. Quamuis autem delicta, iure Ciuili vetita, ſubijciantur, & Superiori loci, in quo delictum eſt inchoatum, & illius, in quo eſt conſummatum, quia ius Ciuile ita decreuit; hinc tamen arguere non licet; quod idem accidat etiam in delictis ab Eccleſià vetitis ſub cenſurà; Eccleſia enim nullibi hoc ſtatuit; Vnde attendendum eſt territorium, vbi delictum ſub cenſurà prohibitum conſummatur, quia ibi ſolùm incurritur pœna ſtatuta.

16 Ad tertiam reſpondetur; Eſſe euidentem diſparitatem, vbi enim vulnus lethale infligitur, ibi committitur tota malitia homicidij; vbi autem ſclopus exploditur, ſicuti non ponitur vulneratio lethalis, ita non ponitur tota malitia homicidij. Sic qui Virginem extra territorium violenter trahit, ibique deinde eam cognoſcit, illam trahendo extra territorium, non ponit in territorio totam malitiam ſtupri; imo, ſi eam extra territorium non cognoſceret, neque ſtuprum committeret; Vnde, ſi excommunicatio eſſet impoſita ſtupro, trahens Virginem extra territorium, illam non incurreret, quia trahendo præcisè, ſtuprum non commiſiſſet. At qui in territorio vulnus lethale inflixit, in territorio homicidium commiſit, quia in territorio totam eius malitiam poſuit.

Ad quartam reſpondetur; Cum ſub excommunicatione prohibetur ingreſſus in Monaſteria Monialium; extractio tritici extra territorium; & ſimiles actiones, quæ phyſicè complentur, ac terminantur extra territorium Prohibentis; cenſeri prohibitum, non actum conſummatum, ſed illum actum, qui vltimo fit in territorio; Epiſcopus enim, cum prohibere non poſſit niſi delicta, quæ intra territorium committuntur, eo ipſo quod prohibet actum, qui compleri phyſicè non poteſt niſi extra territorium, cenſetur illum prohibere ſolùm, quatenus fieri poteſt in territorio; ſic enim limites ſuæ poteſtatis non excedit, & aliunde delictum ſic prohibitum, habere videtur malitiam ſufficientem ad talem prohibitionem, & cenſuram contrahendam: Adde, quod delictum dici etiam poteſt moraliter conſummatum in territorio, quia illa actio conſummatur, vel in ipſo termino territorij, vel immediatè poſt illum. 17

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; ex hoc etiam inferri, quod vulneratio lethalis contineat totam malitiam homicidij, quia lethaliter aliquem Vulnerans, conueniri 18

poteſt

Digitized by Google

poteſt in eo territorio, in quo illum vulnerauit, & in illo puniri, non vero in eo, in quo Vulneratus, eſt mortuus; In hoc enim, eſt poſitus ſolus effectus vulnerationis lethalis, qui nullam includit in ſuo conceptu malitiam, aut delictum, ſed illam ſupponit totam iam poſitam per lethalem vulnerationem.

19 Secundò; Dummodo delictum in territorio committatur, ſemper incurri cenſuram tali delicto impoſitam, ſiue deinde Delinquens ſit in territorio, in quo delictum commiſit, ſiue ſit extra; Ad cenſuram enim incurrendam non requiritur, quod Perſona delinquens ſit in territorio, in quo deliquit, ſed ſatis eſt, ſi ipſum delictum in territorio ponatur, ac conſummetur. Hinc excommunicationem incurrit Clericus, qui ad Synodum à ſuo Epiſcopo, per ſtatutum generale, ſub pœna excommunicationis vocatus, illi, tempore debito, non aſſiſtit; & Beneficiarius, vel Canonicus, qui ſimili ſtatuto, vocatus ad reſidendum, non reſidet; quia cenſentur delictum omiſſionis aſſiſtentiæ Synodo, vel reſidentiæ, committere in territorio Epiſcopi ſtatuentis; ibi enim delictum committi cenſetur, vbi actus præceptus erat ponendus, *l. Qui non facit, ff. De reg. iuris.* Cum ergo aſſiſtentia, & reſidentia ponendæ eſſent in territorio Epiſcopi ſtatuentis, ſequitur, delictum in eodem territorio cenſeri commiſſum, ideoque pœnæ impoſitæ eſſe ſubiectum: Hæc autem genera ſtatutorum, ſiue præceptorum, ferri conſueuerunt non ſolum à Superioribus Eccleſiaſticis, ſed etiam à Laicis; vt quando omnibus Subditis ſub pœna confiſcationis omnium bonorum præcipitur, vt intra certum tempus ſe præſentent in Aula; quod præceptum, quando fit propter bonum commune, & ex iuſta causâ, non eſt cur validum non ſit, & non liget.

Tertiò; Incurri cenſuram, quando lata eſt propter delictum præteritum, patratum eo tempore, quo delinquens erat ſubditus Superioris, qui tulit cenſuram; quamuis delinquens extra territorium exiſtat; Immo etiam ſi illius Superioris deſinat eſſe ſubditus. Si enim Epiſcopus ſub excommunicatione præcipiat, vt, qui tale furtum commiſit, intra menſem reſtituat, & Titius furtum illud commiſit; ſi hic intra menſem non reſtituat, quamuis ante finem menſis mutet domicilium, adhuc non reſtituendo, excommunicatione ligabitur, quia, quamuis per mutationem domicilij deſinat eſſe ſimpliciter ſubditus Epiſcopi præcipientis ratione domicilij; remanet tamen adhuc illi ſubditus ſecundum quid, ratione delicti in eius territorio commiſſi; ideoque ibi conueniri poteſt, & conſequenter etiam excommunicari, niſi reſtituat, ex *c. fin. de foro compet. Suarez. diſp. 3. ſect. 5. num. 5.* 20

Quarto; Quemlibet Fidelem, vbicumque exiſtat, ligari cenſuris à Summo Pontifice generaliter, & non pro aliquo tantum loco latis; quia Fidelis vbicumque delinquat, dicitur delinquere in territorio Summi Pontificis; Summus enim Pontifex territorium particulare non habet, ſed eius territorium, eſt totus mundus, *Coninch. diſp. 13. d. 7. num. 49.* 21

Quinto; Poſſe Epiſcopum ſub excommunicatione prohibere, non ſolum delictum, quod conſummatur in proprio territo- 22

ritorio, ſed etiam, quod in proprio territorio ſolum inchoatur, & perficitur in alieno; Sicut enim principaliter prohibere poteſt delictum conſummatum, ita principaliter prohibere poteſt inchoationem delicti; immo etiam eius attentationem. Atque ita de facto contingit, cum prohibetur acceſſus ad monaſteria Monialium in ordine ad colloquendum cum ipſis, vel mandatum de homicidio, &c. in quibus caſibus Epiſcopus, non ſolum punire poteſt delictum pœnâ excommunicationis, ſed etiam reum citare, conuenire, ac pœna iudiciali punire, quamuis in alieno territorio exiſtat; ratione enim delicti, eſt eius ſubditus actualis. *Auila par. 2. c. 3. diſp. 4. d. 2. concl. 2.*

23 Sexto; Poſſe aliquem, qui in ſua Diœceſi, vel territorio, debita reliquit, quamuis exiſtat in aliena Diœceſi, citari ad ex ſoluenda; immo etiam excommunicari, ſi non ſoluat; Quia, ratione debiti, eſt actualiter Subditus illius territorij, & debitum non ſoluendo, cenſetur delictum committere in ipſo territorio; ibi enim cenſetur committi delictum, vbi quis illud vitare tenebatur, *l. Qui non facit, ff. De reg. iuris, & cap. 1. de vſuris in 6.* Similiter poteſt quis, quamuis exiſtens in aliena Diœceſi, in propria citari, ratione contractus ibi celebrati, quia ratione contractus eſt ſubditus illius Diœceſis; Vnde in eo ſolum caſu videtur Delinquens puniri non poſſe, quando non ſolum ipſe, ſed etiam res, circa quam deliquit, & delictum ipſum ſunt totaliter extra territorium; tunc enim ſolum videtur habere locum, *cap. Vt animarum, de conſtitutionibus in 6. Auila loc. cit. concl. 6.*

QVAESTIO XVIII.

An Lex pœnalis obliget ad pœnam ante Iudicis ſententiam.

CASVS.

1 TITIVS ad Epiſcopatum Cantuarienſem electus, diſtulit conſecrationem ad annum; *In Tridentino autem ſeſſ. 23. 2. reform.* habetur; quod, ſi Epiſcopus conſecrationem intra tres menſes non ſuſceperit, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneatur; ſi verò intra totidem menſes poſtea id facere neglexerit, Eccleſia ipſo iure ſit priuatus. Quæritur; Vtrum Eccleſiam deſerere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopus tempore à Tridentino præfixo non conſecratus videtur teneri Eccleſiam deſerere.*

3 *Sicut, ſi eſſet excommunicatus teneretur à Fidelium communione abſtinere.*

4 *Priuatio Eccleſiæ, videtur pœna conditionalis.*

5 *Sicut priuatio fructuum.*

6 *Princeps obligare poteſt ad pœnam ſtatim incurrendam.*

7 *Pœna,*

7 *Pœna, aliæ ſunt poſitiuæ, aliæ priuatiuæ.*
8 *Aliæ conditionales.*
9 *Epiſcopus Eccleſiam deſerere non tenetur.*
10 *Priuatio beneficij, eſt priuatio rei propriæ, ſicut confiſcatio.*
11 *Hæc pœna, à Trid. imponitur ſolùm ſub conditione, quod delictum fuerit per ſententiam declaratum.*
12 *Sicut Bonorum confiſcatio imponitur Hæreticis.*
13 *Et ſicut Beneficiorum priuatio, Simoniacis.*
14 *In quo differant cenſuræ, a beneficij priuatione.*
15 *Epiſcopatus Collatio, non eſt conditionata, ſed abſoluta.*
16 *Lex priuans fructibus beneficij, priuat iure, non quæſito, ſed acquirendo.*
17 *In quo differant, ſententia lata, ac ferenda.*
18 *Nulla pœna, præter cenſuras, ſtatim incurritur.*
19 *Quæ incurrantur ante Iudicis ſententiam.*

RATIONES DVBITANDI.

2 AD modum obligandi legis pœnalis pertinet etiam; an obliget ante Iudicis ſententiam. Quidam enim voluerunt, obligare; ideoque Titium teneri Eccleſiam deſerere. Ita *Nau. cap.* 25. *num.* 117. *Reginald. lib.* 13. *num.* 295. *Vaſq.* 1.2. *diſp.* 178. *cap.* 4. *num.* 25. *Valentia diſp.*7. *quæſt.*5. *pun.*6. *quæſt.*4. *Silueſt. v. emphyteuſis quæſt.* 2.

3 Primò; Quia, ſi fuiſſet ipſo iure excommunicatus, teneretur à fidelium communione abſtinere; ergo cum fuerit ipſo iure Eccleſiam priuatus, videtur teneri eam deſerere; non minus enim hæc, eſt pœna ipſo iure impoſita, & conſequenter per ſe annexa delicto, quam eſſet excommunicatio; Ergo ſi iſta ſtatim incurritur, etiam illa.

Secundò; Quia priuatio Eccleſiæ, videtur eſſe pœna conditionalis; Eccleſia enim videtur, ſub hac tacitâ conditione, illi eſſe conceſſa, vt intra ſex menſes à confirmatione, conſecretur. Pœna autem conditionalis, ſtatim, & ante omnem Iudicis ſententiam, incurritur. Vnde Mulier, cui à Marito relicta eſt hæreditas, ſi Vidua remanſerit; ſtatim ac ad ſecundas nuptias tranſit, tenetur ſine alia Iudicis ſententiâ, hæreditatem relinquere. 4

Tertiò; Quia eodem Iure tenetur Eccleſiam deſerere, quo tenetur fructus primis tribus menſibus perceptos reſtituere, eodem enim modo Tridentinum de his loquitur, ac de Eccleſiâ; hos autem ſtatim, & ante omnem Iudicis ſententiam tenetur reſtituere, cum eos eodem modo reſtituere teneatur, ac teneretur, ſi diuinum officium omiſiſſet; Eccleſia enim eodem prorſus modo illum in vtroque caſu ad fructuum reſtitutionem obligat. 5

NOTABILIA.

ADuertendum eſt primò; Certum eſſe, quod Princeps, non ſolum Eccleſiaſticus, ſed etiam Laicus, per ſuas leges obligare poteſt ſubditos ad pœnam moderatam, ſtatim, & ante omnem Iudicis ſententiam ſubeundam. Tum quia, ſicut Eccleſia in pœnam delicti, hoc modo priuare poteſt Sacramentorum perceptione, & fidelium communione, ita nulla eſt ratio, cur etiam Reſpublica eodem modo priuare non poſſit delinquentem dominio pecuniarum, 6

& inhabilem reddere ad officia publica, & alia munera ſubeunda; Tum quia obligatio ad pœnas hoc modo ſubeundas, Reipublicæ poteſtatem non excedit; ſicut enim Reſpublica, propter bonum commune, ieiunium, eleemoſynam, remigationem, aut aliam ſimilem actionem præcipere alicui poteſt; ita non apparet, cur has eaſdem illi præcipere non poſſit; ob aliquod delictum commiſſum. Tum denique quia, ſi Iudex poteſt per ſententiam obligare ad pœnam, multò magis poterit Reſpublica, à quâ ille totam habet auctoritatem.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Pœnas, alias eſſe poſitiuas, alias priuatiuas; poſitiuæ ſunt, quæ ad ſui executionem, actionem aliquam requirunt, ſiue deinde actio illa ponenda ſit ab ipſo delinquente, ſiue ab aliquo tertio; priuatiuæ ſunt, quæ aliquo iure, aut aliqua re priuant, vel ad aliquid reddunt inhabiles; vt ſunt omnes cenſuræ, irritationes, inhabilitates, actuum annullationes &c. Hæ autem aliquando priuant iure aliquo iam acquiſito, vt beneficio, vel officio; & iſtæ propriè ſunt pœnæ; aliquando verò priuant ſolùm iure aliquo acquirendo, reddendo inhabiles ad aliquem fauorem recipiendum; vt eſt pœna, *in Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. reform.* conſtituta Clericis, minorum ordinum, & ſine beneficio, vt Fori priuilegio non gaudeant, ſi Clericalem habitum non geſtauerint.

8 Aduertendum eſt tertiò; Aliquas dari pœnas conditionales, quæ dicuntur conditionales, quia potius ſunt conditiones, ſub quibus aliquid à lege conceditur, quam pœnæ, & in hoc pœnarum genere ponuntur pœnæ teſtamentariæ, quas Teſtatores Legatarijs imponunt, illos legatis priuando, ſi hoc, vel illud fecerint, aut omiſerint; huiuſmodi autem leges pœnales, obligare in conſcientiâ ante omnem Iudicis ſententiam, conſtat, quia iſtæ propriè non ſunt pœnæ, ſed conditiones, ſub quibus aliquid conceditur; conditione autem non impletâ, ante omnem Iudicis ſententiam, ceſſat fauor factus. His poſitis.

RESOLVTIO.

AD Caſum Reſpondetur; Probabilius 9
videri; quod Titius Epiſcopatum in conſcientiâ relinquere, ante ſententiam criminis declaratoriam, non teneatur. *Sanchez lib. 3. matr. diſp. 53. & lib. 7. diſp. 89. n. 11. & lib. 2. ſum. cap. 22 n. 20. Salas d. 5. ſect. 3. n. 49. Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 96. Azor lib. 5. cap. 8. quæſt. vlt. Nauarr. cap. 23. n. 63 Vaſq. 1. 2. tom. 2. diſp. 173. cap. 1. Bonac. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 7. §. 2. n. 26. Suar. lib. 5. cap. 8. n. 15. Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 8. & cap. 34. dub. 34. Sotus lib. 1. qu. 6. art. 6. ad* 8. & alij plures apud iſtos.

Primò; Quia priuatio beneficij eſt pœ- 10
na, quæ ad ſui executionem aliquam requirit actionem, vel ipſius beneficiarij, vel Iudicis, eſt enim priuatio alicuius rei propriæ, non minus quam confiſcatio ſit propriorum bonorum priuatio; pœna autem, quæ ad ſui executionem, aliquam requirit actionem non obligat in conſcientiâ, niſi poſt Iudicis ſententiam declaratoriam criminis. Tum quia alias lex eſſet nimis dura, ac oneroſa, nec humanæ imbecillitati ſe accommodaret, ſi per pœnæ executionem, teneretur delinquens, delictum ſuum alias occultum manifeſtare. Tum

quia

Digitized by Google

quia æquum eſt, vt pœnā; quæ publica Iudicis auctoritate fuit inchoata per legem; publicè etiam per eiuſdem ſententiam perficiatur; Ergo Titius ante Iudicis ſententiam, Eccleſiam relinquere non tenetur.

11 Secundò; Quia Tridentinum, dum Epiſcopum, poſt ſex menſes non conſecratum, ipſo iure priuat Epiſcopatu, cenſetur hanc pœnam impoſuiſſe ſolùm, ſub hac tacitā conditione, quod delictum per Iudicis ſententiam fuerit declaratum; cum enim obligatio, ante Iudicis ſententiam ſubeunda, exprimi regulariter ſoleat; vt fit *in extrauag. Ambitioſæ:* de rebus Eccleſiæ non alienandis; & alibi; ſequitur, quod eo ipſo, quod talis obligatio non exprimatur, Legislator rationabiliter cenſeatur, eam nolle imponere, cum odia ſint reſtringenda. Cum ergo Titij negligentia, ac delictum, nondum ſupponatur per Iudicis ſententiam declaratum, conſequenter non tenetur Titius Epiſcopatum deſerere.

12 Tertiò; Quia non minus, ipſo iure, priuantur Hæretici bonis poſſeſſis, à die commiſſi criminis; *ex cap. Cum ſecundum leges*; *de hæret. in 6.* quam ipſo iure priuetur Epiſcopus, poſt ſex menſes non conſecratus, ſuā Eccleſiā. Sed Hæretici, ante ſententiam criminis declaratoriam, bona Fiſco tradere non tenentur, & contractus, & alienationes ab ipſis factæ, validæ ſunt. Ergo neque Epiſcopus non conſecratus, ſuam Eccleſiam relinquere tenebitur; ſicut enim, ipſo iure, pœna integrè ab Hæretico non incurritur, ſed ſolùm inchoatè, ita non integrè incurritur ab Epiſcopo, ſed ſolùm inchoatè; cum eadem vtriuſque ſit ratio.

13 Quartò; Quia, non minus ex eodem *Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. reform.* Simoniaci ipſo iure ſpoliantur beneficijs obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda, quam Epiſcopus tempore ſtatuto non conſecratus, ipſo iure ſpolietur Eccleſia; vtrique enim ipſo iure ſpoliantur. Sed Simoniaci non obligantur renunciare beneficijs, alioquin obligarentur ad ſe ipſos manifeſtandos, vel ad grauem neceſſitatem ex eorum amiſſione ſuſtinendam. Ergo neque Epiſcopus obligabitur ad ſuam Eccleſiam deſerendam; In his enim pœnis priuantibus iure quæſito, vt integrè incurrantur, expectanda eſt ſententia criminis declaratoria. Et hoc verum eſt, non ſolùm quoad poſſeſſionem, ac adminiſtrationem, ſed etiam quoad titulum beneficij; nam huius etiam priuatio, non videtur delicto annexa, quia alioquin Priuato non liceret Sacramenta miniſtrare, & alia iura, ac munera, quæ ratione beneficij conceduntur, exercere, neque beneficij fructus percipere.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium. Reſpondetur; Ad primam; Eſſe maximam diſparitatem inter cenſuras, ac priuationem Epiſcopatus; nam primò, illæ, vt incurrantur, nullam requirunt actionem; priuatio verò Epiſcopatus requirit abdicationem per ipſum Epiſcopum faciendam; Secundò; Illæ non priuant bonis proprijs, quæ quis iure proprio poſſidet, ſed bonis communibus, quorum, cum Eccleſia conſtituta ſit diſpenſatrix, eorum participationem delinquentibus denegat; ſicut, cum Paterfamilias ſtatuit; vt, ſi quis aliquid fecerit, non admittatur ad menſam, & conuictum cæterorum 14

de

de ſuâ familiâ; At Epiſcopatus priuatio, priuat bono aliquo proprio, ſiue quod peculiari iure poſſidetur. Tertiò; Illæ ſunt pœnæ medicinales quæ ſtatim ac quis ceſſat à delicto, tollendæ ſunt; Epiſcopatus verò priuatio, & aliæ ſimiles pœnæ temporales, ſemel poſitæ, non amplius tolluntur, quantumuis quis à delicto reſipiſcat. Quartò; Denique, illæ ſunt ſpirituales, quæ incurri poſſunt abſque eo, quod delictum manifeſtetur; iſtæ verò ſunt temporales, nec ſine delicti manifeſtatione executioni mandari poſſunt. Non ergo mirum, ſi illæ ſint, ipſo iure, delicto annexæ, & ſolo iure perfectè incurrantur; hæ verò ſolùm imperfectè, requirantque ſententiam criminis declaratoriam, vt integrè, ac perfectè incurrantur.

15 Ad ſecundam; Negatur Antecedens. Epiſcopatus enim collatio & eiuſdem acceptatio, non eſt conditionata, ſed abſoluta, niſi aliter expreſſè conſtet de mente Pontificis conferentis, & Epiſcopi acceptantis; & leges Epiſcopis impoſitæ, explicandæ videntur iuxta naturam aliarum legum pœnalium, niſi aliud in illis exprimatur. In lege autem Tridentini *loc. cit.* nihil prorſus exprimitur, quod in alijs ſimilibus legibus pœnalibus non reperiatur. Quare, cum aliæ intelligantur obligare ad pœnam, ſolùm ſub hac tacitâ conditione, ſi delictum fuerit declaratum, ſub eâdem obligabit etiam lex iſta Tridentini.

16 Ad tertiam; Negatur Antecedens; Lex enim priuans fructibus, non priuat aliquo iure acquiſito, ſed acquirendo; dicitur enim ibi; fructus non faciat ſuos, eoſque reſtituere teneatur; quo modo loquendi, Eccleſia oſtendit, ſe Beneficiario fructus abſolutè non contuliſſe; ſed ſolùm ſub conditione, quod recitet officium; aut quod reſideat, eo quod beneficium detur propter officium; ideoque illum, non poſitâ officij recitatione, fructus non facere ſuos, quia non poſuit conditionem requiſitam ad eorum dominium acquirendum. At lex priuans Epiſcopatu, vel beneficio, priuat aliquo iure acquiſito, & re, quæ peculiari titulo poſſidebatur; ideoque abſolutè illi ab Eccleſiâ collato. Hinc ergo fit, vt illis cenſeatur perfectè ſpoliare delinquentem, etiam ante ſententiam criminis declaratoriam, non verò iſtis.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; in quo differant inter ſe, lex pœnalis latæ ſententiæ; & lex ſententiæ ferendæ; nam hæc, vt obliget in conſcientiâ ad pœnam ſubeundam, requirit non ſolùm ſententiam criminis declaratoriam, ſed etiam ſententiam condemnatoriam, ſiue, quâ Iudex Reum condemnet ad pœnam ſoluendam; Illa verò requirit ſolùm ſententiam, qua Iudex declaret Reum deliquiſſe, & ſententiam à Iure latam incurriſſe. Hinc autem fit primò; vt poſito delicto, ſtatim imperfectè incurratur pœna ipſo iure lata, & per ſententiam deinde criminis declaratoriam incurratur integrè, ac perfectè; nullo vero modo incurratur pœna inferenda; in illâ enim, ſententia condemnatoria iam à lege, eſt lata; in hac verò, à Iudice, eſt ferenda; Secundo; vt in illâ ſtatim, ac crimen per Iudicem declaratur, condemnatio retrotrahatur vſque ad diem commiſſi delicti; ſi quis enim ante tres annos hæreſim protulit, & hodie 17

ſolùm

ſolùm per Iudicem declaretur Hæreticus, pœnæ confiſcationis bonorum, quam Hæretico leges imponunt, ſubijcitur, non ſolùm à die ſententiæ declaratoriæ, ſed à die, quà hæreſim prodidit; ita vt bonorum ſuorum alienationes, quas ab eà die fecit, nullæ ſint, poſſitque Fiſcus talia bona capere apud quemcunque reperetit; In pœna verò ferenda; cum ſententia condemnatoria, nondum ſit lata, nulla datur realis obligatio ad pœnam.

18 Secundò; Vltra Cenſuram, ac Irregularitatem, nullam aliam pœnam propriè dictam, ſiue priuantem iure quæſito, antè ſententiam criminis declaratoriam, contrahi. Quamuis lex, aut ſtatutum dicat; contrahi, ipſo iure; vel ipſo facto; vel abſque alia declaratione, ſententiâ, aut proceſſu. Tum quia hæc eſt praxis, & vſus. Tum quia in pœnis ſemper benignior interpretatio eſt facienda, vt habetur *regul. in pœnis: de regulis Iuris in 6.* Tum denique quia lex pœnalis, cum ſit humana, debet obligare humano modo, ita, vt ſine graui incommodo ab omnibus ſeruari poſſit; ſi autem ita intelligatur, humano modo ſeruari poteſt. Cùm verò in lege pœnali apponitur, ipſo iure, ipſo facto &c. non fruſtra apponitur, quia eo modo loquendi ſignificatur, legem ex tunc, quantum eſt ex ſe; delinquentem bonis priuare; ſub conditione tamen, quod delictum declaretur; vnde delinquens ex tunc, ſiue immediate poſt delictum remanet ex vi legis obligatus ad pœnam, imperfectè tamen ſolùm, quandiu non datur criminis declaratio; Hic autem effectus, ſiue imperfecta obligatio, non datur, quando particulæ illæ non apponuntur. *Sanch. lib. 2. in decalog. c. 22. num. 20.*

19 Tertiò; Recipientes beneficium Parochiale ſine Sacerdotio, ſi intra annum non ordinentur, teneri illud dimittere *ex c. Licet canon, de Elect. in 6.* Similiter Beneficiarios non reſidentes in ſuis Eccleſijs pro rata abſentiæ non facere fructus ſuos. *Ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. reform.* & horas canonicas non recitantes, teneri pro rata fructus reſtituere; *Ex motu proprio Pij V. edito* 1571. 18. *Sept.* Et Canonicos voce actiua in Capitulo priuari, ſi intra annum, Ordinem ſuis præbendis annexum non receperint. *ex Clem. ſi qui, de ætate, & qualitate.* Et conſequentes ſecundùm beneficium incompatibile cum primo, ipſo iure illo priuari, & reddi intelligibiles, ſi illud non dimiſerint. *Ex cap. cum ſingula; de præb. in 6.* Has omnes pœnas incurri ante Iudicis ſententiam; Tum quia, non priuant iure quæſito, ſed impediunt acquirendum. Tùm quia, hæc bona illis à jure ſub hac conditione data ſunt. Conditione autem non impleta, ceſſat gratia

QVAESTIO XIX.

An Lex conuentionalis, obliget ad pœnam ante Iudicis ſententiam.

CASVS.

1 TITIVS, mille aureos mutuos dederat Caio, poſt annum reſtituendos, pœna centum aureorum, de conſenſu etiam ipſius Caij appoſità, niſi illos tunc reſtitueret; Anno autem elapſo; Caius, quamuis mutuum non reſtituiſſet, pœnam tamen ex conuentione debitam, Titio petenti ſoluere recuſauit. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Caius, pœnam conuentionalem ſoluere recuſans, videtur mortaliter peccaſſe.*
3 *Per contractum, & pactum ſe ad illam obligauit.*
4 *Sicut, ſi ſe obligaſſet per Votum.*
5 *Vel ad illam fuiſſet à Iudice damnatus.*
6 *In contractibus, petitio partis, eſt loco ſententia.*
7 *Caius, pœnam non ſoluendo, non peccauit.*
8 *Ex vi contractus, & pacti, non tenebatur ante Iudicis ſententiam.*
9 *Pœna in contractibus apponitur, vt alius cogatur ad fidem ſeruandam.*
10 *Apponitur per modum legis.*
11 *Eiuſque iudicium pertinet ad Iudicem.*
12 *Contractus obligat ad pœnam ſolùm poſt Iudicis ſententiam.*
13 *De facto non obligat, ſicut Votum.*
14 *Nec ſicut Iudicis ſententia.*
15 *Quæ ſit Contrahentium intentio.*
16 *Statuta conuentionalia obligant ſolùm poſt Iudicis ſententiam.*
17 *Vt detur obligatio ſoluendi, ſaltem requiritur petitio ſolutionis.*
18 *Pœna conuentionalis præſcribi poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

QVamuis Lex pœnalis ante Iudicis ſententiam non obliget, eſt tamen peculiaris difficultas circa legem conuentionalem. Hæc enim obligare videtur; & ideo Titium mortaliter peccaſſe, dum pœnam ex conuentione debitam ſoluere recuſauit. Ita *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. *Salas de legib. diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 51. *Molina tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 97. *in fine. Reginald. lib.* 13. *num.* 283. *Bonac. de contr. diſp.* 3. *queſt.* 3. *pun.* 7. *num.* 4. 2

Primò; Quia Caius per contractum, & pactum, ſe obligauit ad pœnam ſoluendam. Ergo in conſcientia, eam ſoluere tenebatur; contractus enim, & pactum obligant in conſcientia, cum promiſſionem contineant, quæ obligat in conſcientià. Cum ergo contra hanc obligationem fecerit, conſequenter peccauit. 3

Digitized by Google

4 Secundò; Quia non minus ex vi contractus pœnam promiſſam ſoluere tenebatur, quam fuiſſet obligatus eam ſoluere, ex vi voti, ſi eam ſoluere vouiſſet; non minus enim obligat promiſſio facta homini, quam facta Deo; ſed, ſi eam pœnam ſoluere vouiſſet, peccaſſet, eam tempore debito non ſoluendo. Ergo etiam peccauit, illam de facto non ſoluendo, poſt annum Titio petenti.

5 Tertiò; Quia, ſi ad talem pœnam ſoluendam, fuiſſet à Iudice condemnatus, fuiſſet ad eam ſoluendam in conſcientiâ obligatus, ita vt, non ſoluendo peccaſſet; Iudex enim, per condemnationem, eum obligare in conſcientiâ poteſt ad pœnam ſubeundam; ſed ipſe etiam poterat per promiſſionem, & pactum, ſe ipſum in conſcientiâ obligare. Ergo de facto manſit obligatus non minus, quam ſi à Iudice fuiſſet condemnatus, ideoque non ſoluendo peccauit.

6 Quartò; Quia in contractibus hæc videtur eſſe intentio contrahentium, vt partis petitio ſuccedat loco ſententiæ; ſi enim contrahentes intenderent Iudicis ſententiam expectare, hoc explicarent. Ergo, cum hoc non explicant, ſignum eſt, illos nolle à Iudicis ſententiâ dependere; cùm præſertim, eam obtinere, ſit plerumque valdè difficile. Cum ergo Caius, intentionem habuerit ſe obligandi ad pœnam independenter à Iudicis ſententiâ ſoluendam, etiam independenter ab illâ, pœnam ſoluere tenebatur; ideoque non ſoluendo peccauit.

RESOLVTIO.

7 Reſpondetur tamen, probabilius videri, quod Caius, pœnam non ſoluendo, mortaliter non peccauerit. *Sanch. lib.* 1. *matr. diſp.* 37. *num* 4. *Nauarr. cap.* 23. *n.* 67. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 20. *d.* 15. *Vaſq. diſp.* 173. *cap.* 1. *Beia par.* 1. *caſu* 41. *Gutierez lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 13. & alij apud iſtos.

8 Primò; Quia, ex vi contractus, ac pacti, pœnam ante Iudicis ſententiam ſoluere non tenebatur, ſed ſolùm poſt illam; in contractibus enim, ſi Contrahentes non exprimant, velle, ſe, ante Iudicis ſententiam, obligare, cenſentur pœnam conuentionalem apponere, iuxta formam legis pœnalis; nam actus præſumitur factus ſecundùm propriam ipſius naturam; Vnde, cum Superior aliquam conditionem requirit, quæ etiam à iure requiritur, cenſetur, ſe velle Iuri conformare, & eodem modo eam requirere, niſi aliud exprimat. Cum ergo leges pœnales, ante Iudicis ſententiam non obligent ad ſoluendam pœnam ſtrictè ſumptam, & quæ priuat iure quæſito; conſequenter nec obligabit contractus; Hic enim, totam vim habet à Contrahentium voluntate. Si autem contractus non obligat ad pœnam ante Iudicis ſententiam; Caius ante illam, in conſcientiâ pœnam ſoluere non tenebatur.

9 Secundò; Quia ideo Contrahentes, pœnam in contractibus apponunt, vt alium Contrahentem cogere poſſint ad fidem ſeruandam, & ius habeant illum compellendi ad pœnam ſoluendam, ſi feſellerit; ſed hæc facere non poſſunt, niſi ope Iudicis, & per eius ſententiam. Ergo Contrahentes intentionem non habent ſe obligandi ad pœnam ſoluendam, niſi in ordine ad Iudicis ſententiam, & poſt illam; Vnde, cum in caſu, nulla præceſſerit ſententia, neque Caius pœnam ſoluere tenebatur in conſcientiâ.

10 Tertiò; Quia obligatio pœnam ſoluendi, oritur ob legis transgreſſionem, quam Contrahentes ſibi impoſuerunt; ſed, quando quis transgreditur legem à iure impoſitam, non contrahit debitum pœnæ ante Iudicis ſententiam; Ergo neque, quando legem ſibi impoſitam transgreditur, contrahet debitum pœnam ſoluendi, ante Iudicis ſententiam; hæ enim duæ leges, non differunt in modo obligandi, ſed ſolùm in hoc, quod lex pœnalis inuitum obligat, conuentionalis verò ſolùm conſentientem, ac volentem.

11 Quartò; Quia pœnæ conuentionales, vt habeant completam vim obligandi, debent eſſe moderatæ, & non excedentes; Hoc autem iudicare, ſpectat ad Iudicem; ipſius enim eſt iudicare, an pœnæ ſint exorbitantes, vel aliquod damnum ſecutum fuerit Innocenti, vel mora fuerit culpabilis. Nam, ſecluſis his caſibus, ad pœnam condemnare non debet. Ergo vt habeant vim completam obligandi, requirunt Iudicis ſententiam, quem, cum, in caſu ſuperiùs poſito, deſideretur, conſequenter Caius in conſcientiâ pœnam ſoluere non tenebatur.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes in contrarium Reſpondetur; Ad primam; Contractum obligare in conſcientiâ Debitorem ad pœnam ſoluendam, poſitâ condemnatione, non antea; hoc enim ſufficit vt Creditor agere poſſit contra illum. Si tamen ipſi per contractum expreſsè ſe obligaſſent ad pœnam ſoluendam ante Iudicis ſententiam, imo etiam ante alterius petitionem, ita manſiſſent obligati; hæc enim obligatio, tota pendet ex intentione Contrahentium, ſicut ex illâ oritur. Cum autem hoc non expreſſerint, cum poſſent, ſed Caius ſolùm dixerit, ſe obligare ad ſtandum contractui, & ſi ei non ſteterit, ſe ſoluturum talem pœnam, cenſentur voluiſſe ſe obligare ſolùm iuxta regulam pœnarum iuris communis, quæ ante latam ſententiam ſaltem declaratoriam non obligat.

Ad ſecundam Reſpondetur; Argumentum probare ſolùm, quod per contractum potuerit Caius eodem modo ſe obligare homini, ſicut Deo per Votum, non tamen quod de facto ita ſe obligauerit; Nam hoc exprimere debuiſſet, cum promiſſio ex ſe, pluribus modis fieri poſſit; diſparitas ergò eſt, quia votum pœnale, cum in ipſo non ſit imaginabilis alia ſententia, præter eam, quam ſibi quiſque imponit, ſtatim obligat. In promiſſionibus verò homini factis, cum dari poſſit ſententia Iudicis, non eſt neceſſe, vt ſtatim obligent, ſed ſolùm dependenter ab ipsâ. Imo, ſi Caius Deo vouiſſet, ſe hoc modo ſolùm pœnam ſoluturum dependenter à Iudicis ſententiâ, ſicut poterat, hoc ſolùm modo, etiam ex vi voti, manſiſſet obligatus. 13

Ad tertiam Reſpondetur; argumentum non probare, quod Caius de facto per contractum ſe obligauerit immediatè ad pœnam ſoluendam, ſicut obligari immediatè poterat à Iudice per ſententiam, ſed ſolùm, quod eo modo ſe obligare potuerit; quod nos non negamus; de facto tamen non ita ſe obligauit, quia non expreſſit, ſicut exprimere debebat, & expreſſiſſet, ſi voluiſſet. 14

Ad quartam Reſpondetur; Negando, 15 illam eſſe intentionem Contrahentium, ſed

ſed potius oppoſitam, neque enim exprimi debet intentio ſe conformandi iuri communi. Nam hæc ſemper ſupponitur, niſi aliud conſtet, ſed potius intentio recedendi à regulâ iuris communis; hæc enim non ſupponitur, nec rationabiliter præſumitur, niſi exprimatur, cum pendeat à cauſis particularibus, quæ ſupponi non poſſunt, niſi exprimantur.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Statuta quorundam Collegiorum, Congregationum, Vniuerſitatum, & ſimilium Communitatum, quæ legis condendæ auctoritatem habent; quibus decernitur, vt qui nocte extra Collegium manſerit, aliquid ſoluat; ſicut etiam ſtatuta quorumdam Dominorum, aut Populorum inferiorum; quibus ſtatuitur, vt ad certam pecuniæ ſummam ſoluendam obligetur, qui Lepores, aut Volucres, certo anni tempore, vel certis quibusdam inſtrumentis, venatus fuerit; non obligare in conſcientiâ ad talem pœnam ſoluendam, niſi hi capiantur, quia hæc non ſunt propriè ſtatuta pœnalia, cum procedant à non habente auctoritatem, ſed potius conuentionalia; pœnæ autem conuentionales non obligant, niſi dependenter à Iudicis ſententiâ, vt dictum eſt.

Secundo; Quamuis ad huiusmodi obligationem, ex vi pacti contractam, ſiue conuentionalem, Iudicis ſententia non requireretur, adhuc fore neceſſariam petitionem ſolutionis, ſiue pœnæ conuentionalis, quia conſuetudo obtinuit, vt non ſoluatur niſi petita; Vnde, eo ipſo, quod non petitur, rationabiliter præſumitur condonata; Nunquam autem honeſtè petitur, niſi ratione, vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quamuis de rigore iuris exigi poſſit. Ita *Nauarr. cap.* 23. *num.* 67. 17

Tertiò; Pœnam conuentionalem præſcribi poſſe intra ſpatium triginta annorum, iuxta *C. de praſcript.* 30. *annor.* quia cum debitor eam offerre non teneatur, cenſetur eſſe poſſeſſor bonæ fidei. *Sanch. loco cit.* 18

QVAESTIO XX.

An Lex pœnalis ſub diſtinctione lata, habeat vim obligandi.

CASVS.

1 CVM quidam Epiſcopus, in Clericos arma geſtantes ſententiam ſuſpenſionis tuliſſet, ab officio, vel beneficio; duo ex Clericis illius Diœceſis, arma noctu ſæpius geſtarunt. Quæritur; Vtrum in pœnam ſuſpenſionis inciderint.

SVMMARIVM.

3 *Cur lex pœnalis ſub diſiunctione lata, videatur inefficax.*
7 *Verba legis, ſunt operatiua, ſicut forma Sacramentorum.*
8 *Cur videatur efficax.*
11 *Quomodo pœnam determinet.*
12 *Eſt efficax in ordine ad effectum obligandi ad alterutram pœnam eligendam.*
13 *In ordine ad hunc effectum, eſt ſufficienter determinata.*
14 *In ordine ad ipſam pœnam, eſt inefficax.*
15 *Non habet determinationem ſufficientem.*
16 *Sicut illam non haberet ſimilis ſententia Iudicis.*
17 *Votum, præceptum, & lex, obligare poſſunt ad pœnam eligendam.*
18 *Verba cenſuræ, Sacramentorum formis ſunt magis ſimilia, quam legi.*

RATIONES DVBITANDI.

2 AD Legis pœnalis obligationem, pertinet etiam modus, quo lex fertur; an ſcilicet, quandò fertur ſub diſiunctione, habeat vim obligandi.

3 Ratio dubitandi eſt primò; Quia Si quis diceret; *Geſtans arma noctu, incidat in aliquam ſuſpenſionem*; Hæc ſuſpenſio eſſet nulla, & inefficax; eſſet enim incerta, & indeterminata; ſed dicere; *Incidat in ſuſpenſionem ab officio, vel beneficio*; eſt æquiualenter dicere; *Incidat in aliquam ſuſpenſionem*; tamenim habet aliquid incertum, & indeterminatum pro obiecto, hæc ſententia, quam illa; Ergo, ſicut illa eſt nulla, ita erit nulla, & inefficax hæc poſterior.

Secundò; Quia, ſi quis diceret; *Excommunico Petrum, vel Paulum*; neutrum excommunicaret, quia non eſſet maior ratio, cur excommunicaret vnum, quàm alium; Sed etiam non eſt maior ratio, cur incurrat ſuſpenſionem potius à beneficio, quam ab officio. Ergo neutram incurrit. 4

Tertio; Quia, ſi Epiſcopus diceret; *Geſtans arma noctu, ſit ſuſpenſus ab officio, & beneficio*; hæc ſententia eſſet efficax, & Clericus vtramque incurreret. Ergo, ſi dicat; *Sit ſuſpenſus ab officio, vel beneficio*; Clericus neutram incurret; ſicut enim prima eſt determinata, ita ſecunda eſt indeterminata, & incerta. 5

Quartò; Quia, ſi quis habeat intentionem conſecrandi hanc, vel illam hoſtiam; baptizandi hunc vel illum hominem; contrahendi cum hac vel illa muliere, &c. nihil efficit, & Sacramenta iſta ſunt nulla. Ergo eodem modo, ſi Epiſcopus dicat; 6

Suſpen-

Digitized by Google

Suſpendo ab officio, vel beneficio; nihil faciet, ſed ſententia erit nulla; non minus enim ſententia ſuſpenſionis facere debet ſuum effectum ſignificando, quam Sacramenta. Ergo ſicut Sacramenta ſignificare debent effectum ſuum determinatè, & in indiuiduo, ita illum ſignificare debent verba ſententiæ.

7 Quintò denique; Quia, Verba ſententiæ, non minus ſunt operatiua, & efficacia, quam verba, ſiue formæ Sacramentorum. Sicut ergò à parte rei nihil poteſt fieri niſi determinatè, & in indiuiduo, ita verba facere non poſſunt, niſi aliquid determinatum in indiuiduo. Cum autem non faciant niſi id, quod ſignificant, ſequitur, quòd illud etiam ſignificare debeant determinatè, & in indiuiduo, Cum ergo ſententia ſuſpenſionis ab officio, vel beneficio, nullam ſuſpenſionem in particulari determinet, ſequitur, quod nullam efficiat, ideoque quod ſit nulla.

8 Ex alia verò parte; hæc ſententia ſic ſub disiunctione prolata, videtur eſſe valida. Primò; Quia aliæ ſimiles ſententiæ, latæ ſub disiunctione, ſunt validæ; ſi enim Iudex Reum condemnet, vel ad exilium, vel ad ſolutionem centum aureorum; hæc ſententia eſt valida. Similiter poteſt Confeſſarius imponere Pœnitenti pœnitentiam, vel ieiunandi, vel roſarium recitandi: & Pontifex concedere Indulgentiam, vel ieiunanti tali die, vel officium recitanti. Ergo eodem modo, valida erit ſententia, ſuſpendens ab officio, vel beneficio; hæc enim non minus fertur per modum ſententiæ, quam alia ſententia, quæ fertur à Iudice contra Reum; Si ergo illa eſt valida, cur hæc etiam valida non erit?

9 Secundò; Quia ſententia iſta habet rationem legis, & præcepti, Lex autem, & præceptum, eſt validum, & efficax, etiam ſi obliget ſub disiunctione. Cur enim Epiſcopus, per præceptum obligare non poteſt, vel ad ieiunium, vel ad roſarium, cum ad hoc poſſit ſe quis per votum obligare, & votum habeat rationem legis priuatæ?

10 Tertiò; Quia, licet ſententia ſuſpenſionis ſic ſub disiunctione prolata, non ſignificet determinatè vnam ſuſpenſionem in indiuiduo, ſignificat tamen vnam ex illis, relinquendo in arbitrio Rei, vt, quam voluerit, eligat; Hoc autem ſufficere videtur, vt ſententia ſit valida, ſicut ſufficit in alijs ſimilibus Iudicum ſententijs; vt cum quis condemnatur, vel ad exilium, vel ad tantæ pecuniæ ſolutionem.

11 Quartò; Quia, licet hæc ſententia, ſuſpenſionem in particulari non determinet immediatè, illam tamen determinare videtur mediatè, & virtualiter, quatenus obligat Reum ad illam eligendam, ac determinandam. Hoc autem ſufficere videtur, vt ſit efficax & valida; ſicut enim Votum conditionatum, quo quis ſe obligaret ad ingreſſum religionis, ſi Pater conſentiret, eſſet virtualiter abſolutum, ſi Vouens ſimul ſe obligaret ad procurandum conſenſum Patris; ita, cum hæc ſententia obliget Reum ad vnam ex duabus illis ſuſpenſionibus eligendam, ac determinandam, cenſetur per hoc talem ſuſpenſionem virtualiter determinare; ſicque eſſe determinata, quantum ſatis eſt, vt ſit efficax, & valida.

RESOLVTIO I.

12 Reſpondendum videtur primò; Sententiam ſuſpenſionis ſic ſub disiunctione prolatam, fuiſſe validam in ordine ad Cle-

Digitized by Google

Clericos obligandos ad alterutram ex illis ſuſpenſionibus eligendam. *Suar. diſp.* 3. *ſect.*2. *num.*12. *Filliuc. tr.*11. *cap.*3. *quæſt.*5. *num.*58. *contra Vgolin. tab.*1. *cap.*20. §.3. *num.*4. *Nauarr. cap.*27. *num.*161. *Henriqu. lib.*13. *cap.*32. *num.*4. *Sayrus lib.* 4. *cap.*27. *num.*3. & alij apud iſtos.

13 Probatur, Tum quia, non eſt ratio, cur ſententia Iudicis, ſicut obligare poteſt Reum ad pœnam ſubeundam, ita illum obligare non poſſit ad alterutram eligendam. Tum quia hæc ſententia in ordine ad obligationem, eſt ſufficienter determinata; illam enim ſignificat determinatè, & in indiuiduo; Ergo illam etiam immediatè poteſt efficere. Tum denique, quia pœnitentia ſic impoſita Pœnitenti à Confeſſario ſub disiunctione, verè obligat Pœnitentem ad alterutram partem eligendam; neque vlla ratio afferri poteſt, cur non obliget, cum obligatio ſit proprietas, & effectus conſequens ad legem, præceptum, ac ſententiam.

RESOLVTIO II.

14 Reſpondetur ſecundò; In ordine ad effectum ſuſpenſionis, fuiſſe inualidam. Ita *Nauar.cap* 27.*num.*161. *Henriq.lib.*13. *cap.*32.*num* 4. *Vgolinus tab.*1. *cap.*20. §.3. *num.*4. *Sayrus lib.*4. *cap.*7. *num.*3. & alij apud iſtos.

15 Probatur. Tum quia non habet ex ſe determinationem ſufficientem ad ponendam ſuſpenſionem v.g. ab officio, ſed ad hoc requiritur electio ipſius Rei. Ergo non eſt ex ſe efficax, & operatiua illius ſuſpenſionis. Tum quia, ſi Reus neutram velit eligere, peccabit quidem contra obligationem, quam habet alterutram eligendi; ſed tamen in neutram incidet, cum non ſit maior ratio cur incidat in vnam potius, quam in aliam. Ergo ſententia illa, licet habeat determinationem, & efficaciam ſufficientem in ordine ad obligandum; non habet tamen ex ſe determinationem, nec efficaciam ſufficientem in ordine ad terminum talis obligationis; Hic enim, eſt aliquid ex ſe incertum, ac indeterminatum, & per Rei electionem determinabile.

Tum denique; Quia, ſi Iudex ſimili ſententia Reum condemnet, vel ad exilium, vel ad triremes, & Reus neutram pœnam velit eligere, neceſſaria eſt noua ſententia determinatè condemnans ad exilium potius, quam ad triremes; alioqui Reus, ex vi primæ ſententiæ, neutram ſubibit. Ergo eodem modo, ex vi iſtius ſententiæ, Clerici, ſi neutram velint eligere, nullam ſuſpenſionem incurrent, ſed neceſſaria erit alia ſententia illos determinatè ſuſpendens à beneficio: ſignum ergo eſt, primam, ex ſe, non fuiſſe ſufficienter determinatam; ex hac enim incertitudine, ac indeterminatione oritur eius inefficacia. 16

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Votum, Legem, ac præceptum, eſſe quidem efficacia, & operatiua in ordine 17

ad obligationem, & illam ponere, quia illam ſemper determinatè ſignificant, non verò in ordine ad ponendum terminum ipſius obligationis, quando hic, non eſt aliquid certum, & determinatum, ſed ſub disiunctione præceptum, quia hunc terminum non ſignificant determinatè; Verba autem, non efficiunt niſi ſignificando.

18 Secundò; Verba cenſuræ, in ordine ad efficiendam cenſuram, quam ſignificant, comparari potius formis Sacramentorum, quæ ponunt effectum, quem ſignificant, & illum ſignificando; quam Legi, quæ eſt effectiua ſolùm obligationis. Vnde, ſicut ad hoc, vt formæ Sacramentorum ſint validæ, operatiuæ, ac efficaces, neceſſariò requiritur, vt tam materiam, quam Perſonam, ac reliquas circumſtantias determinatè ſignificent; ita vt cenſura ſit efficax, ac valida, neceſſariò requiritur, vt cenſuram quam infert, in indiuiduò, & determinatè ſignificet.

QVAESTIO XXI.

Ad quos Lex pœnalis ſe extendat.

CASVS.

1 VIR quidam, Latinæ linguæ omninò ignarus, librum quendam Hæretici, Latinà linguà conſcriptum, plures hæreſes continentem, ac de Religione tractantem, ad longum legit. Quæritur; an in Excommunicationem Bullæ Cœnæ inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Legens librum hæreticum, quamuis non intelligat, excommunicationem videtur incurrere.*
3 *Vere legit, ſicut indoctus vere recitat Officium B. Virginis.*
4 *Characteres oculis percurrit.*
5 *In ea lectione, ceſſat finis legis in particulari.*
6 *Lex, omnem lectionem prohibet.*
7 *Ordinatur ad vitandum periculum hæreſis.*
9 *Lex, vltra verborum proprietatem extendenda non eſt.*
10 *Quid ſit, finem legis ceſſare; quid ſub fine legis non comprehendi.*
11 *Legens, & non intelligens, excommunicationem non incurrit.*
12 *Finis legis, hunc non comprehendit.*
13 *Legere tantum materialiter, nullum ſecum periculum affert.*
14 *Sicut operarios adire die feſto.*
15 *Non intelligens, proprie non dicitur legere.*
16 *Characteres percurrere, non eſt legere modo humano.*
18 *Finis huius legis, eſt, vitare periculum peruerſionis.*
19 *Lex etiam fauorabilis, non extenditur ad caſus, ſub eius fine non comprehenſos.*
20 *Legens partem libri, in qua non eſt hæreſis, vere legit, & modo humano.*

21 *Hanc excommunicationem incurrit, qui huiusmodi librum retinet.*
22 *Etiam ſi retineat nomine alieno.*
23 *Et, qui legit librum compoſitum partim ab Hæretico, partim à Catholico.*
24 *Quæ interpretatio danda ſit legi fauorabili, quæ odioſæ.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm lex pœnalis ſit odioſa, & odia ſint reſtringenda, ipſa quoque lex pœnalis conſequenter videtur, quantum fieri poteſt, reſtringenda. Hinc tamen oritur difficultas, quos comprehendere debeat, & ad quos ſe extendere; Lex enim excommunicans legentes libros hæreſim continentes extenditur ab aliquibus, etiam ad non intelligentes. Vnde dicunt, legentem librum, latina lingua conſcriptum, hæreſes continentem, quamuis linguæ latinæ ſit ignarus, excommunicationem Bullæ Cœnæ, nihilominus incurrere. Ita *Bonacina de cenſ. d. 2. quæſt. 5. pun. 4. num. 14. Megala par. 3. lib. 3. c. 1. num. 41.*

3 Primo; quia, qui librum legit, quamuis verborum ſignificationem, non intelligat, verè dicitur legere; alioqui, qui latinæ linguæ omnino ignari, Officium B. Virginis recitant, illud vere non dicerentur recitare. Cum igitur Vir ille, librum Hæretici, hæreſim continentem, vere legerit, non eſt cur excommunicationem non incurrerit.

4 Secundò; Quia, legere, nihil eſt aliud, quam, quæ ſcripta ſunt, oculis conſpicere, ac percurrere, nec includere videtur intellectionem. Sed iſte, ſcripta oculis percurrit quamuis non intellexerit. Ergo vere legit, & conſequenter excommunicationem incurrit; hæc enim abſolute lata eſt contra legentes, non contra intelligentes, quæ legunt.

Tertio; Quia legentes, & non intel- 5
ligentes, ideo excommunicationem hanc non incurrerent, quia in eis ceſſaret finis prohibitionis, qui eſt, ne legens, hæreſi inficiatur; ſed hoc non obſtat, quia in eis ceſſaret finis ſolum in particulari; Ceſſante autem fine legis in particulari, non ceſſat lex. Ergo legentes, quamuis non intelligant, hanc excommunicationem non euadunt.

Quartò; Quia hæc cenſura, cum in 6
hæreſis deteſtationem lata ſit, omnem lectionem prohibere intendit, non ſolum formalem, vt cum quis intelligit, quæ legit, ſed etiam materialem, cum non intelligit; Quamuis enim lectio, in hoc ſecundo caſu, legenti nocere non poſſit, nocere tamen poteſt Audientibus. Ergo non ſolum legens formaliter, ſed etiam materialiter, hanc Excommunicationem incurrit.

Quinto; Quia hæc eſt lex fauorabilis; 7
ordinatur enim ad vitandum periculum hæreſis. Ergo verba ipſius non ſunt reſtringenda ad ſolam lectionem formalem, ſed potius amplianda, & extendenda ad quamcumque lectionem.

Sexto; Denique, quia, ſi legens, & non 8
intelligens, hanc excommunicationem non incurreret, quia in eo ceſſaret periculum infectionis; ſequeretur, quod etiam legens partem libri hæretici, in qua non ſit hæreſis, hanc eamdem excommunicationem non incurreret; nam in hoc etiam caſu, ceſſaret periculum infe-

infectionis. Conſequens autem eſt falſum, quia eo ipſo, quod liber continet hæreſim, totus eſt prohibitus, &, qui talem librum legit, quamuis legat partem, in qua non eſt hæreſis, vere tamen legit librum Hæretici, hæreſim continentem. Ergo etiam, qui legit, quamuis non intelligat, hac excommunicatione ligatur, quia vere legit librum Hæretici, hæreſim continentem.

NOTABILIA.

9 ADuertendum eſt primò. Leges tam fauorabiles, quam odioſas, vltra verborum proprietatem naturalem, ac ciuilem, extendendas non eſſe; Cum enim homines, iuxta verborum proprietatem, loqui conſueuerint; Etiam Legiſlatores, iuxta eandem, cenſentur locuti, cum, cõmuni hominum intelligentiæ accommodare ſe debuerint. Proprietas autem verborum naturalis dicitur, ſignificatio, quam verba ex primà ipſorum inſtitutione, & ex communi vſu loquendi, habuerunt; in quo ſenſu, Nomen; *Mors*; ſignificat mortem naturalem. Proprietas ciuilis, dicitur ſignificatio quaſi metaphorica, ſiue extenſio ſignificationis naturalis ad aliud; ob ſimilitudinem enim, ac iuris fictionem, verbum aliquod ſæpe à iure extenditur ad ſignificandum aliquid, quod ex prima ſua inſtitutione non ſignificat; in quo ſenſu, idem nomen; *Mors*; ſignificat profeſſionem religioſam; & nomen Filius, adhibetur ad ſignificandum, non ſolum filium naturalem, ſed etiam adoptiuum. Hæc tamen extenſio, facienda non eſt, niſi, quando, ex ipſius omiſſione ſequeretur aliqua iniuſtitia, vel abſurditas, vel lex fieret inutilis; tunc enim ſignificatio extendenda eſt, ne lex pereat. Cæterum, per ſe loquendo, verba, ſicut in communi ſermone accipiuntur in propria ſignificatione, ita multo magis accipi debent in legibus, ne falſis interpretationibus ſint expoſitæ, *l. Non aliter, ff. De legatis*, 3. *& l. Prima*, §. *Is, qui nauem, ff. De exercitoria actione*, vnde lex non excedit terminos verbis expreſſos.

Aduertendum eſt ſecundò; Aliud eſſe, 10 quod ratio, ſiue finis legis ceſſet in aliquo caſu particulari, aliud vero, quod ratio, ſiue finis legis ad illum caſum particularem non ſe extendat. Nam, in primo caſu, lex ex ſe, & ex ſua generalitate, caſum illum compræhendit; alioqui, neque lex, neque ratio legis in eo dici poſſet ceſſare; quod enim numquam fuit, ceſſare non poteſt. In ſecundo vero, lex, eiuſque ratio, numquam caſum illum amplexa eſt; verba enim legis, intelligenda ſunt iuxta limites ſuæ rationis, cum ratio ſit anima legis, *cap. Ratio nulla, de prebend.* Cum ergo ratio, & finis legis, numquam ad caſum illum ſe extenderit, conſequenter, nec lex, illum vmquam compræhendit. Sic, cum Superior Religioſis præcipit, ne locum adeant, vbi Operarij laborant, ne ſuis confabulationibus illos impediant; Si quis adire vellet, intendens omnino tacere. In hoc caſu, ratio, ac finis legis, ſiue præcepti, dici poſſet ceſſare, Iam enim Operarij confabulationibus non impedirentur. At vero, ſi adire vellet die feſto; in hoc caſu, finis, ſiue ratio legis non diceretur ceſſare, ſed hunc caſum, numquam com-

præhendiſſe cum, die feſto, Operarij non laborent; Vnde, neque præceptum, in hoc caſu, vmquam obligauit. His poſitis

RESOLVTIO.

11 Reſpondetur; probabilius videri, quod Legens librum hæreticum, conſcriptum lingua, quam non intelligit, hanc excommunicationem non incurrat. *Sanchez lib. 2. Summ. cap. 10. num. 51. Suarez de fide d. 20. ſect. 2. n. 18. Filliuc. tract. 22. cap. 7. num. 207. Duard. lib. 2. c. 1. quaſt. 47. Diana in Bulla Cruciata reſ. 36.* & alij apud iſtos.

12 Primò; Quia finis iſtius prohibitionis eſt, impedire, ne legentes, hæreſim imbibant; ſed legentes, & non intelligentes, illam imbibere non poſſunt. Ergo finis iſtius prohibitionis non compræhendit legentes, & non intelligentes; & conſequenter, nec prohibitio illos obligat. Si autem non obligat, conſequenter, nec qui ita legunt, hanc excommunicationem incurrunt.

13 Secundò; Quia, qui ita legunt, non ideo excommunicationem euadunt, quia ratio, & finis legis in hoc caſu ceſſet, ſed quia ratio, & finis legis, caſum hunc numquam compræhendit, cum legere materialiter tantum, & non intelligendo, quæ leguntur, nullum ſecum afferat infectionis periculum. Cum autem ratio legis ad aliquem caſum non ſe extendit, nec ipſa lex in eo caſu obligat.

14 Tertiò denique; Quia non magis faceret contra Eccleſiæ prohibitionem, qui legeret non intelligendo, quam faceret contra prohibitionem Superioris, qui adiret Operarios die feſto; ſicut enim hic, Operariorum labores tunc impedire non poteſt, cum Operarij die feſto non laborent; ita ille hæreſim imbibere non poteſt legendo, cum non intelligat quæ legit. Non magis autem finis præcepti, eſt, Operariorum labores non impedire, quàm finis iſtius prohibitionis ſit, infectionis, ac hæreſis periculum vitare. Sicut ergo, qui die feſto Operarios adiret, non faceret contra præceptum; ita nec contra prohibitionem faciet, legens materialiter tantum, ſiue non intelligens, quæ legit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 Atque hinc ad rationes in contrarium patet reſponſio. Ad primam enim Reſpondetur; Legentem, & non intelligentem, non dici propriè legere, prout requiritur à prohibitione; Legit enim potius more Pſittaci, quam hominis; Vnde non peccat ſaltem mortaliter, vt docet *Suarez loc. cit.*

16 Ad ſecundam; Oculis percurrere characteres, eſſe, legere ſolùm materialiter, & more Pſittaci, non verò formaliter, & more humano.

17 Ad tertiam; Non ideo ſic legentes excuſari ab excommunicatione, quia in hoc caſu particulari ceſſet finis legis, ſed quia finis legis nunquam compræhendit legentes materialiter ſolùm, & non intelligentes.

18 Ad quartam; Finem iſtius prohibitionis eſſe, impedire ſolùm, ne legentes inficiantur, hic autem finis, non compræhen-

dit

dit legentes ſolùm materialiter, & non intelligentes.

19 Ad quintam; Legem, quamuis fauorabilem, extendi tamen non poſſe niſi ad caſus, quos ratio, & finis legis compræhendit; ratio autem, & finis iſtius prohibitionis nunquam compræhendit lectionem materialem, ſed ſolum formalem.

20 Ad ſextam denique; Negatur ſequela; Diſparitas autem eſt quia qui legit partem libri hæretici, in qua non eſt hæreſis, verè legit more humano, & afficitur ad auctorem, eiuſque ſtylum; vnde eius etiam doctrinam facilè poteſt imbibere; At, qui legit non intelligendo, legit ſolùm more Pſittaci; vnde nec affici poteſt ad auctorem, nec eius doctrinam imbibere.

COROLLARIA.

21 Colligitur ex dictis primò; Hanc excommunicationem incurrere, qui librum Hæretici hæreſim continentem, vel de religione tractantem retinet, quamuis illum non intelligat, quia retentio non attendit libri intelligentiam, cum prohibita ſit, vt huiuſmodi libri penitus exterminentur. Vnde hæc excommunicatio incurritur, etiam ſi libri retineantur ſolùm ad ornatum Bibliothecæ, vel ad hæreticorum errores confutandos, vel vt eorum folijs aromata, vel carnes obuoluantur; hi enim omnes verè illos retinere dicuntur; & aliqui ſunt in causâ, vt libri folia in plures diſtribuantur. *Bonac. de cenſ. diſp. 2. qu. 5. pun. 4 num. 15.*

22 Secundò; Eandem excommunicationem incurrere etiam eos, qui illos retinent, nomine alieno, quia hi etiam illos verè retinere dicuntur. Similiter eos, qui illos non apud ſe, ſed apud alium retinent; nam hi etiam, verè, ac propriè, illos dicuntur retinere; Depoſitarius enim habet ſolùm puram eorum detentionem; Dominus verò poſſeſſionem naturalem, ac ciuilem; hoc autem ſufficit, vt in propriâ, ac ſtrictâ verbi ſignificatione, illos tenere dicatur, cum verbum; *teneo*; etiam poſſidere ſignificet. Quamuis tamen verbum; *teneo*; latè ſolùm ſumpto vocabulo, ſignificaret poſſeſſionem, hoc ſatis eſſet ad hanc excommunicationem incurrendam; quia hæc lex, cum ſit fauorabilis, eo quod in fauorem Fidei, & Animarum principaliter lata ſit, eſt latè interpretanda.

Tertio; Hanc excommunicationem incurri etiam à legente librum à Catholico ſimul, ac Hæretico compoſitum, & hæreſim continentem; quia huiuſmodi liber, ſaltem ſecundùm latam ſignificationem dici poteſt, liber Hæretici, cum in fauorabilibus, res communis mihi cum altero, dicatur mea, vt docent, *Gloſ. in l. Id quod noſtrum. ff. de reg. iur. & alij apud Tuſcum tom. 1. lit. c, concl. 534.* Lex autem fauorabilis, qualis eſt hæc, cum in fauorem Animarum, ac Chriſtianæ Religionis lata ſit. Latè eſt interpretanda. *Suar. de Fide diſp. 20. ſect. 2. num. 10.* 23

Quartò; Quando lex eſt fauorabilis, verba eſſe extendenda quantum patitur eorum ſignificatio, quia fauores ſunt ampliandi *ex Reg. 49. de reg. iuris.* Quando verò lex eſt odioſa, verba ſtrictè eſſe accipienda in ſuâ rigoroſâ ſignificatione; quia ex eadem regula, 24

odia ſunt reſtringenda; quod ſi verba duplicem habeant ſenſum vnum proprium, alium improprium, accipienda ſunt in proprio, quia Legislator præſumitur locutus fuiſſe iuxta proprium, ac communem loquendi modum, ne falſis interpretationibus via aperiatur. Communis autem loquendi modus, & vſus cenſetur ille, quo maior pars Ciuitatis, vel loci vtitur. Si verò verba duplicem habeant ſenſum, vtrumque communem, tunc accipienda ſunt iuxta eum, quem ex coniecturis probabiliter colligitur habuiſſe Legislatorem, cum tota vis legis ab eius voluntate pendeat.

QVAESTIO XXII.

An Lex interdicens Clerum ad Religioſos ſe extendat.

CASVS.

1 PONTIFEX cuiusdam Ciuitatis Clerum interdixerat, quia Principi immunitatem Eccleſiaſticam violanti non reſtiterat; Principi autem; non ſoli Clerici, ſed etiam Religioſi non reſtiterant. Quæritur; Vtrum etiam Religioſi fuerint interdicti.

SVMMARIVM.

2 *Lex interdicens Clerum, ad Religioſos extendi videtur.*
3 *Religioſi ſub Clero comprehenduntur.*
4 *Sicut comprehenduntur, cum interdicitur Populus.*
5 *Religioſi gaudent priuilegio Clericali.*
6 *Interdictum, quid, & quotuplex.*
7 *Non eſt extendendum, ſed reſtringendum.*
8 *Religioſi, ſub interdicto non comprehenduntur.*
9 *In odioſis, non veniunt, nomine Cleri.*
10 *Sicut non veniunt Clerici, nomine Religioſi.*
11 *Et ſicut Religioſi non veniunt, cum interdictum, eſt Epiſcopale.*
12 *Et ſicut nomine Populi, non veniunt Scholares.*
13 *Tota Communitas, exceptis Religioſis, diuiditur in Populum, & Clerum.*
14 *Religioſi, ſolum in fauorabilibus veniunt nomine Cleri.*
15 *Et eorum priuilegijs gaudent.*
16 *Si interdicerentur Perſonæ Eccleſiaſticæ, tunc comprehenderentur.*
17 *Interdicto Clero, non ſunt interdicti Tonſurati.*
18 *Interdicto Populo Ciuitatis, non ſunt interdicti habitantes in Suburbijs.*

RATIO-

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis Lex, excommunicans legentem librum Hæreticum, non ſe extendat ad non intelligentem; Dubium tamen eſt; an Lex interdicens Clerum, ſe extendat ad Religioſos. Videtur enim extendi, & conſequenter etiam Religioſos fuiſſe interdictos. Ita *Suarez tom. 5. de cenſ. diſp. 32. ſect. 2. num. 13. Nauarr. cap. 27. num. 167. Conar. cap. Alma Mater par. 2. §. 1. num. 8.*

3 Primò; Quia *in cap. Si ſententia; de ſent. excomm. in 6.* Tota Communitas diuiditur in Populum, & Clerum, tanquam in duas partes adæquatas. Ergo Religioſi, ſub altera illarum comprehendi debent; Non comprehenduntur autem ſub Populo; Tum quia hoc, ipſis eſt minus fauorabile; interdicto enim Populo, ipſi etiam intelligerentur interdicti. Tum quia Religioſi, iam deſierunt eſſe de Populo, & cæperunt eſſe de Vniuerſitate Eccleſiaſtica. Ergo pertinere videntur ad Clerum; quod enim ſub neutra parte comprehendantur, videtur expreſsè, & contra rationem, & contra dictum *cap. Si ſententia*; Si autem comprehenduntur nomine Cleri, ipſi quoque fuerunt interdicti.

4 Secundò; Quia, cum dicitur; interdicto Populo, non interdici Clerum; nomine Cleri veniunt etiam Religioſi. Ergo etiam cum è contrario dicitur; interdicto Clero non interdici Populum. Religioſi non veniunt nomine Populi, ſed nomine Cleri.

5 Tertiò; Quia Religioſi omnes, etiam Fœminæ, ac Nouitij, gaudent priuilegio Clericali; ſe à Populo ſeparauerunt; & diuino cultui, ac Eccleſiæ ſeruitio dedicarunt; ſub ſpeciali Eccleſiæ cura, ac protectione viuunt; & eorum labores ad Eccleſiæ vtilitatem tendunt. Ergo veniunt nomine Cleri, ideoque ipſi etiam videntur cum Clero fuiſſe interdicti.

NOTABILIA.

ADuertendum eſt primò; Interdictum, 6 eſſe Cenſuram Eccleſiaſticam, quâ homo à quorundam Sacramentorum perceptione, à Diuinis Officijs, & ab Eccleſiaſtica ſepulturâ, ſeparatur; *cap. Non eſt nobis; de ſponſalibus.* Eſtque locale, vel perſonale. Per primum, interdicitur directè locus, ne in eo, diuina Officia, ſiue ab Incolis, ſiue ab Extraneis audiantur; ita tamen, vt extra illum etiam ab Incolis audiri poſſint. Per ſecundum; Populus, vel perſona aliqua particularis, eadem diuina Officia audire prohibetur vbicumque ſit.

Aduertendum eſt ſecundò; Interdi- 7 ctum, cum ſit lex odioſa, non eſſe extendendum, ſed potius, quantum fieri poteſt, reſtringendum. Hinc autem fit, vt interdicto loco Populus non cenſeatur interdictus & poſito interdicto perſonali, locus non cenſeatur interdictus, niſi hoc à Iudice exprimatur. Vnde, Eccleſiâ aliquâ Collegiatâ interdictâ, illius Eccleſiæ Sacerdotes, in aliâ Eccleſiâ, diuina officia perſoluere poſſunt; dummodo ipſi cauſam culpabilem Interdicto non dederint; Nam hi, Diuina Officia nullibi audire, vel perſoluere poſſunt *ex cap. Sicut. de ſent. excom. in 6.* Similiter omnibus Eccleſijs interdictis, celebrari poſſunt Diuina officia in priuatis Sacellis, quæ in ſuis domibus habent aliqui, cum priuilegio Miſſam in illis celebrandi, quia pri-

uata

uata Sacella non veniunt nomine Eccleſiæ. His poſitis,

RESOLVTIO.

8 AD caſum reſpondetur; Religioſos non fuiſſe interdictos. *Coninch. diſp.* 17. *d.* 1. *num.* 8. *Filliuc. tract.* 17. *cap.* 1. *num.* 14. *Sayrus de cenſ. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29. *Auila par.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 4. *concl.* 7. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 41. *num.* 3. *Bonacin. de cenſ. diſp.* 5. *pun.* 1. *num.* 11. Et alij apud iſtos.

9 Primò; Quia Religioſi, quamuis in fauorabilibus, veniant nomine Clerici, non veniunt tamen in odioſis; ſicut Filius adoptiuus, quamuis veniat in fauorabilibus, nomine Filij, non tamen in odioſis; odia enim ſemper, quantum fieri poteſt, ſunt reſtringenda. Cum ergo interdictum, ſit materia odioſa, Religioſi in ipſo non comprehenduntur nomine Cleri.

10 Secundò; Quia, ſi interdicantur Religioſi, ſub illo interdicto non comprehenduntur Clerici ſeculares, quamuis ipſi etiam lato modo ſint Religioſi, & ſint Deo, ac Eccleſiæ dicati. Ergo neque è contra, ſi interdicatur Clerus, comprehenduntur ſub illo interdicto Religioſi, quamuis ipſi, lato modo ſint Clerici, & ad Clerum pertineat.

11 Tertiò; Quia, Si Clerus interdicatur ab Epiſcopo, certum eſt, tunc Religioſos non venire nomine Cleri, neque ſub interdicto comprehendi, cum non ſint eius ſubditi, ſed ab eius iuriſdictione exempti. Ergo neque venient nomine Cleri, quando Clerus interdicitur à Pontifice; Quòd enim interdictum feratur ab vno, vel altero Superiore, & quod Religioſi ſint exempti reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, non facit, vt interdictum magis, vel minus extendatur; Ergo ſi ab vtroque, eodem modo feratur, eodem etiam modo extendetur, eoſdemque comprehendet.

Quartò; Quia, ſi interdicatur Populus, non intelliguntur interdicti Scholares, neque alij Exteri in Ciuitate habitantes ad lites, ac negotia proſequenda; vt enim quis comprehendatur ſub Populi interdicto, *ex cap. Si Ciuitas*; requiritur, vt ſit Ciuis, & pars illius populi, Scholares autem, & Habitantes ad negotia proſequenda, non ſunt Ciues, nec pars illius Populi; Ergo neque ſi interdicatur Clerus, intelligentur interdicti Regulares; multò enim minus ſunt ipſi pars Cleri illius Ciuitatis quam Scholares pars Populi. Cum ipſi à iuriſdictione Epiſcopi ſint exempti, Scholares verò non ſint exempti à legibus loci. 12

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium Reſpondetur; Ad primam; Totam Communitatem, exceptis Religioſis, ibi diſtingui in Populum, & Clerum; eodem enim modo diſtinguitur in ordine ad interdictum Epiſcopale, ac in ordine ad Papale. In ordine autem ad interdictum Epiſcopale, certum eſt, ſolam Communitatem ſæcularem diuidi in Populum, & Clerum, cum Regulares, ſint extra iuriſdictionem Epiſcopi. 13

Ad ſecundam Reſpondetur; Negando conſequentiam; neque enim ex eo, quod Religioſi veniant nomine Cleri in fauorabili- 14

Digitized by Google

rabilibus, licet inferre; quod veniant etiam in odioſis; Nam fauores ſunt ampliandi, odia verò ſunt reſtringenda. Sicut ergo filius adoptiuus venit nomine filij in fauorabilibus, non verò in odioſis; ita Religioſi venire poſſunt in fauorabilibus nomine Cleri, non verò in odioſis.

15 Ad tertiam Reſpondetur; Ex eo, quod Religioſi gaudeant priuilegijs Clericorum, inferri ſolùm poſſe, quod veniat nomine Cleri in fauorabilibus, non vero in odioſis. In his autem non veniunt neque nomine Cleri, neque nomine Populi, cum ſint exempti, neque ſint ſæculares, qui ſoli diuiduntur in Populum, & Clerum, ſed Regulares.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Si interdicerentur Perſonæ Eccleſiaſticæ, tunc fore, vt interdicerentur etiam Religioſi; ipſi enim verè ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ non minus, quàm Clerici, & ſub Eccleſiæ protectione viuunt; ſicut cum interdicuntur Doctores alicuius Ciuitatis, cenſentur etiam interdicti Doctores Clerici, & cum interdicitur aliqua familia, cenſentur etiam interdicti Clerici de tali familiâ; Sicut enim nomen Doctoris, & familiæ, eſt nomen tam Laicis, quam Clericis commune, ita nomen *Perſona Eccleſiaſtica*, eſt tam Clericis, quam Religioſis commune, *Auila par. 5. diſp. 1. diſt. 4. concl. 9.*

Secundò; Interdicto Clero, poſt *Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. refor.* non cenſeri interdictos tonſuratos, & minoribus ſolùm ordinibus initiatos; quia per hoc ſolùm, non gaudent priuilegio Clericali; Tridentinum enim; vt priuilegio Clericali gaudeant, requirit, vt incedant in habitu ac tonſura, & alicui Eccleſiæ inſeruiant, vel per Epiſcopum ad ſtudendum in Clericorum Seminario, aut in aliquâ Scholâ, vel Vniuerſitate, ſint deſtinati *Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. reform.* 17

Tertiò; Interdicto Populo Ciuitatis, non intelligi interdictos, qui habitant in ſuburbijs, quia verè non ſunt de populo Ciuitatis; ſi tamen aliqui ex illis, eſſent, cenſerentur interdicti, quia eſſent pars populi interdicti. 18

QVAESTIO XXIII.

An Lex interdicens Populum vnius Ciuitatis, comprehendat etiam alibi domicilium Habentes.

CASVS.

1 VIR quidam nobilis, in duabus Ciuitatibus domicilium habebat. Accidit autem, vt in alterâ earum, Populus, propter vectigalia à Perſonis Eccleſiaſticis, violenter exacta, in interdictum inciderit. Quæritur; Vtrum Vir iſte Nobilis, huic interdicto ſubiaceat.

SVMMARIVM.

3 *Lex vnius Ciuitatis Populum interdicens, comprehendere videtur etiam alibi domicilium Habentes.*
4 *Nam eſt verè de Populo interdicto.*
5 *Et illius Communitatis commodum ſentit.*
6 *Et ſentiret Onus tributi, ſi illi Communitati imponeretur.*
7 *Interdicto tamen non ſubiacet.*
8 *Cum æquè ſit pars Populi non interdicti.*
9 *Et ſentiat incommoda Communitatis non interdictæ.*
10 *Nec Innocens puniri debeat.*
11 *Et odia ſint reſtringenda.*
12 *Interdictum comprehendit eos, qui ſunt ſolùm de Populo interdicto.*
13 *Nec ſentire quis debet incommoda, quæ alterius etiam Communitatis bonis priuant.*
14 *Onera localia vnius Communitatis, alterius priuilegijs non priuant.*
15 *Si quis reperiatur in loco interdicto, tunc comprehenditur.*
16 *Qui alio transferunt domicilium, deſinunt comprehendi.*

RATIONES DVBITANDI.

2 IN lege pœnali, verba, quæ duplicem habent ſignificationem æquè propriam, in ſtrictiori accipi debent, cum odia ſint reſtringenda. Vnde lex prohibens delictum ſub aliquâ pœnâ, intelligenda eſt de delicto in ſuâ ſpecie conſummato; vt docent Auctores communiter apud *Bonacin. de Matrim. quaſt. 4. pun. 16. num. 4.* Quia tamen verba generalia, generaliter ſunt accipienda; adhuc eſt difficultas; an lex interdicens Populum vnius Communitatis, comprehendat eos, qui alibi etiam domicilium habent.

Et quidem, quod comprehendat; & 3 conſequenter, quod Vir nobilis interdicto ſubiaceat, docent *Angelus. v. interdictum. 1. num. 4. Tabien. eodem §. 10. Roſella n. 8. Calderin. de interdicto memb. 1. num. 39.*

Primò; Quia eſt verè de Populo interdicto, & pars illius; ſed cum interdicitur generaliter Populus, interdicuntur omnes, qui ſunt de Populo, & eius pars: Ergo Vir nobilis ſub interdicto comprehenditur. 4

Secundò; Quia, qui ſentit commodum, etiam incommodorum particeps eſſe debet, *cap. qui ſentit. de reg. iur. in 6.* Sed Vir iſte nobilis, fruitur honoribus, ac commodis Populi interdicti: Ergo eius etiam onera ſubire debet, & conſequenter interdictum. 5

Tertiò; Quia, ſi Populo interdicto impoſitum fuiſſet à Principe tributum, etiam Vir iſte nobilis, ad illud teneretur concurrere, ſicut alij de Populo, cum non minus ſit pars Populi, quam alij. Ergò, cum ab Eccleſiâ, eidem Populo fuerit impoſitum interdictum, ipſe etiam illi ſubiacere debet, non minus, quam alij de Populo; Non minus enim eſt pars Populi, quam alij. 6

RESOLVTIO.

REſpondetur tamen; Virum nobilem, interdicto non ſubiacere. *Suar diſp. 32. de cenſur. ſect. 2. num. 16. Filliuc. tract. 18. cap. 2. quaſt. 5. nu. 14. Bonac. d. 5. de cenſ. pun. 1. num. 17. Auila p. 5. diſp. 1. d. 4. concl. 4. Syluest. v. interd. 2. num. 13. Coninch. diſ. 17. d. 1. n. 12. Sayr. lib. 5. cap. 4. n. 18.* & alij apud iſtos. 7

Primò;

8 Primò; Quia, cum Vir nobilis æquè ſit pars Populi interdicti, & non interdicti; nulla eſt ratio, cur potius ſubire debeat onera Populi interdicti, quam cenſeri liber cum Populo libero.

9 Secundò; Quia, qui ſentit incommodum, etiam commodum ſentire debet. Sed Vir nobilis, particeps eſt onerum Populi non interdicti. Ergo particeps eſſe debet etiam commodorum, & conſequenter libertatis ab interdicto, qua gaudet Populus non interdictus.

10 Tertiò; Quia, interdictis terris alicuius Principis, non intelligitur interdicta terra, cuius ipſe in ſolidum, ſiue indiuiſim, cum alio Innocente, eſt Dominus, ne Innocens absque culpâ puniatur; *arg. cap. final. 1. quæſt. 4.* Ergo eodem modo; interdicto Populo, non intelligitur interdictus Ciuis, qui ſimul indiuiſim, eſt etiam pars alterius Populi non interdicti, ne Innocens, absque culpâ, puniatur, quatenus enim eſt pars Populi liberi, eſt omnino innocens; & aliunde cauſam interdicto non dedit vt ſuppono.

11 Quartò; Quia odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi. Sed interdictum, eſt res odioſa, & libertas eſt res fauorabilis. Ergo Vir nobilis cenſendus eſt potius liber cum Populo libero, quam interdictus cum interdicto.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes in contrarium Reſpondetur; Ad primam. Virum nobilem, non eſſe ſolùm de illo Populo, ſed etiam de alio libero. Interdictum autem, eos, ſolùm interdicit, qui ſunt ſolùm de illo populo, non verò qui ſunt etiam de alio; Qui enim eſt etiam de alio Populo, debet potius eſſe liber cum libero, quam interdictus cum interdicto; quia interdictum, cum ſit odioſum, eſt reſtringendum; libertas verò, cum ſit fauorabilis, eſt extendenda.

Ad ſecundam Reſpondetur; Qui ſentit commodum, debere quidem & onera ſentire, ſed ea ſolùm, quæ continentur intra limites eiusdem Communitatis, non verò ea, quæ priuant bonis etiam extra illam Communitatem, & ad aliam Communitatem non pertinentibus, vt eſt interdictum. Imo argumentum retorqueri poteſt; Nam Vir nobilis, ſentit onera alterius Ciuitatis liberæ. Ergo etiam ſentire debet & commoda, & conſequenter immunitatem ab interdicto; cur enim hoc commodum eſt illi denegandum; 13

Ad tertiam Reſpondetur; Onera localia vnius Ciuitatis; vt eſt tributum; non impedire Virum nobilem, quin gaudeat commodis alterius Ciuitatis, ideoque illi incommodo ſubiacere. At interdictum, priuat commodis non ſolùm in Ciuitate interdictâ, ſed etiam in liberâ: Æquum autem non eſt, vt qui ſentit onera Ciuitatis liberæ, eius etiam commoda non percipiat. 14

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; Virum nobilem, ſi reperiatur in loco interdicto, tunc cenſendum eſſe interdictum; quia tunc eſt verè de Populo interdicto, non ſolùm quaſi habitualiter, ratione domicilij, ſed etiam actualiter ratione actualis habitationis; De Populo verò non interdicto, eſt ſolùm habitualiter, ac 15

remotè, ratione domicilij, ſed non actualiter ac proximè; hæc autem poteſt eſſe ratio ſufficiens, cur interdicto tunc potius ſubiaceat, quàm Populi non interdicti gaudeat libertate.

16 Secundò; Eos, qui, poſt interdictum, alio transferunt domicilium, deſinere eſſe interdictos; quia deſinunt eſſe pars Communitatis, vel Populi interdicti. Dummodo tamen ipſi cauſam culpabilem interdicto non dederint; Nam hi, vbique ſunt interdicti: *ex cap. Sicut de ſent. excom. in 6.* Contra verò; Qui in loco interdicto domicilium conſtituunt, ſtatim fiunt interdicti; quia fiunt Conciues Populi, ſiue Communitatis interdictæ; propter quam etiam rationem dum interdicitur Populus, ſubiacent interdicto etiam Ciues abſentes.

QVAESTIO XXIV.

An Lex obligans ad reuelandum, comprehendat rem ſub ſecreto ſcientes, & actu in territorio non exiſtentes.

CASVS.

1 TITIVS Romæ degens, teſtamentum quoddam originale, ſibi à Sempronio miſſum, vt Aduocatos conſuleret, an fideicommiſſum in eo inſertum, in aliquibus nominatis perſonis expiraſſet, eidem Sempronio cum Aduocatorum ſententijs remiſerat. Accidit autem, vt literæ cum teſtamanto, alteri eiuſdem nominis, & cognominis Sempronio, in eodem loco degenti, redditæ fuerint, qui lectas, Sempronio deinde, cui mittebatur, reddidit. Poſt aliquot menſes, Quidam, prætendens, fideicommiſſum adhuc non expiraſſe; cum, omnibus adhibitis diligentijs, teſtamentum inuenire non poſſet, ab Ordinario ſuo petijt, vt ſub pœna excommunicationis mandaret, vt quicumque dictum Teſtamentum haberet, vel ſciret detentorem, intra duos menſes reuelaret. Quæritur; Vtrum Sempronius, cui per errorem redditæ ſunt literæ, & Titius Romæ degens, cum ſit eiuſdem Diœceſis, reuelare teneantur.

SVMMARIVM.

2 *Lex obligans ad reuelandum comprehendere videtur, etiam ſub ſecreto ſcientes, & extra territorium exiſtentes.*

3 *Vter-*

Digitized by Google

3 *Vterque, eſt Epiſcopi ſubditus.*

4 *Secretum non obligat, quando redundat in damnum Tertij.*

5 *Et Epiſcopi præceptum videtur eſſe perſonale.*

6 *Neutrum tamen verè obligat.*

7 *Fides, iure naturæ, obligat ad ſecretum ſeruandum.*

8 *Et alterius ſecretum reuelans, tenetur ad damna inde ſecuta.*

9 *Secretum, in caſu poſito, in nullius damnum redundat.*

10 *Extra Epiſcopi territorium degens; eſt eius ſubditus ſolùm habitualis.*

11 *Et præceptum, non eſt perſonale, ſed locale.*

12 *Neuter, ſine graui culpà, reuelare poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 VT melius adhuc conſtet, ad quos lex pœnalis ſe extendat, duo ſunt inquirenda; Primum eſt; an lex, delicti reuelationem præcipiens, comprehendat ſcienter ſub ſecreto, & extra territorium exiſtentes. Secundum eſt; an delicti complicem obliget. Quod enim duos primos comprehendat. Docet *Vaſqez tract. de excom. diſp.* 12. *num.* 21. *Salas de legib. dub.* 14. *ſect.* 7. *num.* 86. & alij.

3 Probatur; Quia vterque eſt ſubditus Epiſcopi, qui tulit monitorium, vt ſupponitur, & vterque notitiam habet teſtamenti; Præceptum autem obligat Subditos teſtamenti notitiam habentes.

4 Neque obſtat primò; quod ille, cui per errorem redditæ ſunt literæ, notitiam habeat teſtamenti, ſub ſigillo ſecreti, quale ſecum afferunt literæ ſigillo munitæ; Nam, quando ſecretum redundat in damnum Tertij pendens in futurum, non datur obligatio illud ſeruandi, excepto ſecreto Confeſſionis; In promiſſione enim ſecreto cenſetur ſemper exceptus caſus, in quo res vergit in detrimentum Tertij, vel Reipublicæ; Vnde, ſi quis ſub ſecreto ſciat impedimentum occultum, quo alius eſt Matrimonium contracturus, illud reuelare poteſt, ac tenetur, non obſtante ſecreto. In caſu autem præſenti; occultatio teſtamenti, redundare videtur in damnum illius, qui prætendit, fideicommiſſum adhuc non expiraſſe; ſine teſtamento enim, hoc, nunquam probare poterit.

Neque obſtat ſecundò; Quod Titius Romæ degat, & ſit extra Diœceſim Epiſcopi, qui tulit monitorium. Nam, ſicut Epiſcopi præceptum prohibens, ne Sacerdotes ſubditi, extra Diœceſim celebrent, ligat etiam exiſtentes extra Diœceſim, ita præceptum præcipiens, vt ſcientes reuelent, ligare poterit etiam exiſtentes extra Diœceſim; nulla enim eſt ratio cur vnum ſit perſonale, & non aliud. 5

RESOLVTIO.

REſpondetur tamen; neutrum ex vi edicti, teneri reuelare. 6

Primum quidem; quia ille, cui ſecretum aliquod commiſſum eſt, de ijs, loqui non poteſt, quæ illi ſub ſecreto, communicata ſunt, niſi aliâ viâ ea nouerit, quam ſub ſecreto; Fides enim, iure naturæ, ſeruanda eſt. Sed ille, cui per errorem redditæ ſunt literæ, nouit ſolùm ſub ſecreto, quæ in illis continebantur; qui enim literas clauſas mittit, vult ea, quæ in illis continentur, occulta retineri. 7

Ergo ex vi edicti, ad ea reuelanda cogi non poteſt. Superior enim aliquid præcipere non poteſt, contra ius Diuinum, vel naturale; Ius autem naturale dictat, vt ſeruetur ſecretum, niſi iuſta & rationabilis cauſa, qualis eſt damnum Reipublicæ, vel Tertij, aliter poſtulet.

8 Secundò; Quia alterius ſecretum reuelans, cum notabili eius damno, mortaliter peccat contra ius naturæ, & tenetur ad reſtitutionem damni, ex tali reuelatione ſecuti; eſt enim cauſa iniuſta damni ex tali reuelatione prouenientis, & cauſa iniuſta damni alterius ad reſtitutionem tenetur. Sed ſi ille, cui per errorem redditæ ſunt literæ, ſecretum reuelaret, eſſet cauſa grauis damni Sempronio, teſtamentum originale apud ſe habenti; Ex illà enim reuelatione, ac notitia, à Prætendente, vel vi, vel fraude, vel falſis teſtibus, aut alià via ſpoliari illo iniuſtè poſſet, eique hoc periculum immineret. Ergo reuelando, mortaliter peccaret contra ius naturæ, & teneretur ad omnia damna, quæ Sempronio inde ſequerentur. Ergo ab Epiſcopo per monitorium cogi non poteſt ad reuelandum. Superior enim, nec præcipere, nec obligare poteſt ad aliquod malum. *Suarez tom. 5. diſp. 20. ſect. 3. num. 11. Filliuc. tract. 14. cap. 2. quæſt. 8. num. 39. Auila par. 2. cap. 5. diſp. 5. dub. 2. concl. 3. Clauis regia lib. 12. cap. 14. num. 20. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 28. Reginaldus lib. 24. num. 47. Nauarr. cap. 18. num. 12. Valent. tom. 3. diſp. 5. qu. 14. pun. 1.* & alij communiter.

9 Neque vim vllam habet ratio in contrarium; nam ſecretum, & occultatio teſtamenti, in nullius damnum redundat; Prætendens enim, nullum habet ius ad teſtamentum illud habendum; cum verè fideicommiſſum expirauerit, atque ita plures Aduocati conſulti, aſſeruerint.

10 Secundus verò; hoc eſt Titius, Romæ degens; multò minus reuelare tenetur. Quamuis enim ſit Epiſcopi Subditus quaſi habitualiter, ratione originis, vel domicilij, actualiter tamen non eſt eius ſubditus, cum Romæ, & extra eiuſdem Epiſcopi territorium degere ſupponatur. Ergo eius edictis, ac præceptis ligari non poteſt; Extra territorium enim ius dicenti non paretur impune, vt habetur *cap. 2. de conſtitutionibus in 6.* Neque Epiſcopus iuriſdictionem habet in Subditos extra territorium exiſtentes, ita vt illos obligare poſſit per ſtatutum, aut præceptum locale.

11 Neque vrget paritas allata præcepti de non celebrando extra Diœceſim. Nam, cum eius violatio redundet in graue damnum Communitatis, cuius Sacerdos eſt pars, ſequitur, quod præcepto illo obligari poſſit vbicumque exiſtat, quia obligatur ſemper, vt pars illius Communitatis, & ipſe vbicumque exiſtat, ſemper illius Communitatis eſt pars, & vt talis ad eius damnum quantum poteſt vitandum tenetur; Vnde præceptum illud, eſt perſonale, quia factum eſt Sacerdoti, quatenus ſuæ Communitatis eſt pars; At præceptum de ſcripturis reuelandis, cum non redundet in bonum aliquod ſpeciale Communitatis, ſed factum ſit ſolùm ad inſtantiam alicuius particularis, non obligat Subditos, quatenus ſunt pars Communitatis, ſed ſolùm quatenus actu exiſtunt in tali Communitate; ideo-

que

Digitized by Google

que non eſt perſonale, ſed locale; Vnde exiſtentes extra territorium ligare non poteſt. *Suarez de cenſ. diſp. 5. ſect. 4. nu. 4. Filliuc. tract. 11. cap. 5. quæſt. 9. Reginal. lib. 9. num. 146.*

COROLLARIA.

11 COlligitur ex dictis; Vtrumque, non ſolùm cogi non poſſe ex vi monitorij ad teſtamentum reuelandum, ſed neutrum poſſe ſine graui peccato illud reuelare. Vterque enim, reuelando, violaret ſecretum contra ius naturæ; Vnde vterque teneretur ad omnia damna, quæ inde ſequerentur Sempronio, teſtamentum apud ſe habenti.

QVAESTIO XXV.

An Lex obligans ad denunciandum, delicti Complicem comprehendat.

CASVS.

1 TITIVS, cum multo ære alieno laboraret, Domum Amico vendidit in confidentià, ne Creditores illam caperent. Creditores autem, vt ſuum creditum recuperarent, excommunicationem impetrarunt contra retinentes bona Titij, & contra non manifeſtantes. Quæritur; Vtrum Amicus, Titium denunciare teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Lex obligans ad denunciandum, Complicem comprehendere non videtur.*

3 *Nemo ſe ipſum manifeſtare tenetur.*

4 *Nec denunciare, quæ probare non poteſt.*

5 *Comprehendit tamen.*

6 *Complex, delinquentem non denunciando, eius peccato cooperatur.*

7 *Sicut Cuſtos rei furtiuæ, illam manifeſtare tenetur.*

8 *In hoc caſu, præſumi non poteſt Calumniator.*

9 *Et ſine propria famæ detrimento, denunciare poteſt.*

10 *Nemo præſumitur, alijs bona ſua tradere velle.*

11 *Bona occultantes, ex vi Edicti, illa manifeſtare quando teneantur.*

12 *Manifeſtare tenentur, quamuis delictum ſit occultum.*

RATIO-

RATIONES DVBITANDI.

2 ALterum, quod erat inquirendum, eſt; an lex pœnalis ad delicti Complicem ſe extendat. Et quidem videtur ſe non extendere; ideoque Amicum, ad Titium denunciandum non teneri. Ita *Nauar. cap. 25. num. 50. Auila par. 2. cap. 5. diſp. 5. dub. 2. Henriq. lib. 13. cap. 18. num. 13. Suarez tom. 5. diſ. 20. ſect. 3. reg. 3. num. 9.*

3 Primò; Quia non poteſt manifeſtare Titium, quin ſimul manifeſtet ſe ipſum, cum contractus venditionis, non niſi inter duos eſſe poſſit. Nemo autem tenetur, ex vi edicti, manifeſtare alium, quando ex denunciatione, aliquod illi damnum prouenire poteſt; Edictum enim, cum ſit benignè explicandum, non obligat cum tanto incommodo; vnde filius non tenetur denunciare furtum Patris, quia damnum Patris in ipſum redundat. Cum ergo Amico, ex tali denunciatione, prouenire poſſit damnum in fama, non videtur teneri ad denunciandum.

4 Secundò; Quia nemo tenetur denunciare ea, quæ probari non poſſunt, ex *cap. Sacerdos: de pæn. d. 6.* Crimen enim, quod probari non poteſt, perinde eſt, ac ſi neſciretur; Imo denuncians, quoties probare non poteſt, præſumitur proditor, ac calumniator. Sed Amicus probare non poteſt, domum fuiſſe ſibi à Titio venditam in confidentiâ, & eſſe Titij, cum extet ſolùm verus contractus venditionis; Ergo Titium denunciare non tenetur.

RESOLVTIO.

RESpondetur tamen; Amicum teneri 5
ad denunciandum, ſi Titius creditoribus ſatisfacere nolit. *Auila par. 2. cap. 5. diſp. 4. d. 3. concl. 5. & diſp. 5. dub. 2. concl. 2. Azor. par. 1. lib. 5. cap. 8. Salon. 2. 2. quaſt. 62. art. 3. Graffius par. 1. lib. 4. cap. 18. num. 15. Clauis regia lib. 12. cap. 14. num. 37. Suar. diſp. 20. ſect. 3. num. 11.* & alij apud iſtos.

Primò; Quia Titium non denuncian- 6
do, eius delicto cooperaretur; eſſet enim cauſa, ne Titius ſuis Creditoribus ſolueret, & conſequenter ne Creditores ſuum creditum recuperarent; Cum ergo vnuſquiſque proximi peccato teneatur non cooperari, ne fiat illius particeps; ſequitur, Amicum teneri ad denunciandum.

Secundò; Quia, qui habet bona ſibi à 7
fure tradita ad cuſtodiendum, tenetur, vi monitorij, ad illa manifeſtanda; eo quod occultari non poſſint, niſi cum damno Dominorum; ſed etiam Domus venditio, occultari non poteſt, niſi cum damno Creditorum Titij. Ergo etiam, ex vi monitorij, Amicus illam manifeſtare tenetur, alioquin illam occultando, non minus eſſet cauſa damni Creditorum, quam cuſtodiens res furtiuas, damni Dominorum.

Tertiò; Quia, ſi Amicus denunciare 8
non teneretur, ideo eſſet, quia, cum probare non poſſet, præſumeretur calumniator; In hoc autem caſu, nullum imminet periculum, quod præſumatur calumniator; Nemo enim præſumitur, velle aliquid in ſui præiudicium manifeſtare, ſicut faceret Amicus, manifeſtando, Domum eſſe Titij; Cum ergo ceſſet ratio à denunciandi obligatione Amicum excu-

excuſans; ſequitur, illum teneri, dummodo tamen denunciatio fieri poſſit abſque famæ iacturâ.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

9 Neque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim Reſpondetur; Poſſe Amicum ſine famæ ſuæ præiudicio, Titium denunciare, ſicut poteſt, qui à fure bona habuit ad cuſtodiendum; denunciando enim, oſtendit, ſe nolle eſſe participem delicti Titij, & cum eo contractum bona fide iniiſſe. Si tamen verè denunciare illum non poſſet ſine ſuæ Famæ iacturâ, tunc, propter rationem adductam, denunciare non teneretur.

10 Ad ſecundam Reſpondetur; quamuis Amicus teſtibus probare non poſſit, Domum illam eſſe Titij; ceſſare tamen in illô omnem præſumptionem auidiæ, vel calumniæ; quia nunquam præſumitur, aliquem velle, alijs tradere bona, quæ verè ſunt ſua. Si ergo Amicus, Titij Creditoribus domum tradere velit, ſignum euidens eſt, Domum illam non eſſe ſuam, ſed Titij.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Eos qui bona occultant ob æs alienum, vel ob delictum commiſſum, ne à Fiſco, vel à Creditoribus capiantur, teneri ex vi edicti, ad illa manifeſtanda, quia bona iſta retineri, vel occultari non poſſunt in fraudem Creditorum, aut Fiſci, cui poſt ſententiam condemnatoriam manent applicata; alioqnin qui ea occultaret, eſſet cauſa iniuſta damni, quod iſti propter occultationem paterentur; idemque dicendum eſt de ijs, qui ficte contractus ineunt in fraudem creditorum. 11

Secundò; Teneri Amicum, denunciare Titium, quamuis huius delictum ſit occultum, quia aliàs non ſolum eſſet conſcius delicti Titij, ſed etiam particeps; quatenus occultando, eſſet cauſa, ne Titius Creditoribus ſolueret. Si tamen hoc non ſequeretur; ſed Amicus eſſet ſolùm delicti conſcius, & non particeps; in hoc caſu, denunciare non teneretur, quia, cum delictum eſſet occultum, illud ſine Titij infamiâ, manifeſtare non poſſet. 12

Quæſt. XXVI.

An Lex à Diuinis ſuſpendens, ſuſpenſum Choro aſſiſtentem diſtributionibus priuet.

CASVS.

1 CANONICVS quidam, quamuis ab Epiſcopo à Diuinis officijs ſuſpenſus, Chorum tamen, vt prius frequentauit, & officium cum alijs recitauit. Tempore autem diſtributionum, eas cum alijs percipere volens tanquam ſibi debitas, ab Epiſcopo obtinere non potuit. Quæritur; Vtrum illi fuerint iuſte negatæ.

SVMMARIVM.

2 *Lex à diuinis officijs ſuſpendens, ſuſpenſos iuſte diſtributionibus priuare videtur.*

3 *Cum ſuſpenſus, diuina officia non perſoluat ex officio.*

4 *Suſpenſio, quid, & ſupra quos cadat.*

5 *Suſpenſio, ad quos extendatur.*

6 *Suſpenſo, diuina officia perſoluenti, diſtributiones iuſte negari non poſſunt.*

7 *Diſtributiones, ſunt debita præſentibus, & canentibus in Choro.*

8 *Suſpenſio à Diuinis officijs, ab ijs tantum ſuſpendit, quæ ordini ſunt annexa.*

9 *Ad diſtributiones percipiendas, neceſſe non eſt, præſtare omnia, quæ præſtantur in Choro.*

10 *Suſpenſio, intelligitur ſolum, à diuinis officijs, ex officio, exercendis.*

11 *Suſpenſus ab officio, non eſt ſuſpenſus ab eius exercitio, per modum Laici.*

12 *Suſpenſus ab officio, intelligitur, tam ordinis, quam iuriſdictionis.*

13 *Non intelligitur tamen ſuſpenſus à beneficio.*

14 *Suſpenſus ab ordine, intelligitur ab omni ordine.*

15 *Non tamen à iuriſdictione.*

16 *Nec à Beneficio.*

17 *Suſpenſus ab ordine inferiori, cenſetur ſuſpenſus à Superiori.*

18 *Suſpenſus à Beneficio, an eius fructus percipere poſſit.*

RATIONES DVBITANDI.

AD Legis etiam pœnalis extenſionem 2 pertinet; an Lex à diuinis officijs ſuſpendens, ſuſpenſos diuina officia recitantes diſtributionibus priuet. Videtur enim priuare, & conſequenter diſtributiones Canonico iuſte videntur fuiſſe negatæ. Ita *Nauarr. c. 27. num. 116. Sayrus lib. 4. c. 4. num. 10. Filliucius tract. 17. cap. 2. quæſt. 1. num. 21. Viuald. de Sacr. p. 2. de ſuſpenſ. num. 171.*

Probatur; Quia diſtributiones deben- 3 tur ſolum præſentibus, & canentibus in Choro ex officio; dantur enim ſolum propter exercitium officij; ſed Suſpenſus à diuinis officijs, ea perſoluere non poteſt ex officio, & conſequenter, nec in Choro canere, tamquam Hebdomadarius. Ergo diſtri-

diſtributiones illi non videntur debitæ; ideoque iuſte negatæ.

NOTABILIA.

4 ADuertendum eſt primò; Suſpenſionem, eſſe Cenſuram, qua perſona Eccleſiaſtica impeditur, ne ſui officij, aut beneficij, vel ordinis, in totum, vel in partem; in perpetuum, vel ad tempus, functiones exerceat. Hæc autem cenſura, ſupra Laicos non cadit, ſed ſolum ſupra Eccleſiaſticos, aliquo exercitio ſpirituali illos priuans; Quia ſoli Eccleſiaſtici habent officium ordinis, aut iuriſdictionis, vel beneficium; circa quæ verſatur ſuſpenſio; priuans aliquando exercitio ordinis, aliquando iuriſdictionis & aliquando beneficio, aliquando his omnibus ſimul.

5 Aduertendum eſt ſecundò; Suſpenſionem, quæ aliquem exprimit effectum, ad illum ſolum extendi, & ad ea, quæ illi ſunt adnexa. Cum enim verba Cenſuræ, efficiant id, quod ſignificant, nec aliter operentur, quam ſignificando; ſequitur, quod ad eum ſolum effectum ſe extendant, quem ſignificant, & non ad alium. Hinc autem fit, vt ſuſpenſus à celebratione, reliqua ſacerdotis onera præſtare poſſit. Et Epiſcopus ab ordine Pontificali ſuſpenſus, ab ijs ſolùm intelligatur ſuſpenſus, quæ ordinis Epiſcopalis vſum concernunt; vt ſunt confirmare; ordines conferre; Eccleſias conſecrare, &c. non vero ab ijs, quæ ad iuriſdictionem pertinent, vt ſunt excommunicare, beneficia conferre, &c. His poſitis.

RESOLVTIO. I.

6 AD caſum reſpondetur; diſtributiones, Canonico iniuſte fuiſſe negatas. Ita *Auila p. 3. d. 2. d. 1. concluſ. 6. P. Nauarr. lib. 2. cap. 2. diſt. 5. num. 243. Henriq. lib. 13. cap. 3. num. 3. & cap. 14. num. 3. Sanchez lib. 3. matrim. d. 51. num. 12. Caſtrop. d. 4. de cenſib. pun. 5. §. 1. num. 7.* & alij apud iſtos.

Primo; Quia diſtributiones ſunt debitæ præſentibus, & canentibus in Choro. Canonicus autem fuit præſens, & cecinit. Neque obſtare videtur, quod non cecinerit ex officio. Nam ad diſtributiones percipiendas, ſatis eſt exercere actus, propter quos dantur diſtributiones, neque eſt neceſſe, vt exerceantur ex officio; hoc enim nullibi habetur, nec vllo iure conſtat; Imo æquum eſt, vt qui ſentit onera, ſentiat & commodum; eſto officij onera non ſentiat ex officio. 7

Secundò; Quia Canonicus, per ſuſpenſionem à Diuinis officijs, ab ijs tantum diuinis officijs fuit ſuſpenſus, quæ alicui ordini ſunt annexa; *cap.* enim 1. *de ſent. & re iudicata in 6.* Suſpenſus à diuinis, ita prohibetur ſuum officium exercere, ſicut prius, vt ſi diuinis ſe ingerat, irregularitatem incurrat. Certum eſt autem, irregularitatem non incurri, niſi per hoc, quod aliquis actus alicui ordini deputatus ſolemniter exerceatur. Sed munus pſallendi in choro, nulli ordini eſt annexum; olim enim ab alijs actibus ordinum minorum, imò etiam clericalis tonſuræ erat diſtinctum, cum *cap.* 1. *d.* 21. conſtitueret gradum pſalmiſtatus, cuius munus erat, pſalmos in choro canere, qui gradus deſijt eſſe in vſu in Eccleſia; & nunc putatur coniunctus cum gradu Clericalis Tonſuræ, quæ non eſt Ordo. 8

Ergo Canonicus, per ſuſpenſionem à Diuinis officijs, à munere pſallendi in Choro non fuit ſuſpenſus. Ergo quamuis diſtributiones eſſent debitæ ſolum canentibus in Choro ex officio, adhuc eſſent illi debitæ. Vere enim cecinit ex officio.

9 Neque obſtat, quod aliqua præſtare non potuerit, quæ ad aliquos ordines pertinent. Nam ad diſtributiones percipiendas, non eſt neceſſe, vt quis præſtet omnia, quæ præſtantur in Choro; ſed ſatis eſt, ſi aliqua præſtet; alioquin ſuſpenſus ab officio, eo ipſo cenſeretur etiam ſuſpenſus à beneficio, ſiue à fructibus beneficij; ſuſpenſus enim ab officio, omnia illius officij munera præſtare non poteſt, ſed ſolum aliqua, à quibus non fuit ſuſpenſus. Sicut ergo ſuſpenſus ab officio, quia aliqua ad beneficium pertinentia exercère poteſt, percipere poteſt fructus beneficij; ità ſuſpenſus à Diuinis officijs, cum canere poſſit, & Choro aſſiſtere, percipere poterit diſtributiones aſſiſtentibus, & canentibus debitas; eſto præſtare non poſſit ea, quæ ad ordines pertinent.

10 Tertiò; Quia, etiam ſi concederetur, munus pſallendi in Choro, alicui ordini Clericali eſſe annexum, & conſequenter ſub diuinis officijs comprehendi, adhuc tamen ſuſpenſio à Diuinis officijs, intelligeretur ſolum ab ijs exercendis ex officio, non vero aliter quam ex officio; Hinc enim eſt, inquit *Nauarr. lib. 5. de ſent. excomm. conſil. 64.* vt Epiſcopus à Diuinis ſuſpenſus, confiteri poſſit, communicare, miſſam audire, &c. quia hæc omnia præſtat non ex officio, ſed tanquam Laicus; Canonicus autem, licet Epiſtolam in Choro cum veſtibus canere non potuerit, neque vt Hebdomadarius; canere tamen potuit tanquam Laicus, & conſequenter etiam percipere fructus, qui canentibus, & præſentibus diſtribui ſolent; verè enim fuit præſens, & cecinit.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Suſpenſum ſimpliciter ab officio, non manere ſuſpenſum ab ijs officijs, quæ merus Laicus exercere ſolet, ſed ab eo ſolùm officio, quod ordini Clericali, ſiue Sacro eſt annexum; Tum quia alioqui Violans ſuſpenſionem, non incurreret irregularitatem; hæc enim incurritur ſolùm propter exercitium alicuius ordinis in ſtatu cenſuræ. Tum quia, ſicut Laici non ſunt capaces ſuſpenſionis, ita neque munera, quæ exerceri poſſunt à Laicis, ſunt materia capax ſuſpenſionis. Tum denique, quia ideo Laici non ſunt capaces ſuſpenſionis propriè dictæ, quia ſuſpenſio, eſt ſolùm circa actus Eccleſiaſticos. Actus autem, qui exerceri poſſunt etiam à Laicis, non ſunt propriè Eccleſiaſtici. 11

Secundò; Suſpenſum ſimpliciter ab officio, intelligi ſuſpenſum ab officio, non tantùm Ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, hoc eſt à poteſtate, quæ illi conuenit, vel ratione Ordinis, vel ratione iuriſdictionis. Vſus enim tam Ordinis, quam Iuriſdictionis, competit ratione officij. Ergo ſuſpenſus ab officio, ab vtriuſque vſu intelligitur ſuſpenſus. Vnde, non ſolùm celebrare non poterit, ſed nec excommunicare, aut beneficia conferre, 12

aut

aut Sacramenta alijs miniſtrare. Imo nec Ordines recipere, quia Ordo ſumitur ad Ordinis actiones exercendas *Filliucius tract.* 17. *cap.* 2. *quaſt.* 1. *num.* 15.

13 Tertiò; Suſpenſum ſimpliciter ab officio, non intelligi ſuſpenſum à beneficio, eiusque fructibus; Tum quia pœnæ non ſunt ampliandæ, niſi ratio aliter ſuadeat. Tum quia, aliquando fertur ſuſpenſio ab officio ſimul, & beneficio; Tunc autem aliquid plus importari debet, quam importetur, dum fertur tantùm ab officio. Suſpenſus tamen ab officio, ſui beneficij onera, quæ per ſe exercere non poteſt, per alium ſupplere debet; alioquin beneficij fructus percipere non poſſet, cum beneficium detur propter officium *Nauar. cap.* 27. *n.* 160.

14 Quartò; Suſpenſum ab Ordine abſolutè, & ſine vlla limitatione, intelligi ſuſpenſum ab omni ordine. Quia verba generalia generaliter ſunt intelligenda. Et nomen *Ordo* abſolutè prolatum intelligitur de omni Ordine.

15 Quintò; Suſpenſum ab Ordine, non eſſe eo ipſo ſuſpenſum à iuriſdictione. Quia Ordo cum iuriſdictione non eſt neceſſariò connexus, Epiſcopus enim electus, & confirmatus, ante Conſecrationem, exercere poteſt iuriſdictionem, quam per confirmationem accepit, excommunicando, & ab excommunicatione abſoluendo, Confeſſarios eligendo, caſus reſeruando &c.; & tamen nondum Ordines conferre poteſt, quia nondum eſt conſecratus. *Auila* 3. *par. diſp.* 2. *dub.* 1.

Sextò; Suſpenſum ab Ordine, nec ſuſpenſum videri à beneficio; quia beneficium, non fundatur in Ordine, ſed in primâ tonſura, quæ in rigore non eſt Ordo. Si tamen per ſuſpenſionem ita impediretur, vt munus ſuum, neque per ſe, neque per alium exercere poſſet, tunc indirectè etiam à beneficij fructibus eſſet ſuſpenſus; quia beneficium datur propter officium, vt dictum eſt. 16

Septimò; Suſpenſum ab Ordine inferiori, cenſeri etiam ſuſpenſum à Superiori. Tum quia Ordo ſuperior inferiorem ſupponit, tanquam fundamentum. Tum quia, cui non licet minus, nec licere debet maius, quando tamen maius cum minori connectitur. *Arg. cap. Cum illorum: de ſenten. excomm.* Suſpenſus tamen ab Ordine Superiori, ſuſpenſus non videtur ab inferiori; quia inferior non fundatur in Superiori. Vnde ſuſpenſus à Sacerdotio, Epiſtolam, ac Euangelium, ex officio canere poteſt. *Reginal. lib.* 32. *num.* 15. 17

Octauò; Suſpenſum à beneficio, ſi aliunde non habeat, vnde viuat; vel officium ſuum exerceat, moderatam fructuum quantitatem, iudicio prudentum, percipere poſſe, qualis daretur alteri, beneficio inſeruienti. Tum quia, qui ſentit onus, ſentire debet, & commodum. Tum quia indecens videtur, vt Beneficiarius, cum ſtatus Clericalis opprobrio, emendicare cogatur. Tum denique quia ita colligitur; *ex cap. Conquerente, de Cleric. non reſid.* 18

QVAESTIO XXVII.

An Lex ſuſpendens à beneficio, priuet diſtributionibus, & fructibus beneficiorum, extra Suſpendentis territorium exiſtentium.

CASVS.

1 BENEFICIARIVS quidam, à ſuo Epiſcopo ſuſpenſus fuerat à beneficio; Ipſe tamen, quia ſimul erat Canonicus, & Choro intererat, interim diſtributiones recipiebat; Et quia alia etiam beneficia ſimplicia habebat extra Diœceſim exiſtentia, illorum quoque fructus percipiebat. Poſtea verò dubitare cœpit, an poſſet. Quæritur: Vtrum potuerit.

SVMMARIVM.

2 *Lex ſuſpendens à beneficio, extendi non videtur ad beneficia extra territorium exiſtentia.*

3 *Epiſcopus, extra Diœceſim iuriſdictionem exercere non poteſt.*

4 *Exercere tamen poteſt in perſonam ſubiectam.*

5 *Beneficiarius, diſtributiones percipere potuit.*

6 *Hæ non ſunt fructus beneficij.*

7 *Percipere etiam potuit fructus beneficiorum extra territorium exiſtentium.*

8 *Epiſcopus per ſuſpenſionem à beneficio, intendit ſuſpendere ſolùm ab exiſtentibus in Diœceſi.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CIrca legis extenſionem, quæri etiam ſolet; an lex ſuſpendens à beneficio, ſe extendat etiam ad diſtributiones, ac beneficia extra Suſpendentis territorium exiſtentia.

Ratio autem dubitandi ex vno capite 3 eſt; quia ſuſpenſio eſt actus iuriſdictionis. Epiſcopus autem extra ſuam Diœceſim, auctoritatem non habet, nec exercere poteſt iuriſdictionem; Ergo ſuſpenſio, in ordine ad beneficia extra Diœceſim poſita, nihil operatur; extra territorium enim, ius dicenti non paretur impune *cap. fin. de conſt. in 6.* nec iuriſdictio extra territorium extenditur *cap. Venerab. de elect.* nec decet falcem ponere in meſſem alienam *cap. Nouit. de iudic.* Epiſcopus ergo, Beneficiatium à beneficijs extra Diœceſim exiſtentibus ſuſpendere non potuit; ideoque Beneficiarius eorum fructus percipere potuit.

Ex alio verò capite, Epiſcopus videtur 4 Beneficiatium etiam à beneficijs extra Diœceſim exiſtentibus ſuſpendere potuiſſe; Quia ſuſpendendo à beneficio, non per ſe, & proximè ſuſpendit ab ipſo fundo, ex

ex quo Beneficiarius ius habebat fructus percipiendi ; ſic enim verè extra territorium ius dixiſſet; ſed à iure percipiendi fructus, quod ius ipſi Beneficiario inhærebat, ſicut alia iura. Cum ergo Beneficiarius, ratione delicti eſſet Epiſcopo ſubiectus, priuari ab eo potuit in pœnam delicti, iure percipiendi fructus etiam ex beneficijs alibi exiſtentibus; ſic enim Epiſcopus iuriſdictionem extra territorium non exercuit, ſed in perſonam ſibi ſubiectam, ſicut exercuiſſet ſuſpendendo ab officio, v. g. à Miſſæ celebratione.

RESOLVTIO. I.

5 AD caſum Reſpondetur primò; Beneficiarium potuiſſe quotidianas diſtributiones percipere, quæ cæteris Canonicis Choro aſſiſtentibus tribui ſolent. *Couarruu. lib. 3. var. cap. 13. num.* 8. *Gaſpar. Hurt. de ſuſp. diff.* 4. *num.* 10. *Sayrus lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 11.

6 Probatur; Quia Beneficiarius erat ſuſpenſus ſolùm à beneficio, ſuſpenſus autem à beneficio, intelligitur ſuſpenſus ſolùm ab omnibus fructibus competentibus, ratione Beneficij. Cum ergo diſtributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis, diuinis officijs aſſiſtentibus, non ſint fructus competentes ratione beneficij, ſed dentur intuitu officij, diuinis officijs in Choro aſſiſtendi, non veniunt nomine beneficij, ideoque eas percipere potuit Beneficiarius, non obſtante ſuſpenſione à beneficio.

RESOLVTIO. II.

REſpondetur ſecundò; Beneficiarium 7
recipere potuiſſe fructus ex beneficijs extra Diœceſim exiſtentibus. *Suarez diſp.* 27. *ſect.* 1. *num.* 22. *Sayrus lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 21. *Vgolin. tab.* 4. *cap.* 8. §. 3. *Filliuc. tract.* 17. *c.* 8. *quæſt.* 6. *num.* 47. & alij apud iſtos.

Probatur; Quia, licet Epiſcopus Be- 8
neficiarium ſuſpendere potuerit etiam à beneficijs extra Diœceſim exiſtentibus, imo illis eum etiam priuare, eo quod pœna non feratur in beneficium, ſed in perſonam ſubiectam; de facto tamen illum non videtur ſuſpendere voluiſſe, niſi à beneficijs intra propriam Diœceſim exiſtentibus. Tum quia, ſi ſuſpendere voluiſſet, etiam ab alijs, id clarè expreſſiſſet; in odioſis enim verba ſunt ſtrictè interpretanda. Tum quia, ſicut ſuſpenſio, lata pro delicto particulari, ac pertinente ſolùm ad Epiſcopi Diœceſim, quamuis abſolutè feratur, intelligitur tamen ſuſpendere ſolùm à beneficijs in ea Diœceſi ſitis; ita cum fuerit lata ab Epiſcopo particulari illius Diœceſis, nec aliud fuerit explicatum, intelligi debuit, ſuſpendere ſolùm à beneficijs in eius Diœceſi exiſtentibus; ſicut enim delictum, ſiue cauſa materialis particularis, eſt ſufficiens ad limitandam ſuſpenſionem ad ſola beneficia illius Diœceſis, ita erit ſufficiens Epiſcopus, ſiue cauſa efficiens particularis. Cum præſertim hoc ſit, iuxta illa generalia iuris principia; pœnæ, ac odia ſunt reſtringenda.

QVAE-

Quæſt. XXVIII.

An Lex irregularitatem inducens ex defectu lenitatis, ad alios, quam ad publicos Iuſtitiæ Miniſtros ſe extendat.

CASVS.

SACERDOS quidam, dum Reum, qui capite plectendus erat, ad ſupplicium comitaretur, iuſtitiæ Miniſtris conſilium dedit, vt viam caperent breuiorem, & ipſi Reo, vt cito caput ad ictum ſupponeret. Sicque eius mortem notabiliter accelerauit. Quæritur; Vtrum in irregularitatem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Sacerdos, Rei mortem accelerando, irregularitatem contraxiſſe videtur.*

3 *Suo conſilio cooperatus eſt morti Delinquentis.*

4 *Qui alterius morti cooperatur, Chriſti manſuetudinem non ſignificat.*

5 *Verè tamen irregularitatem non contraxit.*

6 *Hæc irregularitas non incurritur, niſi ex concurſu, auctoritate publica præſtito.*

7 *Omnis alius concurſus eſt aliquid leue.*

8 *Sicut, cum Medici, & Chirurgi, mortem Infirmi, per accidens accelerant.*

9 *Cooperatio miniſtrorum, per ſe ad vindictam ordinatur.*

10 *Sacerdos non cooperatus eſt, vt publicus miniſter, nec per actionem ad publicam mortem per ſe ordinatam.*

11 *Qui alium occidit ad propriam defenſionem, irregularis non fit.*

12 *Regula generalis, circa hanc irregularitatem ſeruanda.*

RATIONES DVBITANDI.

AD legis etiam extenſionem reducitur 2
celebris controuerſia; An lex irregularitatem inducens ex defectu lenitatis, ad alios, quam ad publicos Iuſtitiæ Miniſtros ſe extendat. Ex antiquis enim Summiſtis, plurimi nec in dubium reuocabant, extendi etiam ad omnes alios, qui mortem Rei aliquo modo accelerabant. Imo aliqui etiam Theologi valdè graues, in eadem fuerunt opinione; quibus propterea Sacerdos in irregularitatem incidiſſe viſus eſt. Ita *Suarez diſp. 47. ſect. 7. Reginaldus lib. 30. tract. 2. c. 9. num. 102. Filliuc. tract. 10 cap. 10. num. 278. Sayr. lib. 6. cap. 16. Molina tract. 3. tom. 4. diſp. 74. num. 4. Bonacina diſp. 7. quæſt. 4. pun. 1. num. 9.*

Primò; Quia, Sacerdos non minus per 3
ſuum conſilium cooperatus eſt morti Delinquentis, eamque accelerauit, quam Iuſtitiæ Miniſtri per ſententiæ executionem. Sed iſti irregularitatem incurre-

currerunt ex defectu lenitatis. Ergo eamdem irregularitatem incurrit etiam Sacerdos.

4 Secundò; Quia eo ipſo, quod quis aliquo modo ad Hominis mortem etiam iuſtè concurrit, iam Chriſti manſuetudinem, ac lenitatem amplius non ſignificat, nec repræſentat, Ergo eo ipſo, irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis; quælibet enim hominis occiſio, vel mutilatio iuſta, ſecum neceſſariò trahit defectum lenitatis. Huic autem defectui, à iure eſt annexa irregularitas; Cum ergo Sacerdos mortem delinquentis ſuo conſilio accelerauerit, irregularitatem contraxiſſe videtur.

RESOLVTIO.

5 Reſpondetur tamen, Sacerdotem irregularitatem non contraxiſſe. *Vaſquez 1. 2. diſp.* 100. *num.* 45. *Gaſpar Hurtad. diſp. 2. de irreg. diff.* 11. *num.* 39. *Caſtrop. de cenſ diſp. 6. pun.* 14 §. 4. *Turrianus de cenſ. lib* 7. *diſp. 66. dub.* 3. *Dian. par.* 3. *tract.* 5. *reſ* 79. & alij apud iſtos.

6 Primò; Quia Irregularitas ex defectu lenitatis, non incurritur niſi ex concurſu ad mortem, vel mutilationem, auctoritate publicâ, præſtito, & conſequenter niſi à ſolis publicis Iuſtitiæ Miniſtris ad ſententiam mortis in Delinquentem, vel eius executionem concurrentibus, vt ſunt Iudex, Accuſator, Teſtis, Notarius, Lictores &c. Irregularitas enim non incurritur, niſi in iure ſit expreſſa; *cap. Is, qui de ſent. excom. in 6.* In iure autem, ſolis Miniſtris publicis hæc irregularitas indicitur. *cap. 1. diſt.* 51. *cap. Sententiam: ne Clerici, vel Monachi; & cap. Prælatis. de homic. in 6.* Sed Sacerdos ad mortis accelerationem ſuo conſilio concurrit, non tanquam Perſona publica, ſed priuata. Ergo irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrit.

Secundò; Quia omnis cooperatio, 7 quæ à Perſonâ priuata poni poteſt ad mortem Delinquentis, cenſetur aliquid leue, ideoque pro nihilò reputatur; Cum enim Delinquentis mors, eiuſque executio; auctoritate publica ſit iam ſtatuta, à Perſona priuatâ, variari notabiliter non poteſt. Si tamen perſona priuata, Delinquentis mortem iniuſtè accelerarer, vel aliter in cooperatione ad eius mortem peccaret, tunc in Irregularitatem quidem incideret, non tamen ex defectu lenitatis, ſed ex delicto.

Tertiò; Quia Medici, Chirurgi, & 8 Infirmarij, qui curam gerunt, Ægroti, quamuis ſuis actibus aliquando eius mortem accelerent irregularitatem tamen non contrahunt ex defectu lenitatis, ſi debitam diligentiam in ſuo munere adhibeant, quia mortis acceleratio, per accidens, & præter illorum intentionem ſequi cenſetur; Hoc autem dici etiam poteſt de ijs, qui tanquam Perſonæ priuatæ Rei mortem accelerant aliquando per accidens; illam enim per ſe non intendunt, ſed aliquod aliud bonum, vel ſpirituale, vel temporale ipſius Rei; Vt, ſi quis, ad maiorem Delinquentis infamiam vitandam Iudicem rogaret, ne Reum per ſolitam viam, quamuis longiorem, duceret ad mortem, ſed per aliam breuiorem.

9 Quartò denique; Quia ideo Miniſtri publici irregularitatem incurrunt, quia eorum actio ad vindictam, ac ſanguinis effuſionem per ſe ordinatur. Sed actiones eorum qui vt priuatæ perſonæ concurrunt ad hoc non ordinantur per ſe. Ergo iſti, quamuis mortis acceleratio per accidens ſequatur, irregularitatem non contrahunt.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 AD rationes in contrarium Reſpondetur; Ad primam; Sacerdotem cooperatum non eſſe morti Rei, nec tanquam publicum Miniſtrum, nec per actionem ex ſe ordinatam ad publicam eius mortem. Hoc autem à iure requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam.

11 Ad ſecundam reſpondetur primò; Negando antecedens. Nam ſi quis alium occidat ad proprium defenſionem, non propterea irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis. Defectus ergo lenitatis, non oritur ex quacumque hominis occiſione iuſta, ſed ſolùm ex occiſione, quæ fit publica auctoritate; quia ita ſtatuerunt iura, ex vi quorum ſolùm, hæc irregularitas incurritur.

COROLLARIA.

12 COlligitur ex dictis primò Hæc regula generalis: Nullum in morte publicà Delinquentis irregularitatem contrahere ex defectu lenitatis, præter publicos iuſtitiæ Miniſtros, & eos, qui in iudicio cooperati ſunt, vel ſententiæ mortis in Reum, vel eius executioni; quia in iure, ſolis Miniſtris publicis hæc irregularitas indicitur, vt dictum eſt; Vnde hanc irregularitatem non incurrit, nec Confeſſarius, negans Iudici ab abſolutionem, niſi ſententiam ſanguinis ferat; Nec ſi pœnitentem obliget ad fatendum delictum morte, aut mutilatione dignum, ad cuius manifeſtationem Pœnitens iure naturali tenetur, Tum quia non concurrit ad mortem ex parte Iudicis eam inferentis, ſed ex parte Suſtinentis. Tum quia non concurrit, vt publicus iuſtitiæ Miniſter; quod tamen ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur.

Secundò; Multò minus hanc irregularitatem contrahere, qui infirmo miniſtrantes, eum de latere in latus vertunt, vel de lecto ad lectum transmutant, vel ei cibum porrigunt, licet ex his actionibus, præter intentionem, mors infirmi acceleretur, dummodo hæc fiant prudenter, & adhibità debità diligentia, quia huic accelerationi, ac cooperationi per accidens, à nullo iure irregularitas eſt impoſita. Irregularitas autem, nunquam incurritur, niſi in iure ſit expreſſa. 13

* * *

QVAE-

QVAESTIO XXIX.

An Lex Irregularitatis, ſe extendat ad mandantem homicidium, ſi Mandatarius occidatur.

CASVS.

1 TITIVS Cæſari mandauerat, vt Pompeium occideret. Accidit tamen, vt, dum Cæſar tormentum igneum contra Pompeium explodere tentabat, Pompeius illum præuenerit, ac occiderit. Quæritur; Vtrum Titius in irregularitatem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Titius in irregularitatem incidiſſe non videtur.*

3 *Non incidit, neque ex homicidio voluntario, neque ex caſuali.*

4 *Sicut Medicus, ex morte Infirmi non fit irregularis.*

5 *Iura, de hoc caſu non loquuntur.*

6 *Titius, non fuit cauſa mortis Mandatarij.*

7 *Sicut qui Furi conſulit furtum non propterea eius morti cooperatur.*

8 *Probabilius tamen eſt, Titiu n irregularitatem incurriſſe.*

9 *Suo Mandato fuit cauſa, vt Mandatarius mortis periculo exponeretur.*

10 *Sicut, ſi illi conſuluiſſet, vt ſe occideret.*

11 *Et ſicut, ipſe Mandatarius, illi periculo ſe exponendo, peccauit.*

12 *Et ſicut conſulens alteri tranſitum per viam periculoſam.*

13 *Mors Mandatarij, imputatur Titio tanquam Cauſa.*

14 *Medicamenta, non conſtituunt Infirmum in mortis periculo.*

15 *Titius factus eſt irregularis, quatenus ſuo mandato fuit occaſio mortis Mandatarij.*

16 *Verè fuit cauſa iniuſta illius mortis.*

17 *Furtum non eſt actio, mortis periculum ex ſe afferens.*

18 *Et ſi afferret, etiam Conſulens furtum fieret irregularis.*

19 *Dans operam actioni periculoſæ homicidij, fit irregularis.*

RATIONES DVBITANDI.

Legis, præſertim pœnalis, extenſio ex quibuſdam caſibus ad Irregularitatem ſpectantibus, clarius adhuc innoteſcet. Lex enim irregularitatis, extendere ſe non videtur ad Mandantem homicidium, ſi Mandatarius occidatur; Vnde nec Titius in irregularitatem incidiſſe videtur. *Vaſquez* 1. 2 *diſp.* 100. *num.* 45. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 16. *Gaſpar. Hurtado d.* 2. *de irreg. d. ff* 6. *num.* 22. 2

Primò; Quia neque in irregularitatem incidit ex homicidio voluntario, neque ex caſuali: non ex voluntario, quia non habuit expreſſam voluntatem, vt Cæſar in eâ occaſione conſtitutus, occideretur, vt ſuppono, 3

pœno. Neque ex caſuali, quia eius mandatum non dirigebatur, nec tendebat ad occiſionem ipſius Cæſaris, ſed Pompeij; neque Titius Cæſari mandauit, vt ſeipſum occideret, aut occideretur ab alio. Ergo irregularitas contra mandantes homicidium lata, ad Titium ſe extendere non potuit, niſi Pompeio occiſo; Huius enim homicidium, fuit obiectum, ac terminus mandati.

4 Secundò; Quia quamuis Infirmus, ex medicamentis aliàs probabilibus, à Medico, vel Chirurgo datis, caſu moriatur, non propterea Medicus, aut Chirurgus irregularitatem incurrunt. Ergo ſimiliter, quamuis Cæſar, occaſione mandati habiti ad Pompeium occidendum, fuerit occiſus, non propterea Titius mandans, vllam irregularitatem incurrit; ideo enim Medicus, & Chirurgus irregularitatem ex Infirmi morte non contrahunt, quia medicamenta illi data, ex ſe tendebant potius ad eius conſeruationem, quam ad mortem. Sed etiam mandatum à Titio Cæſari datum ad Pompeium occidendum tendebat potius in bonum ipſius Cæſaris, quam in mortem; illi enim erat lucroſum. Ergo etiam Titius ex Cæſaris morte, nullam irregularitatem incurrit.

5 Tertiò; Quia Iura, dum homicidium Mandanti, irregularitatem imponunt, loquuntur de eo, qui dat mandatum ad alium occidendum; ſi alius occidatur, non verò de eo, qui indirectè mandat vt quis mortis periculo ſe exponat. Titius autem ad ſummum Cæſari mandauit, vt mortis periculo ſe exponeret.

6 Quartò; Quia, vt quis, propter homicidium, irregularitatem incurrat ex delicto; neceſſariò requiritur, vt ſit cauſa iniuſta illius homicidij, requiritur enim culpa mortalis; ſed Titius, eſſe non potuit cauſa iniuſta homicidij Cæſaris, ſicut fuiſſet Pompeij, ſi hic à Cæſare fuiſſet occiſus; Tum quia mandatum erat de morte Cæſaris; Tum quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, Cæſar autem, libens, & volens, hoc mandatum acceptauit. Ergo ex Cæſaris morte, irregularitatem incurrere non potuit.

Quintò; Quia, qui Furi conſulit fur- 7
tum, quamuis præuideat imminere periculum, ne propter illud à Iudice comprehendatur, ac morte damnetur, non tamen propterea irregularitatem incurrit, ſi forte Fur à Iudice comprehendatur, & occidatur; Quia ad illam mortem non concurrit, nec vt publicus miniſter, neque per vllum actum iniuſtitiæ contra Furem; Illi enim furtum conſulendo, nullam fecit iniuriam. Ergo ſimiliter Titius mandans Cæſari homicidium Pompeij, quamuis præuiderit, aliquod inde periculum ipſi Cæſari imminere, non propterea irregularitatem incurrit, illius enim mortis nullo modo fuit cauſa iniuſta.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen, Titium probabi- 8
lius irregularitatem incurriſſe. *Nauar. c. 27. n. 233. Suarez diſp. 44. ſect. 3. num. 18. Coninch. diſp. 18. dub. 8. n. 47. Auila par. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 5. concl. 4. Caſtrop. de cenſ. diſp. 16. pun. 15. §. 2. n. 15.* & alij apud iſtos.

Primò; Quia Titius ſuo mandato fuit 9
cauſa voluntaria, vt Cæſar in eo periculo conſtitueretur, & à Pompeio occideretur. Ergo irregularitatem incurrit,

non

non quatenus formaliter mandans homicidium, ſed quatenus ſuo mandato fuit cauſa periculi, ac mortis ipſius Cæſaris.

10 Secundò; Quia conſulens alteri, vt ſe occidat, ſecuta morte, eſt irregularis, quia ſuo conſilio verè fuit homicida; Quamuis enim proximè iniuriam non intulerit ei, qui conſilium accepit, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, iniuriam tamen intulit ei, qui erat Dominus vitæ illius; V. gr. Deo, vel Reipublicæ. Ergo etiam Conſulens, vt mortis periculo ſe exponeret, ſecuta morte, factus eſt irregularis. In moralibus enim, idem eſt, facere, ac morali faciendi periculo ſe exponere. Cum ergo Titius, ſuo mandato, Cæſarem morali mortis periculo expoſuerit, eius morte ſecuta, irregularitatem contraxit. Cum enim, ſuo mandato, fuerit cauſa iniuſta illius periculi, cenſetur etiam fuiſſe cauſa iniuſta mortis inde ſecutæ.

11 Tertiò; Quia ipſe Cæſar, mortis periculo ſe exponendo, vere peccauit contra iuſtitiam; abuſus enim eſt vitâ ſuâ, cuius ipſe non erat Dominus; ideoque vere fuit ſui ipſius homicida. Ergo à fortiori peccauit Titius, ſuo mandato, illum in proximo mortis periculo, ac occaſione conſtituendo, ideo vere; ſuo mandato, fuit illius homicida; Vnde conſequenter irregularitatem incurrit.

12 Quartò; Quia dans alteri conſilium tranſeundi per viam, in qua nouit eſſe eius inimicos, illi inſidias tendentes, ſi ab eis occidatur, cenſetur cauſa moralis illius mortis, ac irregularitatem incurrit. Ergo etiam Titius, mandans Cæſari homicidium, ſi ipſe Cæſar occidatur, cenſendus erit cauſa moralis illius mortis, & irregularitatem incurret. Ideo enim conſulens cenſetur cauſa moralis homicidij ſecuti, quia ſuo conſilio eum, cui conſilium dedit, probabili mortis periculo expoſuit. Sed etiam Titius ſuo mandato, Cæſarem in ſimili periculo conſtituit. Ergo ſi conſulens cenſendus eſt cauſa moralis homicidij ſecuti, etiam Titius cenſendus erit cauſa moralis homicidij Cæſaris.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam enim reſpondetur, Titium, irregularitatem incurriſſe ex homicidio caſuali, quatenus Cæſarem probabili mortis periculo expoſuit; Vnde illi, Cæſaris mors imputatur, tanquam cauſæ; Cauſa enim periculi, cenſetur etiam cauſa eorum, quæ ſequuntur ex tali periculo. 13

Ad ſecundam eſt euidens diſparitas; Nam medicamenta non ſunt ex ſe conſtitutiua Infirmi in mortis periculo, ſed potius in via ad ſanitatem. Ad mandatum Cæſari datum, illum conſtituit in probabili mortis periculo. Hinc autem fit, vt Titius volens tale periculum, cenſeatur etiam indirecte ſaltem, ac implicite voluiſſe omnia, quæ ex tali periculo ſecuta ſunt, & conſequenter mortem ipſius Cæſaris. 14

Ad tertiam reſpondetur: Titium irregularitatem non incurriſſe, quatenus fuit formaliter mandans, ſed quatenus ſuo mandato fuit occaſio, & cauſa, 15

vt Cæſar temerè mortis periculo ſe exponeret, & conſequenter, quatenus fuit cauſa ſaltem indirectà mortis ipſius Cæſaris, de qua alibi iura loquuntur.

26 Ad quartam reſpondetur; Titium vere fuiſſe cauſam iniuſtam homicidij Cæſaris; illum enim mortis periculo exponendo, peccauit contra iuſtitiam, ſaltem reſpectu illius; qui erat Dominus vitæ illius, V. gr. reſpectu Reipublicæ; ſicque fuit cauſa iniuſta illius mortis.

27 Ad quintam reſpondetur primo; Furtum, ex ſe, non eſſe actionem adeo periculoſam comprehenſionis, & condemnationis, ſicut eſt periculoſa, intentatio mortis alterius; Non enim tam frequenter comprehenduntur Fures; Vnde, cum comprehenditur aliquis, cenſetur per accidens tantum comprehendi, ex aliqua alia circumſtantia, & non ex natura ipſius furti. At, cum quis alterius mortem intentans, occiditur, non cenſetur occidi per accidens, ex aliqua alia circumſtantia ſuperueniente, ſed ex natura ipſius attentationis. Hæc enim ſecum habet annexum hoc periculum.

Reſpondetur ſecundo; Etiam conſilium
28 furti, ſi furtum fuit præuiſum, vt periculoſum condemnationis, fuiſſe cauſam iniuſtam mortis Furis, ideoque Conſulentem, irregularitatem incurriſſe. Fur enim ius habebat, ne illi hoc conſilium daretur cum præuiſione talis periculi; Et dare illi conſilium furandi, in talibus circumſtantijs fuit, illum probabili mortis periculo exponere; quod ſine graui peccato iniuſtitiæ, fieri non potuit.

COROLLARIVM.

Colligitur ex dictis; Quando aliqua 29
actio eſt de ſe periculoſa, & homicidij cauſatiua, eum, qui tali actioni dat operam, irregularitatem contrahere, ſi mors ſequatur; quia exercens opus de ſe periculoſum, voluntariè periculum amplectitur; Ei autem, qui alicui periculo voluntariè ſe exponit, adſcribitur effectus inde ſecutus tanquam voluntarius indirectè, & in causâ. Vnde, qui alicui iniurias, illi ab alio illatas retulit, ſi propterea iniurijs affectus illum occidat, irregularitatem incurrit, quia iniurias referendo, eum mortis periculo expoſuit, ideoque ei imputatur mors inde ſecuta tanquam cauſæ.

* * *

QVAE-

QVAESTIO XXX.

An Lex irregularitatis, ſe extendat ad eum, qui alium mortis periculo exponit, ſi occidatur.

CASVS.

1 TITIVS, Sempronium cum Vxore in Adulterio deprehenſum occidere voluit; Sempronius tamen, quia periculum præuiderat, cum aliter ſe defendere non poſſet, pugione, quem ſecum tulerat, Titium transfodit, ac occidit. Quæritur; Vtrum Sempronius in irregularitatem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Sempronius, Titium occidendo irregularitatem contraxiſſe non videtur.*
3 *Titium occidit ad ſui defenſionem.*
4 *Quamuis illi cauſam dederit per adulterium*
5 *Vnde homicidium non fuit illi voluntarium, ſed neceſſarium.*
6 *Omnes alium, ad ſui defenſionem occidentes, ab irregularitate eximuntur.*
7 *Verè tamen irregularitatem contraxit.*
8 *Sicut, ſi fuiſſet cauſa mortis Adultera.*
9 *Et ſicut, ſi Titio ſuaſiſſet tranſitum per viam, mortis periculoſam.*
10 *Et ſicut Mater, ſi credat, ſe dormiendo probabiliter occiſuram Infantem.*
11 *Titium mortis periculo expoſuit.*
12 *Sicque fuit cauſa iniuſta indirecta illius mortis.*
13 *Ad irregularitatem contrahendam ſufficit, eſſe cauſam mortis indirectam.*
14 *Ponere cauſam iniuſtam homicidij, eſt eſſe cauſam illius indirectam.*
15 *Cur Tridentinum requirat diſpenſationem, etiam in homicidio ad ſui defenſionem.*

RATIONES DVBITANDI.

CAſus hic, cum præcedenti ferè co- 2
incidit; Quia tamen illum melius explicat, ac confirmat, omittendus non eſt. Sempronius igitur in irregularitatem non videtur incidiſſe. *Leſſius lib. 2. cap. 9. n. 105. Sotus lib. 5. de iuſt. quæſt. 1. art. 9. Henriq. lib. 14. cap. 10. num. 3. P. Nauar. lib. 2. cap. 3. n. 363. Vaſq. 1. 2. diſp. 188. num. 49. Gaſpar Hurtado, diſp. 2. de irregul. diffic. 6. num. 22.*

Primò; Quia Sempronius Titium oc- 3
cidit ad ſui defenſionem, & conſequenter occidendo non peccauit. Ergo neque irregularitatem incurrit; Ad irregularitatem enim contrahendam ex homicidio priuata auctoritate commiſſo, requiritur culpa, & quidem mortalis. Hæc autem non reperitur in occiſione ad propriam defenſionem facta.

Secundò;

4 Secundò; Quia quamuis Sempronius, per adulterium, cauſam dederit Titio, vt illum inuaderet; ius tamen vitam ſuam defendendi non amiſit; vt ex eo patet, quia ſi Titius illum occidiſſet; mortaliter peccaſſet, quamuis in Foro externo impunè occidiſſet. Qui autem habet ius vitam ſuam defendendi, irregularitatem non incurrit occidendo Inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, cum illum ſic occidendo non peccet.

5 Tertiò; Quia homicidium Titij, reputari non poteſt tanquam voluntarium Sempronio, ſed ſolùm tanquam neceſſarium ad ſuam vitam defendendam. Ergo illi imputari non debet ad culpam, & conſequenter neque ad pœnam irregularitatis.

6 Quartò, Quia *In Clementina ſi Furioſus; de homicidio*, omnes alium interficientes ad propriam defenſionem ab irregularitate eximuntur. Clementina enim, generaliter loquitur de omni Homine, qui iuſtè ſe defendit. Sed Sempronius, Titium occidendo, iuſtè ſe defendit. Ergo ab irregularitate exemptus eſt.

RESOLVTIO.

7 RESpondetur tamen; Sempronium occidendo Titium; irregularitatem incuriſſe. *Suarez diſp.* 44. *ſect.* 3. *num.* 18. *& d.* 45. *ſect.* 5. *num.* 7. *Coninch. diſp.* 18. *d.* 8. *num.* 47. *Caſtrop. de cenſur. diſp.* 6. *pun.* 5. § 8. *n.* 2. *Laym. lib* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *c.* 10. *num.* 2. *Nauarr. cap.* 27. *num.* 218. *&* 233. dicens eſſe communem doctrinam *Auila par.* 7. *diſp* 6. *ſect.* 2. *dub.* 5. *concl.* 4. *Sayr. lib* 7. *cap.* 6. *num.* 26. *Molina tract.* 3. *diſp.* 72. *num.* 5. *Gutierez lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 41. *Valent. tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *& tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 19. *pun.* 4. § 5. *dub.* 1. *Filliuc. tr.* 20. *cap.* 5 *num.* 135. & alij apud iſtos.

8 Primò; Quia ſi Titius Vxorem in adulterio deprehenſam occidiſſet, Sempronius irregularitatem incurriſſet tanquam cauſa indirecta illius mortis, quatenus præuidens periculum, illam tali periculo voluntariè expoſuit, ſicque indirectè ac interpretatiuè voluit, quidquid ex tali periculo ſequi poterat, & conſequenter eius mortem. Sed, per adulterium, ſimili periculo Titium expoſuit; dedit enim ei cauſam inuaſionis, per quam Titius in periculo vitæ conſtitutus eſt. Ergo imputanda eſt illi mors Titij inde ſecuta, tanquam ab eo præuiſa, & volita indirectè: Hoc autem ſufficit ad irregularitatem ex homicidio caſuali incurrendam, ſufficit enim, quod homicidium indirectè, ac in cauſa ſit volitum.

9 Secundò; Quia, ſi Sempronius Titio ſuaſiſſet, vt ea via incederet, qua probabile periculum imminebat, vt à latronibus interficeretur, ſecuta morte, cenſeretur fuiſſe cauſa indirecta talis mortis, ſolùm quia iniquè, ac illicitè illum tali periculo expoſuiſſet, quamuis ipſe non occidiſſet. Sed illum iniquè ſimili periculo per adulterium expoſuit. Ergo, quamuis deinde ad ſui defenſionem iuſtè occiderit, cenſendus tamen eſt fuiſſe cauſa iniuſta indirecta talis mortis, & conſequenter irregularitatem incurriſſe; Ad hanc enim incurrendam, ſatis eſt, quod occiſio illa, licet in ſe ad defenſionem neceſſaria, in cauſà tamen fuerit voluntaria, & iniqua.

Tertiò;

10 Tertiò ; Quia , ſi quis probabiliter credat , ſe dormiendo occiſurum infantem , ſi illum in lecto teneat , eſt irregularis morte ſecuta , quia licet dormiens non peccauerit occidendo , peccauit tamen illum probabili occiſionis periculo exponendo. Sed etiam Sempronius per ſuum adulterium probabili mortis periculo Titium expoſuit. Ergo , quamuis illum occidendo non peccauerit , peccauit tamen illum tali periculo iniuſtè exponendo , ideoque morte ſecuta , irregularitatem incurrit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 AD rationes in contrarium Reſpondetur : Ad primam ; Sempronium irregularitatem incurriſſe , non quia Titium immediatè occidit ; ſic enim non peccauit, ſed quia illum probabili occiſionis periculo per adulterium iniuſtè expoſuit , ipſum periculum præuidens , ſicque iniuſtè illum mediatè ac indirectè occidit.

12 Ad ſecundam reſpondetur : Sempronium non peccaſſe , nec irregularitatem incurriſſe occidendo ; quia ius habebat ſe defendendi. Sed illam incurriſſe, quatenus Titium probabili occiſionis periculo iniuſtè expoſuit, ipſum periculum præuidens ; ſic enim peccauit contra iuſtitiam , & cenſetur cauſa iniuſta indirecta talis occiſionis.

13 Ad tertiam ſimiliter reſpondetur : Homicidium ipſum immediatum imputari non poſſe Sempronio ad culpam ; poſſe tamen ei imputari cauſam ſiue periculum talis homicidii. Hoc autem ad irregularitatem contrahendam ſufficit.

14 Ad quartam reſpondetur : Clementinam loqui generaliter de omni interficiente ad ſui defenſionem , ideoque ex hoc capite excuſari Sempronium ratione actualis occiſionis. Non tamen inde ſequi , quod excuſetur etiam ratione periculi , cui iniuſtè Titium expoſuit ; In hoc enim mortaliter peccauit ; Hoc autem ſufficit ad irregularitatem incurrendam ; Concurrere enim ad homicidium iuſtum , ſed apponendo cauſam iniuſtam eſt eſſe cauſam iniuſtam indirectam homicidii ; quod ad irregularitatem ſufficit.

COROLLARIVM.

15 COlligitur ex dictis ; Concilium Tridentinum, dum *ſeſſ. 14. cap. 7. reform.* requirit diſpenſationem quodammodo in eo , qui caſu homicidium commiſit vim vi repellendo , illam requirere ſolùm in foro externo , & ad maiorem ſecuritatem , vel poſito , quod quis in ſui defenſione modum exceſſerit , ac moderamen inculpatæ tutelæ. Nam *Clem. Si furioſus* expreſsè eximit ſe purè defendentem ab omni irregularitate , nec irregularitas ex delicto vllo modo incurri poteſt, cum nulla ibi culpa mortalis interueniat, quæ tamen ad incurrendam irregularitatem ex delicto neceſſario requiritur.

QVAESTIO XXXI.

An Lex irregularitatis ſe extendat ad eum, qui alium ad propriam defenſionem occidit.

CASVS.

1 ORTA inter Cæſarem ac Pompeium diſcordiâ, Pompeius euaginato gladio Cæſarem aggreſſus illum leuiter prius vulnerauit, deinde verò occidere tentauit. Cæſar autem vitato ictu, quamuis fugere poſſet, Pompeium tamen enſe transfodit. Quæritur: Vtrùm Cæſar in irregularitatem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Cæſar Pompeium occidendo, cum fugere poſſet irregularitatem contraxiſſe videtur.*

3 *Pompeji occiſio ad ſui defenſionem non erat neceſſaria.*

4 *Aliter Inuaſorem declinare poterat fugiendo.*

5 *Irregularitatem tamen non contraxit.*

6 *Cum tanto ſuæ famæ detrimento fugere non tenebatur.*

7 *Ideoque Pompeii mors illi fuit moraliter ineuitabilis.*

10 *Si fuga illi ignominioſa non fuiſſet, irregularitatem contraxiſſet.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CAſus hic parum difficultatis habere videtur. Proponitur tamen, quia duorum ſequentium eſt fundamentum. Cæſar igitur in irregularitatem incidiſſe videtur. *Nauarrus lib.* 3. *conſil. tit. de homic. conſil.* 7. *num.* 4. *& cap.* 27. *ſumm. num.* 211. *Henriq. cap.* 10. *num.* 3. *Auila par.* 7. *d.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 2. *Laym. lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 9. *aſſert.* 3.

Primò: Quia occiſio illa non videbatur Cæſari neceſſaria ad ſui defenſionem; 3
fugere enim poterat, vt ſupponitur; ſicque ſe à Pompeio defendere. Ergo occiſio illa illicita fuit ac iniuſta; Exceſſit enim moderamen inculpatæ tutelæ. Si autem fuit iniuſta, fuit etiam ad irregularitatem incurrendam ſufficiens.

Secundò: Quia *in Clem. Si furioſus*; 4
excipitur ab irregularitate ſolùm, qui ſuum ſuaſorem occidit, aliter aggreſſionem declinare non valens. Sed Cæſar aliter aggreſſionem declinare valebat fugiendo, Ergo ex vi Clementinæ ab irregularitate non excipitur.

RESOLUTIO.

REſpondetur tamen, Pompeium probabilius irregularitatem non incurriſſe, Cæſarem occidendo, ſi fuga erat ei ignominioſa. *Suarez diſp.* 46. *ſect.* 1. *n.* 6. *Coninch. diſp.* 18. *d.* 9. *Gaſp. Hurtado de* 5

de irreg. diſp. 2. diff. 10. *n.* 37. *P. Nauarr. de reſt. lib. 2. cap. 3. num.* 418. *Couarru. Clem. ſi furioſus par. 3. §. vnic. num.* 1. *Reginald. lib.* 30 *num.* 110. & alii apud iſtos.

6 Primò: Quia Pompeium occidendo non peccauit; cum tanto enim ſuæ famæ detrimento fugere non tenebatur. Si autem occidendo non peccauit, conſequenter neque irregularitatem incurrit. Hæc enim homicidio ſolùm illicito ac iniuſto impoſita eſt.

7 Secundò: Quia, quod ſine magnâ infamiâ ac dedecore vitari non poteſt, eſt moraliter ineuitabile; nemo enim tantum incommodum ſubire tenetur. Sed Cæſar ſine fugâ ignominioſa mortem aliter vitare nôn poterat, quam Pompeium occidendo. Ergo mors ei erat moraliter ineuitabilis aliter quam Pompeium occidendo; ideoque hic caſus cenſetur comprehenſus ſub *Clem. Si furioſus.* & ab irregularitate exceptus.

OBIECTIONUM SOLUTIO.

8 Ad rationes in contrarium facilè reſpondetur; Ad primam: Occiſionem Pompeji fuiſſe Cæſari moraliter neceſſariam, cum ob periculum infamiæ fugere non teneretur.

9 Ad ſecundam ſimiliter, Cæſarem aliter aggreſſionem moraliter declinare non valuiſſe, cum ſeclusâ fugâ, ad quam non tenebatur, alius modus non eſſet illam declinandi.

COROLLARIUM.

10 Colligitur ex dictis: Si fuga Cæſari ignominioſa non fuiſſet, vel quod eſſet Clericus, vel Religioſus, quibus fuga ignominioſa non eſt; vel quod eſſet Infimæ ſortis, qui nullam honoris iacturam fugiendo faciunt; vel quod ibi eſſet ignotus, aut Peregrinus, vel quod fuga noctu facienda eſſet; tunc Cæſarem cenſendum eſſe irregularem occidendo Pompeium, ſi mortem fugiendo, vitare poterat, quia tunc occiſio illa exceſſiſſet moderamen inculpatæ tutelæ; Non fuiſſet enim neceſſaria ad propriam vitam defendendam, ſicque occidendo peccaſſet.

QVAESTIO XXXII.

An Lex irregularitatis comprehendat eum, qui alium ad defenſionem libertatis, ac bonorum occidit.

CASVS.

1 EPISCOPVS quidam à Saracenis captus, vt libertatem, ac ſua bona defenderet, aliquot ex illis interfecit; Quæritur: Vtrùm in irregularitatem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopus ad libertatis defenſionem occidens irregularitatem euaſiſſe non videtur.*

3 *A iure excipitur ſolùm occiſio ad vitæ defenſionem.*

4 *Ad furtum impediendum furem occidere non licet.*

5 *A iure Latronis occiſioni irregularitas imponitur.*

6 *Non tamen ex delicto, ſed ex defectu lenitatis.*

7 *Et ab hac milites non excuſantur.*

8 *Irregularitatem tamen non contraxit.*

9 *A Iure expreſsè eximitur.*

10 *Nec ad libertatis defenſionem occidendo peccauit.*

11 *In Iure non excluditur defenſio libertatis.*

12 *Cur fur nocturnus occidi poſſit, non diurnus.*

13 *Ob vanum timorem occidens meritò à iure declaratur irregularis.*

14 *Irregularis ex defectu lenitatis à ſolis publicis iuſtitiæ miniſtris incurritur.*

15 *In omnibus caſibus, in quibus Aggreſſorem occidere licitum eſt, irregularitas non incurritur.*

RATIONES DUBITANDI.

QVamuis irregularitas non ſe extendat ad homicidium, ad propriæ vitæ defenſionem commiſſum, eſt tamen Quæſtio; an ſe extendat ad homicidium commiſſum pro defenſione propriæ libertatis, ac bonorum; multi enim primum concedentes hoc negarunt, & ideo Epiſcopum irregularitatem contraxiſſe putarunt. Vt *Molina tract.* 3. *diſp* 72. *nu.* 3. *Reginaldus lib.* 30. *num.* 107. *Nauarrus cap.* 15. *n.* 4. & *cap.* 27. *num.* 218. *Auila par.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 2. *Salon.* 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 8. *controu.* 2. *Layman lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *pun.* 3. *cap.* 9. *aſſert.* 4. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 11. *num.* 3. 2

Primò: Quia in *Clement. Si furioſus*, excipitur ab irregularitate ſolùm occidens ad defenſionem propriæ vitæ, non verò 3

verò ad defenſionem libertatis, aut bonorum temporalium; Cum ergo Epiſcopus occiderit non ad defenſionem vitæ, ſed libertatis, videtur ab irregularitate non eximi.

4 Secundò: Quia *cap. Si perfodiens. de homicid.* Fur nocturnus licitè poteſt interfici, ſecus verò diurnus, quia de hoc conſtare poteſt, quod ad furandum, non verò ad occidendum venerit. Ergo pro furto impediendo non licet fūrem occidere, & conſequenter eum occidens irregularitatem incurrit.

5 Tertiò: Quia in cap. *Suſcepimus. de homicid.* Clerico latronem furantem occidenti, irregularitas imponitur, quia magis expediebat rerum ſuſtinere iacturam, quam pro rebus tranſitoriis conſeruandis, in alios tam acriter exardeſcere, ſed idem dici poteſt de libertate, fama, ac ſimilibus. Ergo occidens alium ad hæc conſeruanda ab irregularitate non excuſatur.

6 Quartò: Quia Irregularitas ad iuſtam rerum temporalium defenſionem contracta, non eſt irregularitas ex delicto, ſed ex defectu lenitatis; deficit enim à repræſentatione manſuetudinis Chriſti, qui ſe & ſua pro aliorum ſalute obtulit; Hæc autem incurri poteſt ſine vllâ culpâ, imò etiam cum meritò, vt cum incurritur à Iudice propter iuſtam ſententiam mortis in Reum.

7 Quintò: Quia, ſi propriæ libertatis, ac bonorum defenſio ſufficeret ad Occiſorem ab irregularitate excuſandum, excuſaret etiam Conſulentem, & tali occiſioni Cooperantem, ſicque excuſari poſſent milites in bello defenſiuo propria manu occidentes, quod tamen eſt contra *C. petitio. de homic.*

RESOLUTIO.

Reſpondetur tamen, Epiſcopum Saracenos eo modo occidendo, irregularitatem non contraxiſſe. *Suarez. tom. 5. diſp. 46. ſect. 6 n 4. Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 73. Coninch. diſp. 18. du. 9. num. 80. Filliuc. tract. 20. cap. 5. queſt. 6. num. 146. Sayrus lib. 6. cap. 17. num. 22. P. Nauarr. lib. 2. de reſt. par. 3. diſp. 4. num. 417. Bonac. de cenſ. diſp. 7. qu. 4. pun. 6. num.* 10, & alii communiter. 8

Primò: Quia ita habetur expreſsè *in cap. Quia te. d.* 50. Ibi enim Epiſcopus, de quo in caſu ab Vrbano II. ab irregularitate eximitur, quia non ſua ſponte Saracenos occidit, ſed pro libertate defendenda. Ergo pro libertate defendenda licita eſt occiſio ſine vllo irregularitatis periculo. 9

10 Secundò: Quia, propter occiſionem alterius ad defenſionem famæ, libertatis, vel bonorum factam nulla incurri poteſt irregularitas; Omnis enim irregularitas, quæ propter homicidium incurritur, vel oritur ex delicto, vel ex defectu lenitatis. Occidens autem alterum ad iuſtam ſuæ libertatis, vel bonorum defenſionem, neutram incurrere poteſt. Non ortam ex delicto, quia ipſe ſic occidendo, non peccat; Neque ortam ex defectu lenitatis, quia hæc eſt impoſita ſolùm auctoritate publica occidentibus aut mutilantibus, non verò hoc facientibus auctoritate priuata; Qui autem alium ad propriæ libertatis defenſionem occidit, illum occidit auctoritate non publica, ſed priuata. Cum ergo neutram irregularitatem incurrerit, nullam abſolutè incurrit.

Digitized by Google

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim reſpondetur. In dicta Clementina, ita includi defenſionem propriæ vitæ, vt tamen non excludatur etiam defenſio famæ, libertatis ac bonorum; ſicut in omnium ſententia non excluditur defenſio à mutilatione, vel vulnere non lethali; quæ tamen ab omnibus admittitur, vt excuſatio legitima ab irregularitate incurrenda.

12 Ad ſecundam reſpondetur: Latronem nocturnum regulariter occidi poſſe; tum quia non conſtat, an ſine occaſione furtum impediri poſſit; tum quia non conſtat, an venerit ad furandum ſolùm, an verò etiam ad occidendum, quæ non militant in fure diurno; de hoc enim ſtatim cognoſcitur, an ſine proprio periculo impediri poſſit à furto.

13 Ad tertiam reſpondetur: Meritò ibi Clericum declarari irregularem; ob vanum enim timorem occidit latrones, quos iam ligatos habebat, & in vindictam furti iam recuperati, qui affectus vindictæ indicatur verbo illo exardeſcere; ibi ergo defenſio non erat neceſſaria, ideoque occiſio meritò irregularitate punitur.

Ad quartam & quintam Reſpondetur: 14
Hanc irregularitatem imponi, non ſolùm ex defectu lenitatis, ſed etiam ex delicto; quia irregularitas ex ſolo defectu lenitatis contrahitur ſolùm à iuſtitiæ miniſtris, vel à militibus, cum hi etiam operentur tunc, vt ſui Principis miniſtri. Si autem hæc irregularitas non contrahitur ab Occidentibus, multò minùs contrahetur à Conſulentibus, aut Mandantibus; ſicut enim Occidentes non peccant, ita nec Mandantes, aut Conſulentes. Hæc autem irregularitas ſine peccato ac delicto contrahi non poteſt, vt dictum eſt.

COROLLARIVM.

COlligitur ex dictis: In illis omnibus 15
caſibus, in quibus licitum eſt, iniuſtum aggreſſorem occidere; hanc irregularitatem non incurri, quia incurri non poteſt, niſi ex delicto. Vnde, cum concedatur communiter, ad defenſionem Patriæ, bonorumque communium, propriæ Eccleſiæ, conſanguineorum, imò etiam extraneorum innocentium, licitum eſſe, iniuſtum aggreſſorem ſeu inuaſorem occidere; in his omnibus caſibus nulla irregularitas incurretur.

QVÆ-

QVAESTIO XXXIII.

An Lex irregularitatis comprehendat eum, qui alteri duos digitos abſcidit.

CASVS.

1 TITIVS in quadam rixa Clerico duos digitos cum medietate palmæ amputauit. Quæritur; an irregularitatem incurrerit.

SVMMARIVM.

2 *Titius ex Clerici mutilatione irregularitatem incurriſſe videtur.*

3 *Per eam mutilationem corporis integritatem abſtulit.*

4 *Quænam dicantur membra corporis Organici.*

5 *Verè tamen non incurrit.*

6 *Membrum corporis non abſcidit.*

7 *Non abſtulit corporis partem propriam actionem habentem.*

8 *Digiti abſciſſio corporis integritatem non tollit.*

9 *Ad hoc requiritur membri defectus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm irregularitas non ſolùm homicidio, ſed etiam mutilationi ſic impoſita, quæri ſolet, quid nomine mutilationis intelligatur, & quæ mutilatio ad irregularitatem incurrendam requiratur ac ſufficiat. Quod enim abſciſſio duorum digitorum cum medietate palmæ ſufficiat; & conſequenter, quod Titius irregularitatem incurrerit, exiſtimarunt *Suarez diſp. 44. ſect. 2. num. 7. Layman lib. 3. ſumm. ſect. 5. tr. 3. par. 3. cap. 11. num. 2. Sotus lib. 5. de iuſt. quæſt. 2. art. 1. & in 4. d. 25. quæſt. 3. art. 2. concl. 1. Caietan. 2. 2. quæſt. 65. art. 1.*

Primò: Quia ad irregularitatem incurrendam ea mutilatio ſufficere videtur, 3
ex quâ corpus humanum iuxta moralem exiſtimationem iam non integrum eſt, ſed imperfectum, vt colligitur *ex cap. 1. de Clerico pugn. in duello* ibi: *vel membrorum diminutio.* Sed abſciſſio duorum digitorum cum medietate palmæ, Corporis organici integritatem tollit iuxta moralem hominum exiſtimationem: Ergo hæc ſufficit ad irregularitatem inducendam; ideoque Titius illam ex tali abſciſſione incurriſſe cenſendus erit.

Secundò: Quia illa dicuntur membra 4
corporis, ex quibus corporis organici integritas conſurgit. Ergo quælibet pars organica, quâ ablatâ corpus iuxta moralem exiſtimationem non manet integrum, habet rationem membri in ordine ad mutilationem. Huiusmodi autem eſt digitus; quamuis enim digitus ſine conſortio manus operari non poſſit, habet tamen ſæpe

ſæpe aliquid proprium in actione manus, vt patet in ſcriptura; & eius diminutio, eſt diminutio integritatis corporis. Cum ergo Titius duos digitos abſciderit, cenſetur abſcidiſſe corporis membrum, ac mutilaſſe, quantum ſufficit ad irregularitatem contrahendam.

RESOLVTIO.

5 Reſpondetur tamen, Titium probabilius per talem abſciſſionem irregularitatem non incurriſſe. *Valentia: tom* 4. *diſp*. 7. *queſt*. 19. *pun*. 3. §. 4. *Molin. tract*. 3. *de inſt. diſp*. 69. *num*. 2. *Nauarr. cap*. 27. *num*. 206. *Henriq. lib*. 14. *cap*. 8. *num*. 1. *Sayrus, lib*. 6. *cap*. 16. *num*. 13. *Coninch. diſp*. 18. *d*. 8. *concl*. 2. *Bonac. diſ*. 7. *quaſt*. 4. *pun*. 8, *num*. 3. *Gaſp. Hurtado de irreg. diffic*. 5. *num*. 16. qui cum Bonacina hoc extendit etiam ad abſciſionem teſticulorum.

6 Primò: Quia ad irregularitatem contrahendam ea abſciſsio requiritur, per quam aliquod membrum corporis abſcindatur; dum enim aliquod membrum abſciſſum non eſt, corpus humanum dici non poteſt mutilatum ac truncum, ſed abſolutè ac ſimpliciter integrum ac perfectum; alioquin mutilatio cuiuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, ad irregularitatem contrahendam eſſet ſufficiens; v. g. mutilatio partis digiti, &c. Sed digitus non cenſetur corporis membrum; *L. enim non ſunt liberi: ff de ſtatu hominum*; ex multiplicatione digitorum, membra non cenſentur multiplicata. Ergo abſciſsio digitorum non ſufficit ad irregularitatem ex mutilatione inducendam.

7 Secundò: Quia ea mutilatio ſubiacet irregularitati, quæ eſt mutilatio membri, ſumpto membro pro eâ corporis parte, quæ habet actionem aliquam ab aliâ diſtinctam, vt eſt oculus, manus, pes, naſus, auris &c. Hoc enim propriè intelligitur nomine membri ab Apoſtolo 1. *Cor*. 12. Nam dum dicit, membra corporis non eundem actum habere, ſatis indicat ex diuerſis actionibus membra diuerſificari ac diſtingui. Sed abſciſsio duorum digitorum, cum medietate palmæ, non eſt abſciſio membri in eâ ſignificatione, *ex cap. Enim* 2, *de Clerico ægrotante*. Clericus carens duobus digitis, ac medietate palmæ, non dicitur mutilatus, aut truncatus, ſed deformatus. Ergo per illam Titius irregularitatem non contraxit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam: Negando, & abſciſsionem digiti tollere propriè corporis integritatem, & ad irregularitatem incurrendum eam ſolùm abſciſionem ſufficere: Nam hac ratione etiam ſufficeret abſcindere ſemidigitum, aut aliam partem minorem; quælibet enim tollit vel minuit corporis integritatem, quod tamen à nemine admittitur. Dicendum ergo eſt, ad irregularitatem incurrendam requiri abſciſsionem alicuius membri propriè dicti; Huiusmodi autem membrum non eſt digitus. 8

Ad ſecundam reſpondetur: Negando defectum digiti tollere integritatem motalem corporis; ad hoc enim requiritur defectus membri ſiue partis, aliquam ſpecialem actionem aut functionem habentis, vt eſſet manus; hanc autem actionem propriam digitus non habet. 9

QVAE-

QVAESTIO XXXIV.

An Lex irregularitatis ad beneficii priuationem ſe extendat.

CASVS.

1 CVM Titius pluribus annis fideliter ſuo Epiſcopo inſeruiſſet, Epiſcopus ei beneficium quoddam ſimplex, quod forte tunc vacauerat, ſpontè conferre voluit, Titius tamen, quia erat illegitimus, & hunc natalium defectum Epiſcopo manifeſtare erubeſcebat, non petitâ diſpenſatione beneficium ſibi oblatum acceptauit. Quæritur: Vtrum collatio fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Beneficii collatio Irregulari facta videtur nulla.*
3 *Irregularitas reddit incapacem beneficii.*
4 *Excludit ab Ordinum Vſu.*
5 *Beneficium datur propter officium.*
6 *Conferens intentionem non habet beneficium conferendi Irregulari.*
7 *Irregularitatis occultatio ſubreptitiam reddit beneficii collationem.*
8 *Beneficii collatio Irregulari facta eſt valida.*
9 *Irregularitas non habet niſi effectus in iure expreſſos.*
10 *A valida Ordinum ſuſceptione non excludit.*
11 *Irregularis ex ſe beneficii non eſt incapax.*
13 *Beneficium aliquando datur ſolum propter officium horas Canonicas recitandi.*
14 *Suſpenſus ab Ordine, non propterea eſt incapax beneficii.*
15 *Excommunicatus eſt inhabilis ad beneficia.*
16 *Beneficium non ſemper cum Ordinum exercitio connectitur.*
17 *Superior præſumitur velle ſacris Canonibus ſe conformare.*
18 *Irregularitatis occultatio petitionem non reddit ſubreptitiam.*
19 *Irregularis Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis non eſt incapax.*
20 *Irregularis beneficii fructus percipere poteſt.*
21 *Irregularis etiam licitè actus aliquos iuriſdictionis exercere poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm Vſus Ordinum & Beneficium aliquam habeant inter ſe connexionem, eo quod aliqua beneficia, nempe curata propter aliquod Ordinis miniſterium conferantur; quæritur an Irregularitas ad vſum ordinum inhabilitans 2

ſe extendat etiam ad beneficium, & ad illud pariter inhabilitet: Quod enim inhabilitet & conſequenter, quod beneficii collatio Titio facta fuerit nulla, docere videntur *Sayrus lib. 6. c. 2. num. 12. Nauarr. cap. 25. nu. 134. Auila par. 7. d. 2. d. 6. concl. 3. Bonacina de cenſ. diſput. 7. pun. 4. num. 6.*

3 Primò: Quia irregularitas reddit incapacem beneficii; *in cap.* enim *Poſtulaſtis. de Cleric. excomm. miniſtr.* Declaratur irrita collatio beneficiorum, eo quod Clerici ea non fuerint canonicè conſecuti. Sed etiam collatio facta Irregulari non eſt canonicè facta, cum contra Canonicum impedimentum ſit facta; Ergo etiam collatio beneficii facta irregulari erit irrita.

4 Secundò: Quia irregularis excluſus eſt ab Ordine, eiusque exercitio. Ergo etiam excluſus erit à beneficio, cum beneficium ordinis exercitium neceſſariò ſupponat, in eoque fundetur; Inhabilis autem ad vnum, inhabilis eo ipſo cenſeri debet etiam ad omnia illa, quæ cum illo neceſſariò connectuntur.

5 Tertiò: Quia beneficium datur propter officium; ſed Irregularis fungi non poteſt officio, cum ad vſum ordinum ſit inhabilis; Ergo etiam recipere non poterit beneficium; ſed ad illud erit inhabilis.

6 Quartò: Quia beneficii collatio non eſt valida, ſi in Conferente deſit voluntas conferendi. Poſita autem irregularitate in Recipiente, videtur deeſſe hæc voluntas in Conferente; Superiori enim cenſetur habere voluntatem conferendi beneficium, ſolùm ſecundùm Canones, & conſequenter ſolùm canonicum impedimentum non habenti; vt colligitur ex *d. cap. Poſtulaſtis.* Ergo eo ipſo, quod quis eſt irregularis, Superior cenſetur non habere voluntatem illi beneficium conferendi, ideoque collatio eſt nulla.

7 Quintò: Quia, quando petens à Pontifice beneficium irregularitatem occultat, conceſſio cenſetur inuoluntaria, ſubreptitia ac nulla; cum verò illam exponit, Pontifex in eà diſpenſat; Ergo ſignum eſt, ex vſu irregularitatem eſſe impedimentum inhabilitans ad beneficia.

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur tamen; Beneficii collationem ab Epiſcopo factam Titio occultè irregulari fuiſſe validam. *Suar. d. 40. ſect. 2. num. 30. Coninch. diſp. 18. d. 1. num. 4. Layman. lib. 1. ſum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Gaſpar Hurtad. de irreg. diffic. 5. num. 20. Syluester v. excomm. num. 4.* & alii communiter.

9 Primò: Quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis; *cap. Is qui de ſenten. excom. in 6.* Ergo etiam non habebit plures effectus, quàm ſint in iure expreſſi; ſed hic effectus inhabilitandi ad beneficium Eccleſiaſticum, eiusque collationem irritandi, nullibi in iure eſt expreſſus. Nam *cap. Cum bona; de ætate, & qualit.* Non loquitur de irregularibus, ſed de ſuſpenſis, & quidem abſolutè, qui cenſentur ſuſpenſi etiam à beneficio. Similiter *cap. Poſtulaſtis: de Clerico excomm. miniſtr.* Non loquitur de irregulari, ſed de Excommunicato. Item *text. in cap fin. eodem tit.* loquitur de excommunicato minori excommunicatione: *cap. vero 2. de Cleric. pugn. in duell.* Dum dicitur: poſſe cum Clerico, qui homicidium commiſit, miſericorditer diſpenſari,

ſari, vt beneficium obtineat, non ſignificatur, inualidam eſſe collationem, ſed illicitam; *cap. enim Si ſoli. de conceſſ præbend. in 6.* Dicitur: Pontificis prohibitionem non irritare collationem, niſi ei adiungatur decretum irritans. Cum ergo hoc decretum non inueniatur reſpectu irregularitatis, dicendum eſt ex irregularitate beneficii collationem non irritari.

10 Secundò: quia irregularitas, quamuis excludat ab Ordinum ſuſceptione licita, non tamen excludit à validâ; Vnde, ſi irregularis ordinaretur, quamuis illicita, valida tamen eſſet ordinatio; Ergo eodem modo, quamuis excludat à licitâ, non tamen excludet à valida beneficii ſuſceptione; cum præſertim Irregularis diſpenſationem procurare poſſit, & interim beneficio per alium deſeruite, eiuſ-

11 que muneri ſatisfacere.

Tertiò: Quia Irregularis ex ſe non eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici, cum illud retinere poſſit, nec ratione irregularitatis ſit magis incapax illud recipiendi, quàm retinendi; ſicut enim retinere beneficium, non eſt exequi aliquem actum ordinis, ita nec de nouo recipere. Cum ergo Irregularitas priuet ſolùm actibus Ordinum, ſequitur eam ex ſe, beneficii receptione non priuare; in pœnis enim non eſt facienda extenſio de vno caſu ad alium; *cap. Pœna. de pœnit. d. 1.* Ordo autem non eſt beneficium.

12 Quartò: Quia Clericus, qui ob corporis defectum irregularitatem præſertim ſine ſuâ culpâ contrahit, non eſt incapax beneficii; aliàs mendicare cogeretur, aut actiones Clerico indignas exercere, non ſine ſtatus clericalis nota. *cap. 2. de Cleris. non ordin. min.* Ergo irregularitas ex ſe non inhabilitat ad beneficia.

Quintò: Quia Beneficium aliquando datur propter ſolùm officium recitandi horas canonicas; & ſi ad aliud miniſterium obliget, illud exerceri poteſt per alium. Officium autem etiam ab irregulari recitari poteſt. 13

Sextò: Quia Suſpenſus ab Ordine, ſiue ab officio, non eſt pro tunc incapax beneficium recipiendi; Suſpenſio enim ab officio non ſuſpendit à beneficio, cum pœnæ non ſint ampliandæ. Ergo eodem modo irregularitas, quamuis inhabilitet ad Ordines, non propterea inhabilitabit ad beneficia; non magis enim irregularitas inhabilitat ad vſum Ordinum, quam ſuſpenſio ſuſpendat. 14

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam; *cap. Poſtulaſtis*; non loqui de irregulari, ſed de excommunicato, qui ſine dubio eſt inhabilis ad beneficia: Ex eo autem, quod beneficii collatio non ſit canonicè facta, ſequitur, quod aliquando ſit inualida, vt cum confertur Excommunicato, eo quod excommunicatio ſit impedimentum irritans, aliquando verò ſit ſolùm illicita; vt cum confertur Irregulari, eo quod irregularitas ſit impedimentum tantum prohibens, non irritans. 15

Ad ſecundam, & tertiam; Negatur, beneficium vniuerſaliter connecti cum Ordinum exercitio; nam plura beneficia dantur propter ſolum onus recitandi officium Diuinum; & quamuis aliquod beneficium connexionem haberet cum 16

Digitized by Google

Ordinum exercitio adhuc hoc munus exerceri poſſet ſufficienter per alium, cum iura non requirant exercitium perſonale.

17 Ad quartam Reſpondetur; Argumentum nimis probare; probat enim etiam, cum beneficium à Superiore confertur, contra ſimplicem iuris prohibitionem, ſiue habenti impedimentum ſolùm prohibens conferri inualidè, quia Superior præſumitur illud velle conferre ſolùm, ſecundùm Canones, & conſequenter non habenti impedimentum prohibens. Sicut ergo non præſumitur in Superiore defectus voluntatis conferendi, quando in Recipiente eſt ſolum impedimentum prohibens; quia Superior præſumitur velle ſe ſacris Canonibus conformare, & Canones talem collationem non irritant; ita ad hoc, vt præſumatur defectus voluntatis, oſtendi prius debet impedimentum, quòd eſt in Recipiente, eſſe irritans.

18 Ad quintam Reſpondetur; Hoc procedere in ſententiâ aſſerente, irregularitatem eſſe impedimentum dirimens beneficii collationem, non verò in ſententiâ aſſerente, eſſe impedimentum ſolùm prohibens; Cum enim Pontifex ſit ſupra ius canonicum, reſpectu illius, neque eſt impedimentum prohibens; Vnde irregularitatis occultatio nullo modo petitionem reddit ſubreptitiam; imo etiam, qui requirunt diſpenſationem irregularitatis, vt quis tutâ conſcientiâ beneficium obtentum retinere poſſit, fatentur in petitione diſpenſationis non eſſe neceſſariò mentionem faciendam obtenti beneficii ac eius fructuum. Sicut ergo hæc petitio vel receptio diſpenſationis non eſt per ipſos ſubreptitia, quamuis obtentum beneficium occultet; ita nec erit ſubreptitia petitio vel receptio beneficii, quamuis irregularitatem occultet. Diſpenſatio autem datur ad cautelam, ideoque ex illâ nihil certi colligi poteſt.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; A fortiori ſequi Irregularem non eſſe incapacem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, etiam ordinariæ; cum enim non ſit incapax beneficii, cui iuriſdictio eſt annexa, conſequenter neque erit incapax iuriſdictionis. In omnium tamen ſententia iuriſdictio delegata ad quælibet munera præter vſum Ordinis irregulari optimè concedi poteſt, quia nullo iure habetur; irregularem inhabilem eſſe, ad hanc iuriſdictionem ſuſcipiendam. 19

Secundò; Eum, qui beneficium recepit in irregularitate, poſſe fructus beneficii percipere, aliosque actus adminiſtrationis, qui beneficio adnexi ſunt, exercere, quia cum validè beneficium receperit, habet ius ad illos fructus percipiendos, & ad alios actus beneficii exercendos. 20

Tertiò: Irregularem poſſe actus iuriſdictionis, qui actum Ordinis non includunt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè exercere. Vnde, quamuis ipſe abſoluere non poſſit, alteri tamen facultatem abſoluendi delegare poteſt, ſicut poteſt etiam excommunicare, & ab excommunicatione abſoluere, quia iſti omnes ſunt actus iuriſdictionis, Irregularis autem non eſt priuatus vſu iuriſdictionis. 21

QVAE-

QVAESTIO XXXV.

An Lex excommunicationis ad priuationem fructuum beneficii ſe extendat.

CASVS.

1 PAROCHVS quidam librum Hæretici hæreſim continentem, ac de Religione tractantem ſcienter legens incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Papæ reſeruatam, ab eàque nouem menſibus abſolutionem obtinere non potuit. Ipſe tamen interim fructus Parochiales percepit, & in ſuos vſus conuertit. Quæritur; Vtrum illos reſtituere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Parochus beneficii fructus tempore excommunicationis perceptos retinere poſſe videtur.*
3 *Nullo iure probatur, illos per excommunicationem ipſo facto auferri.*
4 *Reus ante Iudicis ſententiam pœnam ſubire non tenetur.*
5 *Materia odioſa mitius interpretanda eſt.*
6 *Parochus tamen fructus tunc perceptos reſtituere tenetur.*
7 *Excommunicato prouentus Eccleſiaſtici à iure ipſo facto ſubtrahuntur.*
8 *Non obſtante appellatione illis privatur.*
9 *Non per ſententiam ſed per cenſuram.*
10 *Priuatio per ſententiam non eſt noua pœna.*
11 *Eſt effectus excommunicationis.*
12 *Beneficii fructus non meretur, qui eſt extra Communionem Eccleſia.*
13 *Fructus aſſignantur ſolùm poſito, quod expeditè exerceri poſſit officium.*
14 *Fructus denegantur, ſicut denegatur communio cum fidelibus.*
15 *Pœna ipſo iure impoſita ſtatim incurritur.*
17 *Excommunicatus fructus ita amiſit, vt eos recuperare non poſſit.*
18 *Illos reſtituere tenetur, etiam Iudicis ſententià non expectatà.*
19 *In quo priuatio fructuum ab aliis pœnis diſtinguatur.*
20 *Contumax neque propter neceſſitatem fructibus vti poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

QVemadmodum irregularitas quamquis priuet Ordinum vſu, non tamen ex ſe privat vſu beneficii. Ita quæritur; an excommunicatio, ſicut priuat Eccleſiæ communione, ita priuet fructibus beneficii. Quod enim non privet, 2

& conſequenter, quod Parochus fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere non teneatur; docent *Sanchez lib. 3. diſp. 51. num. 12. Vaſquez de beneſic. cap. 4. §. 3. diſp. 4. num. 229. Coninchus diſp. 14. d. 9. num. 80. Auila 2. par. cap. 6. diſp. 6. d. 1.*

3 Primò: Quia nullo iure probatur, Beneficiarium per excommunicationem ipſo facto priuari fructibus beneficii; *in cap.* enim *Paſtoralis. §. Verum*: dicitur, *illi prouentus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.* Verbum autem *ſubtrahuntur*, non ſignificat priuationem ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam, ſed potius connotat ſententiam Iudicis, qui ibi inſtruitur, quid facere debeat.

4 Secundò: quia Reus non tenetur ſponte, & ante Iudicis ſententiam pœnam ſubire, quando ad pœnæ executionem requiritur aliqua actio, niſi aliter conſtet de Principis voluntate; Non conſtat autem, Pontificem obligare voluiſſe Beneficiarium ad fructus amittendos ipſo facto & ante Iudicis ſententiam.

5 Tertiò: quia verſamur in materiâ odioſâ & pœnali, quæ mitius quantum fieri poteſt, interpretanda eſt. Cum ergo in *cap. Paſtoralis*: nullum ſit verbum, quod pœnam eſſe ipſo iure latam demonſtret; verbum enim, *ſubtrahuntur*, optimè intelligitur per Iudicis auctoritatem, cum pœnam contineat; ideoque ſtrictè ſit intelligendum; Sequitur, Beneficiarium non priuari fructibus beneficii, ipſo facto ob excommunicationem, & conſequenter Parochum non teneri fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen, probabilius eſſe, quod Parochus teneatur fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere. *Suarez diſp. 13. ſect. 2. n. 4. Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 24. Reginaldus lib. 32. num. 36. Filliuc. tr. 12. cap. 5. quæſt. 6. num. 129. Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 4. Nauarrus cap. 27. num. 21. Vgolinus tab. 2. cap. 12. Moneta de diſtrib. par. 2. quæſt. 15. num. 22.* & alii communiter. 6

Primò: Quia *in cap. Paſtoralis §. Verum.* Excommunicato prouentus Eccleſiaſtici ſubtrahuntur eo modo, quo Eccleſiæ communio denegatur; ibi enim Pontifex iſta duo æquiparat. Sed hæc negatur ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam; Ergo etiam fructus ſubtrahuntur ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam; vtriusque enim executionem ſecum affert excommunicatio. Si autem per excommunicationem ipſo facto ſubtrahuntur, iam Parochus perceptos reſtituere tenetur. 7

Secundò: Quia, ſi Parochus ob excommunicationem redditus ſolùm eſſet dignus fructuum priuatione, & non ipſis actu priuatus; interpoſitâ appellatione illis iuſtè priuari non poſſet, donec appellationis iuſtitia examinaretur: eſſet enim nouus effectus, cuius executionem excommunicatio ex ſe non traheret. Cum ergo Pontifex dicat, excommunicatum non obſtante appellatione, fructibus priuandum eſſe, ſignum eſt, illum hoc ideo dicere; quia putat, Excommunicatum per ipſam excommunicationem eſſe 8

Digitized by Google

eſſe ipſo iure priuatum. Si autem Parochus fructibus ipſo iure priuatus eſt, perceptos reſtituere tenetur.

9 Tertiò: Quia in *d. cap.* dicitur, *ſubtrahuntur*; intelligi non debet à Iudice per ſententiam, ſed per ipſam cenſuram, ſiue ex vi cenſuræ; ſicut enim dicitur: *Communio denegatur*: intelligitur per ipſam cenſuram, & ex vi cenſuræ; Vnde verbum, *ſubtrahuntur*, ſignificat, non præceptum aliquod Iudici impoſitum, de tali pœna, ſed nudum factum, ſiue meram executionem; Ergo ſicut communio denegatur, ipſo iure, ita fructus ipſo iure ſubtrahuntur; ideoque Parochus eos reſtituere tenetur.

10 Quartò: Quia *eodem cap.* Interrogatus Pontifex, an interpoſita appellatione poſt latam excommunicationis ſententiam, poſſit Iudex denunciare Excommunicatum, & ad tempus beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliare) Reſpondet affirmatiuè. Sicut ergo denunciatio non eſt noua pœna, & ideo executioni mandatur, non obſtante appellatione; ita fructuum priuatio non erit noua pœna, ſed ſolùm quædam quaſi declaratio & executio illius, quod factum iam erat; ideo enim ſolùm hic effectus non impeditur propter appellationem interpoſitam, quia excommunicatio ſecum trahit executionem; quod ſi fructuum priuatio non eſt noua pœna, ſed ſequitur ad excommunicationem, iam Parochus per excommunicationem eam contraxit; ideoque fructus tanquam non ſuos reſtituere tenetur.

11 Quintò: Quia, ſi fructuum priuatio non ſequeretur; ipſo facto ad excommunicationem, non eſſet effectus excommunicationis, ſed alia pœna concomitanter impoſita cum excommunicatione; Sicut cum Hæreticus per eandem ſententiam ſimul excommunicatur, ac bonis priuatur; bonorum priuatio non eſt effectus excommunicationis, ſed alia pœna ſimul cum excommunicatione impoſita; poſſet enim manere integra excommunicatio ſine fructuum amiſſione, ſi videlicet in ſententia non fieret eorum expreſſio. Sed fructuum priuatio eſt pœna conſequens ad excommunicationem, & eius effectus; Ergo ad illam ipſo facto conſequitur, ideoque Parochus per excommunicationem fructus amiſit, & conſequenter illos tenetur reſtituere.

Sextò: Quia, dum quis eſt extra Eccleſiam, eiuſque communionem, nihil, quod eſt Eccleſiæ, poſsidere debet, & conſequenter neque fructus beneficii, quod ſi beneficium ipſum non amittit, hoc oritur ex mera Eccleſiæ Indulgentiâ; & quia in iure priuatio beneficii non ponitur tanquam pœna, & effectus excommunicationis, ſicut ponitur priuatio fructuum. Cum ergo Parochus per excommunicationem ſupponatur eſſe extra Eccleſiam, fructus beneficii poſsidere non debebat, ideoque illos reſtituere tenetur. 12

Septimò denique, quia fructus ab Eccleſia aſsignantur ſolùm ſub conditione, quod quis expeditè præſtare poſsit officium, propter quod aſsignantur: Excommunicatus autem officium ſuum expeditè præſtare non poteſt, cum ab aliorum conſortio abſtinere debeat, nec illi ullo modo faueat *Extrauag. ad euitanda ſcandala.* Parochus ergo ſicut officium præſtare non poterat, ita nec fructus percipere, ideoque illos tenetur reſtituere. 13

OBIE-

Digitized by Google

14 OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam patet ex dictis; *ex cap. Paſtoralis.* ipſo iure ſubtrahi Ex-
15 communicato fructus, ſicut denegatur Communio.

Ad ſecundam reſp. Reum non teneri ſponte pœnam ſubire, quando ipſo iure non eſt impoſita; at fructuum priuatio eſt pœna ipſo iure impoſita, ideoque
16 ipſo facto ac ſtatim incurrenda, vt patet ex dictis.

Ad tertiam reſp. Pœnam eſſe mitius interpretandam, vbi non conſtat de mente Legislatoris. In caſu autem præſenti de mente Pontificis dubitari non poteſt, vt patet ex dictis.

COROLLARIA.

17 COlligitur ex dictis primò: Eum qui iuſtè excommunicatus fuit, ita fructus tempore excommunicationis perceptos, vel percipiendos amiſiſſe, vt poſt abſolutionem illos recuperare non poſſit, niſi ex gratiâ aliquâ ſpeciali, quæ ei fiat; quia, cum nunquam eorum dominium obtinuerit, nullo modo ad eum
18 pertinent. *Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 24.*

Secundò: Excommunicatum teneri ad reſtituendos fructus tempore excommunicationis perceptos, etiam Iudicis ſententiâ non expectatâ; quia, cum nunquam fecerit illos ſuos, nunquam fuit eorum Dominus ac verus poſſeſſor, Quæ autem ſua non ſunt, retineri in conſcientia non poſſunt. *Suar. ſect. 2. n. 9.*

Tertiò: Priuationem fructuum ex- 19
communicationi ſtatutam tanquam pœnam differre à pœna, qua aliquis per legem propriis bonis priuatur. Nam in hac ſecunda pœna Reus ſupponitur verum bonorum ſuorum dominium, poſſeſſionem ac vſum habuiſſe, ideoque ex legis benignitate non cogitur ſe ipſum talium bonorum poſſeſſionem priuare, donec per Iudicis ſententiam damnetur. At in prima pœna excommunicatus nunquam ſupponitur habuiſſe dominium eorum fructuum, quos tempore excommunicationis percepit; ante excommunicationem enim nullum habet ius in illis, ſed ſolùm ad illos, & hoc pro tempore futuro, dummodo tamen non impediretur. Per excommunicationem autem impeditus fuit. Neque poſt contractam excommunicationem, quia per legem impedita tunc fuit illorum acquiſitio ac dominium. Cùm ergo nullo titulo retinere eos poſſit, expectare non debet ſententiam Iudicis, ſed illos in conſcientia tenetur reſtituere. *Suar. loc. cit.*

Quartò: Clericum excommunicatum, 20
ſi ſit contumax, neque propter neceſſitatem vti fructibus beneficii, illoſque conſumere; quia Eccleſia contumacem ex propriis bonis alere non tenetur, etiamſi indigeat, & mendicare cogatur; hoc enim totum ipſe in pœnam ſuæ contumaciæ meretur; totumque dedecus, quod inde reſultare poteſt, in ipſum, non in Ordinem redundabit; ac tandem ex hoc ſequitur maius Eccleſiæ bonum, quod eſt contumaciæ correctio. *Suarez loco cit.*

QVAE.

QVAESTIO XXXVI.

An Lex excommunicationis irritans beneficii collationem ad eiuſdem acceptationem ſe extendat.

C A S V S.

1 TITIVS poſt obtentum beneficium, antequam illud acceptaret, incidit in excommunicationem; dumque adhuc eſſet Excommunicatus, illud acceptauit: Quæritur, an validè acceptauerit.

S V M M A R I V M.

2 *Excommunicatio beneficii acceptationem irritare videtur.*
3 *Sicut irritat collationem.*
4 *Per acceptationem acquiritur ius in beneficium.*
5 *Excommunicatus meliorem præbendam optare non poteſt.*
6 *Excommunicatio beneficii acceptationem verè non irritat.*
7 *Iura illam non irritant.*
8 *Acceptatio nullum ius tribuit.*
9 *Eſt quid facti, ſicut optio præbendæ.*
10 *Eſt in vſu.*
11 *Eſt ſolùm conditio, ſine qua, collatio ius completum non confert.*
12 *Eſt valida ſolùm, quatenus eſt declaratio proprii conſenſus*
13 *Etiam optio eſt ſolùm declaratio propriæ voluntatis.*
14 *Excommunicatio beneficii poſſeſſionem non impedit.*
15 *Collationem tamen ac præſentationem irritat.*
16 *Sicut etiam collationem penſionis Clericalis.*
17 *Excommunicatio tamen debet eſſe vera.*

RATIONES DUBITANDI.

DE eadem excommunicatione quæri ſolet, an, ſicut beneficii collationem inualidat, ita inualidat etiam acceptationem. 2

Ratio autem dubitandi eſt primò, 3 quia beneficii collatio facta Excommunicato tempore excommunicationis eſt inualida; Ergo etiam acceptatio poſita ab Excommunicato tempore excommunicationis erit invalida; non minus enim ad completum contractum requiritur acceptatio, quàm collatio; ſicut ergo Excommunicatus tempore excommunicationis erat incapax beneficium obtinendi, ita erat incapax illud acceptandi.

Secundò; Quia ex *cap. ſi tibi abſenti: de præbend. in 6.* ſi abſenti beneficium conferatur, ille nullum ius acquirit in beneficium, nec illud facit ſuum, donec conſentiat, & ratam habeat collationem ſibi 4

OBIECTIONVM SOLVTIO.

11 NEque obſtant rationes in contrarium; Ad primam enim reſpondetur. In dicta Clementina, ita includi defenſionem propriæ vitæ, vt tamen non excludatur etiam defenſio famæ, libertatis ac bonorum; ſicut in omnium ſententia non excluditur defenſio à mutilatione, vel vulnere non lethali; quæ tamen ab omnibus admittitur, vt excuſatio legitima ab irregularitate incurrenda.

12 Ad ſecundam reſpondetur: Latronem nocturnum regulariter occidi poſſe; tum quia non conſtat, an ſine occaſione furtum impediri poſſit; tum quia non conſtat, an venerit ad furandum ſolùm, an verò etiam ad occidendum, quæ non militant in fure diurno; de hoc enim ſtatim cognoſcitur, an ſine proprio periculo impediri poſſit à furto.

13 Ad tertiam reſpondetur: Meritò ibi Clericum declarari irregularem; ob vanum enim timorem occidit latrones, quos iam ligatos habebat, & in vindictam furti iam recuperati, qui affectus vindictæ indicatur verbo illo exardeſcere; ibi ergo defenſio non erat neceſſaria, ideoque occiſio meritò irregularitate punitur.

Ad quartam & quintam Reſpondetur: 14
Hanc irregularitatem imponi, non ſolùm ex defectu lenitatis, ſed etiam ex delicto; quia irregularitas ex ſolo defectu lenitatis contrahitur ſolùm à iuſtitiæ miniſtris, vel à militibus, cum hi etiam operentur tunc, vt ſui Principis miniſtri. Si autem hæc irregularitas non contrahitur ab Occidentibus, multò minùs contrahetur à Conſulentibus, aut Mandantibus; ſicut enim Occidentes non peccant, ita nec Mandantes, aut Conſulentes. Hæc autem irregularitas ſine peccato ac delicto contrahi non poteſt, vt dictum eſt.

COROLLARIVM.

COlligitur ex dictis: In illis omnibus 15
caſibus, in quibus licitum eſt, iniuſtum aggreſſorem occidere; hanc irregularitatem non incurri, quia incurri non poteſt, niſi ex delicto. Vnde, cum concedatur communiter, ad defenſionem Patriæ, bonorumque communium, propriæ Eccleſiæ, conſanguineorum, imò etiam extraneorum innocentium, licitum eſſe, iniuſtum aggreſſorem ſeu inuaſorem occidere; in his omnibus caſibus nulla irregularitas incurretur.

QVÆ

QVAESTIO XXXIII.

An Lex irregularitatis comprehendat eum, qui alteri duos digitos abſcidit.

CASVS.

1 TITIVS in quadam rixa Clerico duos digitos cum medietate palmæ amputauit. Quæritur; an irregularitatem incurrerit.

SVMMARIVM.

2 *Titius ex Clerici mutilatione irregularitatem incurriſſe videtur.*

3 *Per eam mutilationem corporis integritatem abſtulit.*

4 *Quænam dicantur membra corporis Organici.*

5 *Verè tamen non incurrit.*

6 *Membrum corporis non abſcidit.*

7 *Non abſtulit corporis partem propriam actionem habentem.*

8 *Digiti abſciſſio corporis integritatem non tollit.*

9 *Ad hoc requiritur membri defectus.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm irregularitas non ſolùm homicidio, ſed etiam mutilationi ſic impoſita, quæri ſolet, quid nomine mutilationis intelligatur, & quæ mutilatio ad irregularitatem incurrendam requiratur ac ſufficiat. Quod enim abſciſſio duorum digitorum cum medietate palmæ ſufficiat; & conſequenter, quod Titius irregularitatem incurrerit, exiſtimarunt *Suarez diſp. 44. ſect. 2. num. 7. Layman lib. 3. ſumm. ſect. 5. tr. 3. par. 3. cap. 11. num. 2. Sotus lib. 5. de iuſt. quæſt. 2. art. 1. & in 4. d. 25. quæſt. 3. art. 2. concl. 1. Caietan. 2. 2. quæſt. 65. art. 1.*

Primò: Quia ad irregularitatem incurrendam ea mutilatio ſufficere videtur, ex quâ corpus humanum iuxta moralem exiſtimationem iam non integrum eſt, ſed imperfectum, vt colligitur *ex cap. 1. de Clerico pugn. in duello* ibi: *vel membrorum diminutio.* Sed abſciſſio duorum digitorum cum medietate palmæ, Corporis organici integritatem tollit iuxta moralem hominum exiſtimationem: Ergo hæc ſufficit ad irregularitatem inducendam; ideoque Titius illam ex tali abſciſſione incurriſſe cenſendus erit. 3

Secundò: Quia illa dicuntur membra corporis, ex quibus corporis organici integritas conſurgit. Ergo quælibet pars organica, quâ ablatâ corpus iuxta moralem exiſtimationem non manet integrum, habet rationem membri in ordine ad mutilationem. Huiuſmodi autem eſt digitus; quamuis enim digitus ſine conſortio manus operari non poſſit, habet tamen 4

ſæpe

ſæpe aliquid proprium in actione manus, vt patet in ſcriptura; & eius diminutio, eſt diminutio integritatis corporis. Cum ergo Titius duos digitos abſciderit, cenſetur abſcidiſſe corporis membrum, ac mutilaſſe, quantum ſufficit ad irregularitatem contrahendam.

RESOLVTIO.

5 Reſpondetur tamen, Titium probabilius per talem abſciſſionem irregularitatem non incurriſſe. *Valentia, tom 4. diſp. 7. quæſt. 19. pun. 3. §. 4. Molin, tract. 3. de iuſt. diſp. 69. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 206. Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 1. Sayrus, lib. 6. cap. 16. num. 13. Coninch. diſp. 18. d. 8. concl. 2. Bonac. diſ. 7. quæſt. 4. pun. 8, num. 3. Gaſp. Hurtado de irreg. diffic. 5. num. 16.* qui cum Bonacina hoc extendit etiam ad abſciſionem teſticulorum.

6 Primò: Quia ad irregularitatem contrahendam ea abſciſio requiritur, per quam aliquod membrum corporis abſcindatur; dum enim aliquod membrum abſciſſum non eſt, corpus humanum dici non poteſt mutilatum ac truncum, ſed abſolutè ac ſimpliciter integrum ac perfectum; alioquin mutilatio cuiuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, ad irregularitatem contrahendam eſſet ſufficiens; v. g. mutilatio partis digiti, &c. Sed digitus non cenſetur corporis membrum; *L. enim non ſunt liberi: ff de ſtatu hominum*; ex multiplicatione digitorum, membra non cenſentur multiplicata. Ergo abſciſio digitorum non ſufficit ad irregularitatem ex mutilatione inducendam.

7 Secundò: Quia ea mutilatio ſubiacet irregularitati, quæ eſt mutilatio membri, ſumpto membro pro eâ corporis parte, quæ habet actionem aliquam ab aliâ diſtinctam, vt eſt oculus, manus, pes, naſus, auris &c. Hoc enim propriè intelligitur nomine membri ab Apoſtolo 1. *Cor.* 12. Nam dum dicit, membra corporis non eundem actum habere, ſatis indicat ex diuerſis actionibus membra diuerſificari ac diſtingui. Sed abſciſio duorum digitorum, cum medietate palmæ, non eſt abſciſio membri in eâ ſignificatione, *ex cap. Enim 2, de Clerico ægrotante.* Clericus carens duobus digitis, ac medietate palmæ, non dicitur mutilatus, aut truncatus, ſed deformatus. Ergo per illam Titius irregularitatem non contraxit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam: Negando, & abſciſionem digiti tollere propriè corporis integritatem, & ad irregularitatem incurrendum eam ſolùm abſciſionem ſufficere: Nam hac ratione etiam ſufficeret abſcindere ſemidigitum, aut aliam partem minorem; quælibet enim tollit vel minuit corporis integritatem, quod tamen à nemine admittitur. Dicendum ergo eſt, ad irregularitatem incurrendam requiri abſciſionem alicuius membri propriè dicti; Huiusmodi autem membrum non eſt digitus. 8

Ad ſecundam reſpondetur: Negando defectum digiti tollere integritatem moralem corporis; ad hoc enim requiritur defectus membri ſiue partis, aliquam ſpecialem actionem aut functionem habentis, vt eſſet manus; hanc autem actionem propriam digitus non habet. 9

QVAE-

QVAESTIO XXXIV.

An Lex irregularitatis ad beneficii priuationem ſe extendat.

CASUS.

1 CVM Titius pluribus annis fideliter ſuo Epiſcopo inſeruiſſet, Epiſcopus ei beneficium quoddam ſimplex, quod forte tunc vacauerat, ſpontè conferre voluit, Titius tamen, quia erat illegitimus, & hunc natalium defectum Epiſcopo manifeſtare erubeſcebat, non petitâ diſpenſatione beneficium ſibi oblatum acceptauit. Quæritur: Vtrum collatio fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Beneficii collatio Irregulari facta videtur nulla.*
3 *Irregularitas reddit incapacem beneficii.*
4 *Excludit ab Ordinum Vſu.*
5 *Beneficium datur propter officium.*
6 *Conferens intentionem non habet beneficium conferendi Irregulari.*
7 *Irregularitatis occultatio ſubreptitiam reddit beneficii collationem.*
8 *Beneficii collatio Irregulari facta eſt valida.*
9 *Irregularitas non habet niſi effectus in iure expreſſos.*
10 *A valida Ordinum ſuſceptione non excludit.*
11 *Irregularis ex ſe beneficii non eſt incapax.*
13 *Beneficium aliquando datur ſolum propter officium horas Canonicas recitandi.*
14 *Suſpenſus ab Ordine, non propterea eſt incapax beneficii.*
15 *Excommunicatus eſt inhabilis ad beneficia.*
16 *Beneficium non ſemper cum Ordinum exercitio connectitur.*
17 *Superior præſumitur velle ſacris Canonibus ſe conformare.*
18 *Irregularitatis occultatio petitionem non reddit ſubreptitiam.*
19 *Irregularis Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis non eſt incapax.*
20 *Irregularis beneficii fructus percipere poteſt.*
21 *Irregularis etiam licitè actus aliquos iuriſdictionis exercere poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm Vſus Ordinum & Beneficium aliquam habeant inter ſe connexionem, eo quod aliqua beneficia, nempe curata propter aliquod Ordinis miniſterium conferantur; quæritur an Irregularitas ad vſum ordinum inhabilitans 2

ſe extendat etiam ad beneficium, & ad illud pariter inhabilitet: Quod enim inhabilitet & conſequenter, quod beneficii collatio Titio facta fuerit nulla, docere videntur *Sayrus lib. 6. c. 2. num. 12. Nauarr. cap. 25. nu. 134. Auila par. 7. d. 2. d. 6. concl. 3. Bonacina de cenſ. diſput. 7. pun. 4. num. 6.*

3 Primò: Quia irregularitas reddit incapacem beneficii; *in cap.* enim *Poſtulaſtis. de Cleric. excomm. miniſtr.* Declaratur irrita collatio beneficiorum, eo quod Clerici ea non fuerint canonicè conſecuti. Sed etiam collatio facta Irregulari non eſt canonicè facta, cum contra Canonicum impedimentum ſit facta; Ergo etiam collatio beneficii facta irregulari erit irrita.

4 Secundò: Quia irregularis excluſus eſt ab Ordine, eiusque exercitio. Ergo etiam excluſus erit à beneficio, cum beneficium ordinis exercitium neceſſariò ſupponat, in eoque fundetur; Inhabilis autem ad vnum, inhabilis eo ipſo cenſeri debet etiam ad omnia illa, quæ cum illo neceſſariò connectuntur.

5 Tertiò: Quia beneficium datur propter officium; ſed Irregularis fungi non poteſt officio, cum ad vſum ordinum ſit inhabilis; Ergo etiam recipere non poterit beneficium; ſed ad illud erit inhabilis.

6 Quartò: Quia beneficii collatio non eſt valida, ſi in Conferente deſit voluntas conferendi. Poſita autem irregularitate in Recipiente, videtur deeſſe hæc voluntas in Conferente; Superiori enim cenſetur habere voluntatem conferendi beneficium, ſolùm ſecundùm Canones, & conſequenter ſolùm canonicum impedimentum non habenti; vt colligitur ex *d. cap. Poſtulaſtis.* Ergo eo ipſo, quod quis eſt irregularis, Superior cenſetur non habere voluntatem illi beneficium conferendi, ideoque collatio eſt nulla.

Quintò: Quia, quando petens à Pontifice beneficium irregularitatem occultat, conceſſio cenſetur inuoluntaria, ſubreptitia ac nulla; cum verò illam exponit, Pontifex in eà diſpenſat; Ergo ſignum eſt, ex vſu irregularitatem eſſe impedimentum inhabilitans ad beneficia. 7

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen; Beneficii collationem ab Epiſcopo factam Titio occultè irregulari fuiſſe validam. *Suar. d. 40. ſect. 2. num. 30. Coninch. diſp. 18. d. 1. num. 4. Layman. lib. 1. ſum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Gaſpar Hurtad. de irreg. diffic. 5. num. 20. Syluester v. excomm. num.* 4. & alii communiter. 8

Primò: Quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis; *cap. Is qui de ſenten. excom. in 6.* Ergo etiam non habebit plures effectus, quàm ſint in iure expreſſi; ſed hic effectus inhabilitandi ad beneficium Eccleſiaſticum, eiusque collationem irritandi, nullibi in iure eſt expreſſus. Nam *cap. Cum bona; de ætate, & qualit.* Non loquitur de irregularibus, ſed de ſuſpenſis, & quidem abſolutè, qui cenſentur ſuſpenſi etiam à beneficio. Similiter *cap. Poſtulaſtis: de Clerico excomm. miniſtr.* Non loquitur de irregulari, ſed de Excommunicato. Item *text. in cap fin. eodem tit.* loquitur de excommunicato minori excommunicatione: *cap. vero 2. de Cleric. pugn. in duell.* Dum dicitur: poſſe cum Clerico, qui homicidium commiſit, miſericorditer diſpenſari, 9

ſari, vt beneficium obtineat, non ſignificatur, inualidam eſſe collationem, ſed illicitam; *cap. enim Si ſoli. de conceſſ. præbend. in 6.* Dicitur: Pontificis prohibitionem non irritare collationem, niſi ei adiungatur decretum irritans. Cum ergo hoc decretum non inueniatur reſpectu irregularitatis, dicendum eſt ex irregularitate beneficii collationem non irritari.

10 Secundò: quia irregularitas, quamuis excludat ab Ordinum ſuſceptione licita, non tamen excludit à validâ; Vnde, ſi irregularis ordinaretur, quamuis illicita, valida tamen eſſet ordinatio; Ergo eodem modo, quamuis excludat à licitâ, non tamen excludet à valida beneficii ſuſceptione; cum præſertim Irregularis diſpenſationem procurare poſſit, & interim beneficio per alium deſeruire, eiuſ-
11 que muneri ſatisfacere.

Tertiò: Quia Irregularis ex ſe non eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici, cum illud retinere poſſit, nec ratione irregularitatis ſit magis incapax illud recipiendi, quàm retinendi; ſicut enim retinere beneficium, non eſt exequi aliquem actum ordinis, ita nec de nouo recipere. Cum ergo Irregularitas priuet ſolùm actibus Ordinum, ſequitur eam ex ſe, beneficii receptione non priuare; in pœnis enim non eſt facienda extenſio de vno caſu ad alium; *cap. Pœna. de pœnit. d. 1.* Ordo autem non eſt beneficium.

12 Quartò: Quia Clericus, qui ob corporis defectum irregularitatem præſertim ſine ſuâ culpâ contrahit, non eſt incapax beneficii; aliàs mendicare cogeretur, aut actiones Clerico indignas exercere, non ſine ſtatus clericalis nota, *cap. 2. de Cleris. non ordin. min.* Ergo irregularitas ex ſe non inhabilitat ad beneficia.

Quintò: Quia Beneficium aliquando 13
datur propter ſolùm officium recitandi horas canonicas; & ſi ad aliud miniſterium obliget, illud exerceri poteſt per alium. Officium autem etiam ab irregulari recitari poteſt.

Sextò: Quia Suſpenſus ab Ordine, 14
ſiue ab officio, non eſt pro tunc incapax beneficium recipiendi; Suſpenſio enim ab officio non ſuſpendit à beneficio, cum pœnæ non ſint ampliandæ. Ergo eodem modo irregularitas, quamuis inhabilitet ad Ordines, non propterea inhabilitabit ad beneficia; non magis enim irregularitas inhabilitat ad vſum Ordinum, quam ſuſpenſio ſuſpendat.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium Reſpon-
detur: Ad primam; *cap. Poſtula-* 15
ſtis; non loqui de irregulari, ſed de excommunicato, qui ſine dubio eſt inhabilis ad beneficia: Ex eo autem, quod beneficii collatio non ſit canonicè facta, ſequitur, quod aliquando ſit inualida, vt cum confertur Excommunicato, eo quod excommunicatio ſit impedimentum irritans, aliquando verò ſit ſolùm illicita; vt cum confertur Irregulari, eo quod irregularitas ſit impedimentum tantum prohibens, non irritans.

Ad ſecundam, & tertiam; Negatur, 16
beneficium vniuerſaliter connecti cum Ordinum exercitio; nam plura beneficia dantur propter ſolum onus recitandi officium Diuinum; & quamuis aliquod beneficium connexionem haberet cum

Ordinum exercitio adhuc hoc munus exerceri poſſet ſufficienter per alium, cum iura non requirant exercitium perſonale.

17 Ad quartam Reſpondetur; Argumentum nimis probare; probat enim etiam, cum beneficium à Superiore confertur, contra ſimplicem iuris prohibitionem, ſiue habenti impedimentum ſolùm prohibens conferri inualidè, quia Superior præſumitur illud velle conferre ſolùm ſecundùm Canones, & conſequenter non habenti impedimentum prohibens. Sicut ergo non præſumitur in Superiore defectus voluntatis conferendi, quando in Recipiente eſt ſolum impedimentum prohibens; quia Superior præſumitur velle ſe ſacris Canonibus conformare, & Canones talem collationem non irritant; ita ad hoc, vt præſumatur defectus voluntatis, oſtendi prius debet impedimentum, quod eſt in Recipiente, eſſe irritans.

18 Ad quintam Reſpondetur; Hoc procedere in ſententiâ aſſerente, irregularitatem eſſe impedimentum dirimens beneficii collationem, non verò in ſententiâ aſſerente, eſſe impedimentum ſolùm prohibens; Cum enim Pontifex ſit ſupra ius canonicum, reſpectu illius, neque eſt impedimentum prohibens; Vnde irregularitatis occultatio nullo modo petitionem reddit ſubreptitiam; imo etiam, qui requirunt diſpenſationem irregularitatis, vt quis tutâ conſcientiâ beneficium obtentum retinere poſſit, fatentur in petitione diſpenſationis non eſſe neceſſariò mentionem faciendam obtenti beneficii ac eius fructuum. Sicut ergo hæc petitio vel receptio diſpenſationis non eſt per ipſos ſubreptitia, quamuis obtentum beneficium occultet; ita nec erit ſubreptitia petitio vel receptio beneficii, quamuis irregularitatem occultet. Diſpenſatio autem datur ad cautelam, ideoque ex illâ nihil certi colligi poteſt.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; A fortiori ſequi Irregularem non eſſe incapacem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, etiam ordinariæ; cum enim non ſit incapax beneficii, cui iuriſdictio eſt annexa, conſequenter neque erit incapax iuriſdictionis. In omnium tamen ſententia iuriſdictio delegata ad quælibet munera præter vſum Ordinis irregulari optimè concedi poteſt, quia nullo iure habetur; irregularem inhabilem eſſe, ad hanc iuriſdictionem ſuſcipiendam. 19

Secundò; Eum, qui beneficium recepit in irregularitate, poſſe fructus beneficii percipere, aliosque actus adminiſtrationis, qui beneficio adnexi ſunt, exercere, quia cum validè beneficium receperit, habet ius ad illos fructus percipiendos, & ad alios actus beneficii exercendos. 20

Tertiò: Irregularem poſſe actus iuriſdictionis, qui actum Ordinis non includunt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè exercere. Vnde, quamuis ipſe abſoluere non poſſit, alteri tamen facultatem abſoluendi delegare poteſt, ſicut poteſt etiam excommunicare, & ab excommunicatione abſoluere, quia iſti omnes ſunt actus iuriſdictionis, Irregularis autem non eſt priuatus vſu iuriſdictionis. 21

QVAE-

QVAESTIO XXXV.

An Lex excommunicationis ad priuationem fructuum beneficii ſe extendat.

CASVS.

1 PAROCHVS quidam librum Hæretici hæreſim continentem, ac de Religione tractantem ſcienter legens incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Papæ reſeruatam, ab eàque nouem menſibus abſolutionem obtinere non potuit. Ipſe tamen interim fructus Parochiales percepit, & in ſuos vſus conuertit. Quæritur; Vtrum illos reſtituere teneatur.

SVMMARIVM.

2 *Parochus beneficii fructus tempore excommunicationis perceptos retinere poſſe videtur.*
3 *Nullo iure probatur, illos per excommunicationem ipſo facto auferri.*
4 *Reus ante Iudicis ſententiam pœnam ſubire non tenetur.*
5 *Materia odioſa mitius interpretanda eſt.*
6 *Parochus tamen fructus tunc perceptos reſtituere tenetur.*
7 *Excommunicato prouentus Eccleſiaſtici à iure ipſo facto ſubtrahuntur.*
8 *Non obſtante appellatione illis privatur.*
9 *Non per ſententiam ſed per cenſuram.*
10 *Priuatio per ſententiam non eſt noua pœna.*
11 *Eſt effectus excommunicationis.*
12 *Beneficii fructus non meretur, qui eſt extra Communionem Eccleſiæ.*
13 *Fructus aſſignantur ſolùm poſito, quod expeditè exerceri poſſit officium.*
14 *Fructus denegantur, ſicut denegatur communio cum fidelibus.*
15 *Pœna ipſo iure impoſita ſtatim incurritur.*
17 *Excommunicatus fructus ita amiſit, vt eos recuperare non poſſit.*
18 *Illos reſtituere tenetur, etiam Iudicis ſententià non expectatà.*
19 *In quo priuatio fructuum ab aliis pænis diſtinguatur.*
20 *Contumax neque propter neceſſitatem fructibus vti poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

QVemadmodum irregularitas quamuis priuet Ordinum vſu, non tamen ex ſe privat vſu beneficii. Ita quæritur: an excommunicatio, ſicut privat Eccleſiæ communione, ita priuet fructibus beneficii. Quod enim non privet, 2

& conſequenter, quod Parochus fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere non teneatur; docent *Sanchez lib. 3. diſp. 51. num. 12. Vaſquez de benefic. cap. 4. §. 3. diſp. 4. num. 229. Coninchus diſp. 14. d. 9. num. 80. Auila 2. par. cap. 6. diſp. 6. d. 1.*

3 Primò: Quia nullo iure probatur, Beneficiarium per excommunicationem ipſo facto priuari fructibus beneficii; *in cap.* enim *Paſtoralis. §. Verum*: dicitur, *illi prouentus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſia communio denegatur.* Verbum autem *ſubtrahuntur*, non ſignificat priuationem ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam, ſed potius connotat ſententiam Iudicis, qui ibi inſtruitur, quid facere debeat.

4 Secundò: quia Reus non tenetur ſponte, & ante Iudicis ſententiam pœnam ſubire, quando ad pœnæ executionem requiritur aliqua actio, niſi aliter conſtet de Principis voluntate; Non conſtat autem, Pontificem obligare voluiſſe Beneficiarium ad fructus amittendos ipſo facto & ante Iudicis ſententiam,

5 Tertiò: quia verſamur in materiâ odioſâ & pœnali, quæ mitius quantum fieri poteſt, interpretanda eſt. Cum ergo in *cap. Paſtoralis*: nullum ſit verbum, quod pœnam eſſe ipſo iure latam demonſtret; verbum enim, *ſubtrahuntur*, optimè intelligitur per Iudicis auctoritatem, cum pœnam contineat; ideoque ſtrictè ſit intelligendum; Sequitur, Beneficiarium non priuari fructibus beneficii, ipſo facto ob excommunicationem, & conſequenter Parochum non teneri fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen, probabilius eſſe, quod Parochus teneatur fructus tempore excommunicationis perceptos reſtituere. *Suarez diſp. 13. ſect. 2. n. 4. Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 24. Reginaldus lib. 32. num. 36. Filliuc. tr. 12. cap. 5. quæſt. 6. num. 129. Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 4. Nauarrus cap. 27. num. 21. Vgolinus tab. 2. cap. 12. Moneta de diſtrib. par. 2. quæſt. 15. num. 22.* & alii communiter. 6

Primò: Quia *in cap. Paſtoralis §. Verum.* Excommunicato prouentus Eccleſiaſtici ſubtrahuntur eo modo, quo Eccleſiæ communio denegatur; ibi enim Pontifex iſta duo æquiparat. Sed hæc negatur ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam; Ergo etiam fructus ſubtrahuntur ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam; vtriusque enim executionem ſecum affert excommunicatio. Si autem per excommunicationem ipſo facto ſubtrahuntur, iam Parochus perceptos reſtituere tenetur. 7

Secundò: Quia, ſi Parochus ob excommunicationem redditus ſolùm eſſet dignus fructuum priuatione, & non ipſis actu priuatus; interpoſitâ appellatione illis iuſtè priuari non poſſet, donec appellationis iuſtitia examinaretur: eſſet enim nouus effectus, cuius executionem excommunicatio ex ſe non traheret. Cum ergo Pontifex dicat, excommunicatum non obſtante appellatione, fructibus priuandum eſſe, ſignum eſt, illum hoc ideo dicere; quia putat, Excommunicatum per ipſam excommunicationem 8

eſſe

Digitized by Google

eſſe ipſo iure priuatum. Si autem Parochus fructibus ipſo iure priuatus eſt, perceptos reſtituere tenetur.

9 Tertiò: Quia in *d. cap.* dicitur, *ſubtrahuntur*; intelligi non debet à Iudice per ſententiam, ſed per ipſam cenſuram, ſiue ex vi cenſuræ; ſicut enim dicitur: *Communio denegatur*: intelligitur per ipſam cenſuram, & ex vi cenſuræ; Vnde verbum, *ſubtrahuntur*, ſignificat, non præceptum aliquod Iudici impoſitum, de tali pœna, ſed nudum factum, ſiue meram executionem; Ergo ſicut communio denegatur, ipſo iure, ita fructus ipſo iure ſubtrahuntur; ideoque Parochus eos reſtituere tenetur.

10 Quartò: Quia *eodem cap.* Interrogatus Pontifex, an interpoſita appellatione poſt latam excommunicationis ſententiam, poſſit Iudex denunciare Excommunicatum, & ad tempus beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliare) Reſpondet affirmatiuè. Sicut ergo denunciatio non eſt noua pœna, & ideo executioni mandatur, non obſtante appellatione; ita fructuum priuatiò non erit noua pœna, ſed ſolùm quædam quaſi declaratio & executio illius, quod factum iam erat; ideo enim ſolùm hic effectus non impeditur propter appellationem interpoſitam, quia excommunicatio ſecum trahit executionem; quod ſi fructuum priuatio non eſt noua pœna, ſed ſequitur ad excommunicationem, iam Parochus per excommunicationem eam contraxit; ideoque fructus tanquam non ſuos reſtituere tenetur.

11 Quintò: Quia, ſi fructuum priuatio non ſequeretur; ipſo facto ad excommunicationem, non eſſet effectus excommunicationis, ſed alia pœna concomitanter impoſita cum excommunicatione; Sicut cum Hæreticus per eandem ſententiam ſimul excommunicatur, ac bonis priuatur; bonorum priuatio non eſt effectus excommunicationis, ſed alia pœna ſimul cum excommunicatione impoſita; poſſet enim manere integra excommunicatio ſine fructuum amiſſione, ſi videlicet in ſententia non fieret eorum expreſsio. Sed fructuum priuatio eſt pœna conſequens ad excommunicationem, & eius effectus; Ergo ad illam ipſo facto conſequitur, ideoque Parochus per excommunicationem fructus amiſit, & conſequenter illos tenetur reſtituere.

Sextò: Quia, dum quis eſt extra Eccleſiam, eiuſque communionem, nihil, quod eſt Eccleſiæ, poſsidere debet, & conſequenter neque fructus beneficii, quod ſi beneficium ipſum non amittit, hoc oritur ex mera Eccleſiæ Indulgentià; & quia in iure priuatio beneficii non ponitur tanquam pœna, & effectus excommunicationis, ſicut ponitur priuatio fructuum. Cum ergo Parochus per excommunicationem ſupponatur eſſe extra Eccleſiam, fructus beneficii poſsidere non debebat, ideoque illos reſtituere tenetur. 12

Septimò denique, quia fructus ab Eccleſia aſsignantur ſolùm ſub conditione, quod quis expeditè præſtare poſsit officium, propter quod aſsignantur: Excommunicatus autem officium ſuum expeditè præſtare non poteſt, cum ab aliorum conſortio abſtinere debeat, nec illi ullo modo faueat *Extrauag. ad euitanda ſcandala.* Parochus ergo ſicut officium præſtare non poterat, ita nec fructus percipere, ideoque illos tenetur reſtituere. 13

OBIE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXXVI.

An Lex excommunicationis irritans beneficii collationem ad eiuſdem acceptationem ſe extendat.

C A S V S.

1 TITIVS poſt obtentum beneficium, antequam illud acceptaret, incidit in excommunicationem; dumque adhuc eſſet Excommunicatus, illud acceptauit: Quæritur, an validè acceptauerit.

SVMMARIVM.

2 *Excommunicatio beneficii acceptationem irritare videtur.*
3 *Sicut irritat collationem.*
4 *Per acceptationem acquiritur ius in beneficium.*
5 *Excommunicatus meliorem præbendam optare non poteſt.*
6 *Excommunicatio beneficii acceptationem verè non irritat.*
7 *Iura illam non irritant.*
8 *Acceptatio nullum ius tribuit.*
9 *Eſt quid facti, ſicut optio præbendæ.*
10 *Eſt in vſu.*
11 *Eſt ſolùm conditio, ſine qua, collatio ius completum non confert.*
12 *Eſt valida ſolùm, quatenus eſt declaratio proprii conſenſus*
13 *Etiam optio eſt ſolùm declaratio propriæ voluntatis.*
14 *Excommunicatio beneficii poſſeſſionem non impedit.*
15 *Collationem tamen ac præſentationem irritat.*
16 *Sicut etiam collationem penſionis Clericalis.*
17 *Excommunicatio tamen debet eſſe vera.*

RATIONES DUBITANDI.

DE eadem excommunicatione quæri ſolet, an, ſicut beneficii collationem inualidat, ita inualidat etiam acceptationem. 2

Ratio autem dubitandi eſt primò, quia beneficii collatio facta Excommunicato tempore excommunicationis eſt inualida; Ergo etiam acceptatio poſita ab Excommunicato tempore excommunicationis erit invalida; non minus enim ad completum contractum requiritur acceptatio, quàm collatio; ſicut ergo Excommunicatus tempore excommunicationis erat incapax beneficium obtinendi, ita erat incapax illud acceptandi. 3

Secundò; Quia ex *cap. ſi tibi abſenti: de præbend. in* 6. ſi abſenti beneficium conferatur, ille nullum ius acquirit in beneficium, nec illud facit ſuum, donec conſentiat,& ratam habeat collationem ſibi 4

Digitized by Google

factam. Ergo tunc ſolùm acquirit ius in beneficium, cum illud acceptat; Si ergo tunc per excommunicationem ſit incapax acquirendi ius, acceptatio non poterit eſſe valida, nec illud conferre.

5 Tertiò: Quia, ſi excommunicatus validè acceptare poſſet beneficium ante excommunicationem ſibi collatum, ſequeretur, quod etiam Canonicus excommunicatus in Eccleſiis, in quibus eſt conſuetudo meliores præbendas optandi, dignitatem, vel præbendam meliorem validè optare poſſet; Optare enim, idem ferè eſt, ac acceptare, cum vtrumque ſolam voluntatis declarationem importet. Conſequens autem eſt falſum, quia optatio eſt quaſi permutatio quædam beneficiorum; Hæc autem ab Excommunicato fieri non poteſt. *Suarez. diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 17. *Coninck. diſp.* 14. *d.* 9. *num.* 78.

RESOLVTIO.

6 Reſpondetur tamen; Titium etiam tempore excommunicationis validè beneficium acceptaſſe. *Sayrus lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. *Azor. par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 23. *qu.* 5. *Filliuc. tr.* 12. *cap.* 5. *num.* 120. *Auila par.* 2. *cap.* 4. *diſp.* 5. *dub.* 8. *Vaſquez tr. de Excom. diſp.* 6. *num.* 9. & alii apud iſtos.

7 Primò: Quia iura irritant ſolam beneficii collationem, & electionem, non verò acceptationem; Irritatio autem non eſt extendenda ad caſus in iure non expreſſos, cum ſit materia odioſa, & conſequenter reſtringenda, non amplianda.

8 Secundò: Quia ſola collatio tribuit totum ius, non verò acceptatio: hæc enim eſt ſolùm conditio & diſpoſitio requiſita ex parte ſubiecti, neque eſt actus iuriſdictionis, nec vllum confert ius, ſed eſt mera declaratio proprii conſenſus; quod totum pertinet ad nudum factum; Hoc autem per excommunicationem non irritatur; Ergo acceptatio etiam tempore excommunicationis facta eſt valida; ſola enim iuris acquiſitio irritatur per excommunicationem, non verò declaratio propriæ voluntatis & conſenſus.

Tertiò: Quia Canonicus excommunicatus validè optare poteſt præbendam meliorem, vt docent communiter Doctores: Ergo etiam acceptare poterit beneficium ante excommunicationem ſibi legitimè collatum; ideo enim validè optare poteſt præbendam meliorem, quia optio eſt quid facti, nec vllum tribuit ius, ſed eſt mera declaratio propriæ voluntatis. Sed etiam beneficii acceptatio eſt ſolùm quid facti, nec ullum tribuit ius de nouo, ſed eſt mera declaratio proprii conſenſus; ergo etiam acceptare poterit beneficium ante excommunicationem ſibi legitimè collatum. 9

Quartò denique: Quia de hoc extat deciſio, relata à *Couarruuia cap. Alma mater.* 1. *par.* §. 7. *num.* 4. *notab.* 12. & quia ita videtur vſu ac conſuetudine receptum; Conſuetudo autem vim habet legis. 10

OBIECTIONUM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium patet reſponſio: Ad primam enim Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia collatio confert ius; acceptatio verò illud propriè non confert, ſed eſt ſolùm conditio, ſine quà collatio illud completè non confert, & quamuis conferret, eſſet valida; 11

non

non in quantum illud confert; ſed in quantum eſt declaratio proprii conſenſus, quod eſt quid facti.

12 Ad ſecundam Reſpondetur: Per acceptationem acquiri quidem ius ſolùm tanquam per conditionem ac ſecundariò; primariò enim acquiritur per ſolam collationem; ipſam tamen acceptationem non eſſe validam, quatenus eſt acquiſitio iuris, ſed quatenus eſt declaratio proprii conſenſus.

13 Ad tertiam vltrò conceditur, Canonicum excommunicatum optare poſſe præbendam meliorem; neque ex hoc vllum ſequi abſurdum, cum optio nihil ſit aliud, quàm declaratio propriæ voluntatis, quæ declaratio Excommunicato non eſt prohibita.

COROLLARIA.

14 Colligitur ex dictis primò: Quòd dictum eſt de acceptatione, applicari etiam poſſe poſſeſsioni beneficii, ita vt Beneficiatius, qui ante excommunicationem beneficium obtinuit, poſsit deinde, etiam tempore excommunicationis validè poſſeſsionem recipere; cum enim etiam poſſeſsio ſit quid facti, nec aliquod ius tribuat de nouo, cenſetur valida, nec collationem & electionem prius ritè factam vitiare. *Sayrus de cenſ. lib. 2. cap. 6. num. 12.*

15 Secundò; Beneficii collationem & præſentationem factam Excommunicato, vel pro excommunicato, quamuis tolerato, eſſe inualidam; Tum quia hæc propriè confert ius; huius autem Excommunicatus eſt incapax; Tum quia ita habetur *in cap. Poſtulaſti: de Clerico excommunicato.* Tum quia beneficium præcipuè datur propter officium; *cap. vlt. de reſcript. in 6.* Excommunicatus autem ipſo iure eſt ab officio ſuſpenſus; *cap. ad probandum; de re iudicata, & c. ſi celebret. de Clerico Excom. miniſtr.* Tum quia beneficium ideo iuxta aliquos conferri non poteſt Irregulari, quia hic eſt ſuſpenſus ab officii executione; ſed etiam excommunicatus eſt ab illa ſuſpenſus; Ergo illi etiam beneficium conferri validè non poteſt; quomodocunque tandem ſit excommunicatus, ſiue à iure ſiue ab homine, & à quocunque ei fiat collatio; & quamuis ipſe ſuam excommunicationem ignoret; ignorantia enim, quamuis excuſet à culpâ, & à pœnâ, non tamen facit validum actum, qui aliàs erat irritus. *Filliuc. tract. 12. cap. 5. quæſt. 1. n. 113.*

16 Tertiò: Etiam collationem penſionis titulo Clericali factam excommunicato eſſe inualidam; Tum quia Excommunicatus, ſicut eſt incapax aliorum beneficiorum ac priuilegiorum, ita videtur incapax penſionis; Tum quia obtinenti penſionem à Summo Pontifice concedi ſolet abſolutio cenſurarum ad hunc effectum. Ergo ſignum eſt, Excommunicatum eſſe ex ſe incapacem penſionis; alioquin fruſtra ad hunc effectum concederetur abſolutio. *Suarez to. 5. diſp. 13. ſect. 1. num 9.*

17 Quartò: Collationem factam ei, qui tempore collationis credebatur Excommunicatus, ſed poſtea re vera cognoſcitur non eſſe Excommunicatus, eſſe validam, quia non afficitur effectibus Excommunicationis, qui re vera non eſt Excommunicatus iuxta regulam illam iuris; *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Suarez ſect. 2. n. 19.*

Digitized by Google

QVAESTIO XXXVII.

An ignorantia facti excuſet ab obligatione legis irregularitatem inducentis.

CASVS.

1 TITIVS, cum Corruptam duxiſſet, putans, ſe Virginem ducere; poſt mortem Vxoris ad ſacros Ordines promotus eſt, & beneficium quoddam parochiale obtinuit. Poſt obtentum autem beneficium certo agnouit ſe duxiſſe Corruptam, ſtatimque dubitare cœpit, an ab Ordinum vſu abſtinere teneretur. Quæritur; An verè fuerit irregularis, ſtante ignorantiâ inuincibili, quod eius Vxor non eſſet Virgo.

SVMMARIVM.

2 *Examinantur cauſa à legis obligatione excuſantes.*

3 *Titius ex bigamia ignorata irregularitatem contraxiſſe videtur.*

4 *Sicut illam non contrahit occidens hominem, putans eſſe feram.*

5 *Vel ſaltem inuincibiliter ignorans eſſe hominem.*

6 *Actiones, ob quas irregularitas incurritur, eſſe debent humana.*

7 *Illam tamen verè contraxit.*

8 *Verè habuit defectum ſignificationis vnica vnionis Chriſti cum Eccleſia.*

9 *Hic defectus ſequitur ex mero acto.*

10 *Nec vllam cognitionem requirit.*

11 *Neque hac irregularitas incurritur tanquam pœna.*

12 *Sicut multa matrimonii impedimenta non contrahuntur tanquam pœna.*

13 *Defectus lenitatis cur requirat notitiam homicidii.*

14 *Ad irregularitatem ex bigamia ſufficit copula voluntaria cum corruptâ.*

15 *Omnes irregularitates ex defectu incurruntur etiam ſine cognitione.*

16 *Irregularitas ex bigamia incurritur etiam ab infideli.*

17 *Non tamen ex fornicatione, neque ex ſponſalibus.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm Lex præſertim humana non obliget abſolutè, ſed ſolùm, quando moraliter impleri poteſt, conſequenter admittit cauſas ab eius obligatione excuſantes. Harum ergo aliquas examinare, non erit inutile; ex eis enim quid de aliis ſimilibus dicendum ſit, colligi facilè poterit. 2

Primò; Itaque quæri ſolet, an ignorantia inuincibilis excuſet ab obligatione legis irregularitatem inducentis. Aliqui enim voluerunt illam excuſare. Ideoque 3

Digitized by Google

que Titium ex bigamia ignoratâ irregularitatem non contraxiſſe. Ita *P. Ledeſma qu. 66. de matrim. ar. 3. Sà*, Verbo, *Irregul. bigam. num. 3. Palatius in 4. d. 27. d. 4.*

4 Primò: Quia occidens hominem, putans eſſe feram, nullam contrahit irregularitatem; Ergo neque ducens Corruptam, putans eſſe Virginem, vllam contrahet irregularitatem; Si enim ignorantia inuincibilis excuſat in primo caſu ab irregularitate, nulla eſt ratio, cur non excuſet etiam ſecundo.

5 Secundò: Quia non minus homicidium etiam iuſtum, vt in bello iuſto, vel à iuſtitiæ Miniſtro commiſſum, habet ſecum annexam irregularitatem ex defectu lenitatis, quam habeat matrimonium cum Viduâ, vel corruptâ ex defectu ſignificationis vnicæ coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ: Sed ignorantia inuincibilis, quod ille, qui occiditur, ſit homo, excuſat ab irregularitate ex defectu lenitatis. Ergo etiam ignorantia inuincibilis, quod illa, quæ ducitur, ſit corrupta, excuſabit ab irregularitate ex defectu ſignificationis Sacramenti.

6 Tertiò: Quia actiones, ob quas incurritur irregularitas, debent eſſe humanæ, & conſequenter liberæ ac voluntariæ, irregularitas enim incurritur ab homine, quatenus rationalis eſt, non verò quatenus ſenſitiuus aut vegetatiuus. Ergo ad contrahendam irregularitatem ex bigamiâ, neceſſariò requiritur diuiſio voluntaria ac libera propriæ carnis in plures; ſed Titius accedens ad Vxorem, ignorans eſſe corruptam, nunquam liberè carnem ſuam diuiſit in plures. Ergo nunquam fundamentum præbuit irregularitati. Ignorantia enim inuincibilis tollit voluntarium.

RESOLUTIO.

Reſpondetur tamen: Titium verè fuiſſe irregularem. *Suarez d. 45. ſect. 3. num. 15. Sanchez lib. 7. matrim. d. 84. nu. 15. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 6. num. 3. Auila p. 7. d. 8. dub. 1. Nauarr. cap. 27. num. 195. Barboſa alleg. 49. nu 9.* & alii apud iſtos. 7

Primò: Quia Titius ducens, quamuis ignoranter corruptam verè habuit defectum ſignificationis vnicæ vnionis Chriſti cum Eccleſia. Hæc autem irregularitas non contrahitur propter aliquod delictum, ſed ſolùm propter hunc defectum ſignificationis vnicæ vnionis Chriſti cum Eccleſiâ, qui æquè datur, ſiue adſit ſcientia, ſiue ignorantia. 8

Secundò: quia defectus ſignificationis, ſequitur ex mero facto; ex eo ſcilicet, quod quis ducat corruptam; ex eo enim præcisè, iam copula illa non repræſentat amplius vnicam vnionem Chriſti cum Eccleſia per incarnationem; cum ipſa iam non ſit vna copula, ſed ſaltem virtualiter multiplex, quam tamen vnionem ſignificare debet matrimonium. Sicut ergo ex mero facto conſurgit defectus ſignificationis, neque ad hoc requiritur vlla cognitio; ita ex mero facto incurritur hæc irregularitas, & conſequenter etiam ſine cognitione, & cum ignorantiâ inuincibili, *cap. Debitum de bigamis*, & *Trid. ſeſſ. 23. cap. 17. reſor.* 9

Tertiò: Quia ideo irregularitas orta ex defectu natalium, incurritur ſine 10

vlla cognitione, quia à iure eſt annexa defectui natalium, qui vt incurratur, nullam cognitionem requirit; ſed ab eodem iure eſt annexa, etiam matrimonio habenti defectum ſignificationis Sacramenti, qui defectus contingere poteſt ſine vlla cognitione. Ergo hæc etiam irregularitas incurritur ſine vlla cognitione.

11 Quartò: Quia irregularitas, quæ incurritur propter bigamiam, non incurritur tanquam pœna, ſed tanquam merum impedimentum annexum ab Eccleſia ſecundo matrimonio, propter defectum ſignificationis Sacramenti, ob diuini cultus reuerentiam ac decentiam. Ergo nulla requiritur cognitio, vt incurratur, ſed incurri poteſt etiam cum ignorantia invincibili; Ideo enim requiritur cognitio, quando incurritur, vt pœna, quia tunc incurritur propter delictum; hoc autem dari non poteſt ſine cognitione, cum ſine hac delictum non ſit voluntarium ac liberum, & conſequenter, nec delictum; ſed quando incurritur, vt merum impedimentum, non incurritur propter vllum delictum. Ergo tunc ad illam incurrendam, non requiritur vlla cognitio.

12 Quintò: Quia impedimenta matrimonium dirimentia, quæ non incurruntur vt pœnæ, ſed vt mera impedimenta; vt ſunt conſanguinitas, affinitas, cognatio ſpiritualis, &c. incurruntur etiam cum ignorantia inuincibili; Ergo etiam irregularitates, quæ incurruntur, vt mera impedimenta ad Ordinum ſuſceptionem vel vſum propter decentiam, incurrentur etiam cum ignorantia inuincibili; nulla enim eſt ratio, cur ad eas incurrendas requiratur cognitio.

OBIECTIONUM SOLVTIO.

Ad rationes in contrarium reſpondetur: ad primam & ſecundam; diſparitatem eſſe, quia defectus perfectæ lenitatis, cum reperiatur in Occiſore iuſto, dari non poteſt ſine cognitione occiſionis. At defectus ſignificationis vnicæ vnionis Chriſti cum Eccleſia, æquè inuenitur in matrimonio, quo ducitur corrupta, ſiue adſit ſcientia, quod illa ſit corrupta, ſiue non adſit; defectus enim ſignificationis Sacramenti nullo modo pendet à cognitione, ſed ex mero facto; ex eo ſcilicet, quod matrimonium non ſit vnicum, ſed multiplex, ſiue formaliter, ſiue virtualiter, quod eſt merum factum. Ius autem Canonicum huic mero facto irregularitatem annexuit, ob reuerentiam ac decentiam diuini altaris miniſterii. 13

Ad tertiam Reſpondetur: Ad hanc irregularitatem incurrendam ſatis eſſe, quod illa copula fuerit in ſe humana, voluntaria ac libera, nec fuiſſe vllo modo neceſſariam cognitionem, quod Vxor eſſet corrupta, quia hæc irregularitas non contrahitur ex voluntaria ac libera diuiſione propriæ carnis in plures, ſed ex diuiſione ſimpliciter; quælibet enim diuiſio ſufficit ad tollendam ſignificationem Sacramenti, ex cuius ſignificationis defectu oritur hæc irregularitas. 14

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò: Omnes ferè irregularitates, quæ oriuntur 15

ex

Digitized by Google

ex defectu; vt quæ incurritur ex defectu ætatis, ex defectu natalium, ex defectu corporis, &c. incurri etiam cum ignorantiâ inuincibili, quia incurruntur tanquam merum impedimentum ad Ordinum ſuſceptionem, vel vſum, ob ſolam diuini cultus decentiam. Ad has autem incurrendas nulla requiritur cognitio.

16 Secundò: Hanc irregularitatem incurri etiam ab Infideli, qui in infidelitate plura matrimonia contraxit, vel vnum virtualiter multiplex cum non Virgine, dum ad fidem conuertitur: Quia baptiſmus, ſicut tollere non poteſt pluralitatem matrimoniorum, ita tollere non poteſt defectum ſignificationis Sacramenti, cui irregularitas eſt annexa. Non incurritur autem irregularitas ex defectu lenitatis propter homicidium iuſtum, commiſſum ante baptiſmum, quia ita ſtatuitur à iure, *c. Si quis viduam. d.* 30. *&c. Si quis poſt baptiſ. d.* 51. Irregularitas autem non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, *c. Is qui de ſent. excomm. in* 6.

Tertiò: Neque multiplicatas fornicationes, neque ſponſalia multiplicata, etiam copulâ ſecutâ ſufficere ad incurrendam irregularitatem ex bigamiâ, quia neque fornicatio, neque ſponſalia ſignificant coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per incarnationem, ſed ſola matrimonii conſummatio, *cap. Acutius* 28. Vnde qui plures habuit Concubinas, non propterea eſt irregularis, ſi matrimonium cum Virgine conſummauit, *c. Quia circa. de bigamis.* 17

QVAESTIO XXXVIII.

An periculum infamiæ ſemper excuſet à legis obligatione.

CASVS.

1 DIDACVS Olyſſipone notorius Clerici percuſſor Romam profectus, vbi eius excommunicatio communiter ignorabatur, die quadam ſolemni ad Eccleſiam acceſſit, vt ibi publicè Euchariſtiam cum aliis reciperet. Accidit autem, vt Euchariſtiam tunc miniſtraret Sacerdos, cui ipſius excommunicatio nota erat. Hic ergo illum publicè præteriit, eique Euchariſtiam negauit, ex quâ actione Didaco grauis infamia ac contriſtatio ſecuta eſt. Quæritur; Vtrum Sacerdos mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Sacerdos excommunicato occulto non videtur publicè Euchariſtiam negare potuiſſe.*
3 *Excommunicatus ibi famam ſuam retinebat.*
4 *Eius excommunicatio ibi erat occulta.*
5 *Ideoque publicè vitari non poterat.*
6 *Sine eius infamia ac contriſtatione.*

7 *Quos*

7 *Quot modis delictum aliquod poſſit eſſe publicum.*

8 *Sacerdos excommunicato, quamuis ibi occulto Euchariſtiam licitè negare potuit.*

9 *Ex præcepto Eccleſiaſtico illum vitare tenebatur.*

10 *Excommunicatio erat virtualiter publica.*

11 *Miniſtrare Sacramenta indigno, eſt eius peccato cooperari.*

12 *Excommunicatus iniuſtè petebat.*

13 *Et amiſerat ius ad famam vbique.*

14 *Quamuis illam de facto retineret.*

15 *Eius delictum erat ſimpliciter publicum.*

17 *Eius contriſtatio & infamia iuſtè fuit permiſſa.*

18 *Sacerdos tamen ei etiam Euchariſtiam miniſtrare potuiſſet.*

19 *Non tamen, ſi occultè petiiſſet.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Certum eſt, periculum infamiæ à legis obligatione plerumque excuſare; nemo enim reſtituére tenetur, quandiu ſine propria infamia id præſtare non poteſt. Dubium eſt; an ſemper excuſet. Aliqui enim voluerunt ſemper excuſare, ideoque Sacerdotem prætereundo Didacum mortaliter peccaſſe. Ita *Auila par. 2. cap. 6. diſp. 11. d. 12. Sotus diſt. 12. qu. 1. art. 6. Henriquez de Euchar. 57. Conincb. quæſt. 62. art. 1. diſp. 6. num. 34. & quæſt. 80. art. 16.*

3 Primò: Quia Didacus Romæ bonam retinebat famam; ideoque erat peccator, & Excommunicatus tantùm occultus; Peccatori autem occulto publicè petenti Sacramenta denegari non poſſunt.

Secundò: Quia ex eo, quod Didaci Excommunicatio eſſet publica Olyſsipone, non propterea inde ſequebatur, quod eſſet etiam publica Romæ; ſicut enim delictum, quod reſpectu vnius Parochiæ eſt publicum, poteſt eſſe occultum reſpectu totius Ciuitatis; ita potuit excommunicatio, quamuis eſſet publica Olyſsipone reſpectu Romæ eſſe occulta. Ergo ſicut propter crimen publicum ſolùm reſpectu vnius Parochiæ, non poteſt quis in tota Vrbe infamari; ita neque Didacus propter excommunicationem publicam ſolùm Olyſsipone infamari potuit Romæ. 4

Tertiò: Quia Didacus non erat Romæ notorius Clerici percuſſor, ſed tantum Olyſsipone; Neque enim Romæ notoriè percuſſerat. Ergo neque Romæ publicè vitari poterat tanquam notorius Clerici percuſſor. 5

Quartò: Quia ex tali Euchariſtiæ denegatione ſecuta eſt Didaco grauis infamiæ contriſtatio; Sic enim eius delictum manifeſtatum eſt. Hoc autem videtur eſſe contra iuſtitiam, vel ſaltem contra charitatem. 6

NOTABILIA.

Aduertendum eſt; Delictum poſſe eſſe publicum, vel iure vel facto, vel famâ. Iure publicum eſt delictum, quando conſtat vel per confeſsionem Rei in Iudicio, vel per Teſtium depoſitionem, vel Iudicis ſententiam; facto dicitur publicum, quando in multorum præſentia commiſſum eſt, v.g. in foro, vel via publica, vbi ab omnibus videri poterat; famæ denique dici- 7

dicitur publicum, cum eius fama ex ſufficientibus indicijs orta, maiori parti Oppidi, vel Collegij, aut Ciuitatis innotuit. Per delictum autem, aliquo ex his modis publicum, amittit delinquens ius ad famam vbique; Si enim ſit publicum iuridice, amittit in pœnam; ſi ſit publicum euidentia facti, vel fama, amittit, quia eo ipſo, quod illud commiſit in loco, vbi ab omnibus videri poterat, cenſetur ſpontè ceſſiſſe iuri ſuo, nec curaſſe de propriâ famâ. Hoc poſito.

RESOLVTIO.

8 RESpondetur; Probabilius videri, quod Sacerdos non peccauerit. *Suarez diſp. 67. ſ. 5. concl. 3. de Euchar. Vaſquez tr. de Excomm. d. 8. num. 2. Duard. lib. 2. cap. 1. Henriqu. lib. 13. c. 24. num. 1. Filliuc. tract. 13. cap. 3. quæſt. 7. num. 49. Bonac. de Sacram. diſp. 1. quæſt. 6. pun. 4. nu. 12. & de cenſur. d. 2. quæſt. 2. p. 6. §. 2. num.* 48. & alii plures apud iſtos.

9 Primò; Quia Sacerdos, obedire tenebatur præcepto Eccleſiæ, prohibentis communicationem, præſertim in Diuinis, cum Excommunicato vitando; Didacus autem etiam Romæ, erat Excommunicatus vitandus; Excommunicatio enim, cum ſit ſententia perſonalis, adhæret perſonæ, eamque comitatur vbique.

10 Secundò; Quia, quamuis Didaci excommunicatio, eſſet Romæ actu per accidens occulta, erat tamen virtualiter publica; erat enim licitè per literas, hiſtorias, aut alio ſimili modo, ibi manifeſtabilis; publico autem Peccatori publicè petenti, deneganda ſunt Sacramenta.

Tertiò; Quia miniſtrare Sacramenta indignè petenti, eſt cooperari eius peccato; Didacus autem indignè petebat. 11

Quartò; Quia Didacus, ſuæ excommunicationis conſcius, iniuſtè ad Euchariſtiam acceſſerat; non enim habebat ius illam publicè petendi; iniuſtè autem aliquid petenti; iuſtè negatur, quod petit. 12

Quintò denique; quia lex, per hoc quod ſit promulgata in Curiâ, cenſetur ſufficienter publica in toto Regno in ordine ad Subditos obligandos, ita vt illos vbique obliget; Ergo etiam delictum, per hoc, quod in vno loco ſit publicum, cenſendum erit ſufficienter publicum vbique, in ordine ad priuandum Delinquentem iure, quod habebat ad famam ita vt vbique hoc iure priuetur. Nullam ergo Didaco intulit iniuriam Sacerdos, Euchariſtiam denegando, ſicque eius delictum manifeſtando, ac eum infamando; Didacus enim nullum ius habebat ad famam, ideoque Sacerdos, eius delictum licitè manifeſtare potuit, ſicut potuiſſet quilibet alius Oliſipone, eius delictum, ac excommunicationem Romam præſcribens. 13

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes in contrarium reſpondetur; Ad primam, Didacum, quamuis de facto bonam famam retineret, non tamen retinuiſſe iure; Vnde, ſicut per Epiſtolam, quæ eius excommunicationem contineret, aut alterius cuiuſcumque narrationem, iuſtè eam amitteret poterat, ita poterat per denegationem Euchariſtiæ factam à Sacerdote. 14

Ad ſecundam Reſpondetur; Diſparitatem 15

tem eſſe, quia id, quod eſt publicum reſpectu vnius Congregationis, non eſt abſolutè, ac ſimpliciter publicum, ſed ſolùm ſecundùm quid, & reſpectu illius Congregationis, cuius maiori parti ita eſt notum, vt alij in eius notitiam non tam facilè venire poſſint. At, quod ita eſt publicum, vt venire facilè poſſit in notitiam aliorum, dicitur publicum ſimpliciter; Atque hæc, eſt publicitas, quæ priuat iure ad famam vbique.

16 Ad tertiam Reſpondetur; Didacum, Romæ non eſſe Clerici percuſſorem notorium actu, ſed virtute, quatenus vbique in aliorum notitiam facilè venire poteſt. Hoc autem ſufficit, vt iuſtè priuetur omni iure ad famam vbique.

17 Ad quartam denique Reſpondetur, Didaci infamiam, & contriſtationem, non tam eſſe ſecutam ex Sacerdotis denegatione, quam ex ipſius iniuſtà petitione; A Sacerdote verò, iuſtis de cauſis, fuiſſe licitè permiſſam; Tum quia habebat ius illam permittendi, vt Eccleſiæ præceptum ſeruaret; Tum quia hoc, ipſius Didaci ſaluti erat expediens, vt ſic faciliùs reſipiſceret.

18 Addo tamen, mihi valdè probabile videri, quod Sacerdos vtrumlibet licitè præſtare potuerit; quia habebat cauſas iuſtas, & ſufficientes ad vtrumlibet faciendum; Ad dandam quidem Euchariſtiam, ne Didacum infamaret, ac contriſtaret. Ad negandam verò, vt Eccleſiæ præceptum ſeruaret. Sicut Mulier, cum certo ſcit, ſe alicui in particulari fore cauſam ruinæ ſpiritualis, ſi eat ad Eccleſiam, vt miſſam audiat in die feſto poteſt pro libito, vel ex charitate manere Domi, vt vitet damnum ſpirituale proximi; vel ire ad Eccleſiam, eius ruinam permittendo, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat; vtrimque enim ſunt cauſæ iuſtæ, & ſe inuicem non notabiliter excedentes, ideoque ſufficientes ad vtrumlibet à peccato excuſandum.

COROLLARIVM.

COlligitur ex dictis; Sacerdotem, nullo modo miniſtrare potuiſſe Euchariſtiam Didaco, ſi occulte ac priuatim petijſſet, quia tunc ceſſaſſent omnes rationes excuſantes ab obſeruantià præcepti Eccleſiaſtici de eo vitando; ex occulta enim Euchariſtiæ denegatione, nullum ſecutum fuiſſet periculum infamiæ, nec rationabilis contriſtationis, & aliunde hoc ipſimet Didaco fuiſſet vtile ad faciliùs reſipiſcendum. 19

(o)

QVAE.

QVAESTIO XXXIX.

An ratio famulatus, ſit cauſa ſufficienter excuſans à Legis obligatione.

CASVS.

1 TITIVS, audiens, Canonicum quendam excommunicatum vitandnm, indigere famulo, ei ſpontè ſe obtulit, & in Diuini Officij recitatione, tanquam ſocius, inſeruiuit. Quæritur; Vtrum mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Famulus, inſeruiendo Excommunicato vitando, videtur mortaliter peccaſſe.*
3 *Communicatio in diuinis, eſt materia grauis.*
4 *Non debitum ſeruitutis excuſat.*
5 *Peccauit obligando ſe ad inſeruiendum Excommunicato.*
6 *Non tamen deinde, cum illo communicando.*
7 *Illi à iure conceditur facultas communicandi.*
8 *Sicut conceditur etiam Filio, & Vxori.*
10 *Et conceditur abſolutè.*
11 *Nec propterea commodum reportat ex ſuo delicto.*
12 *Etiam ſine titulo ſeruitutis, plus, quam venialiter non peccaſſet.*
12 *Eccleſia, ſecundariò ſolùm, prohibet officij recitationem cum Excommunicato.*
13 *Debitum ſeruitutis, per Domini excommunicationem non tollitur.*
15 *Alij, quibus communicatio cum Excommunicato permittitur.*
16 *Quibus non permittatur.*
17 *Alij, quibus non permittitur.*

RATIONES DVBITANDI.

SIcut periculum infamiæ, regulariter excuſare videtur à legis obligatione; ita ab eodem, aliquando ſaltem, excuſat ratio famulatus; Famulo enim ratione famulatus, communiter licere dicitur, Dominum ad domum meretricis comitari, ibique ſternere menſam, ac lectum, parare cibos, menſæ inſeruire, & alia huiuſmodi obſequia exhibere, quæ ſine graui ſuo incommodo negare non poſſet, & ad Domini peccatum remotè tantùm ſe habent; Quæritur igitur; An ſit ratio ſufficiens ad excuſandum etiam ab obligatione cenſuræ. Videtur enim non eſſe; atque ideo Titium, Canonico excommunicato, inſeruiendo, mortaliter peccaſſe. *Nauarrus c. 27. num. 27. Filliucius tract. 13. c. 6. quæſt. 6. num. 117. Suarez de cenſ. diſp. 12. num. 18. & d. 15. ſect. 5. num. 13. Sayr. lib. 2. c. 14. num. 15.* 2

Probatur; Quia Titius communicauit cum Canonico in Diuinis, & materia non fuit leuis; ſicut enim in Diuini Offi- 3

Digitized by Google

cij recitatione, committere vnam horam, non eſt materia leuis, ſed ſufficiens ad mortale; Ita non erit materia leuis, vnam horam cum Socio priuatim recitare. Ergo multo minus, totum Officium. Quare Officij recitatio, erit materia ſufficiens ad mortale.

4 Neque excuſatur à debito ſeruitutis. Tum quia, hoc debitum contractum eſt per conuentionem, factam poſt excommunicationem. Hæc autem conuentio, includit mutuam communicationem, & conſequenter cenſuræ violationem. Tum quia *in cap. Inter alia: de ſententia excommunicationis*: ſignificatur, Perſonas, quibus *in cap. Quoniam multos* 11.*quæſt.*3. Communicatio cum Excommunicato permittitur, illi debito ante excommunicationem obnoxias eſſe debere. Ergo à contrario, quæ ante excommunicationem, illud debitum non habebant, hoc priuilegio gaudere non poterunt, & conſequenter neque communicare cum Excommunicato vitando. Titius autem ſupponitur, debitum ſeruitutis cum Canonico contraxiſſe, ſolum poſt eius excommunicationem. Tum denique, quia Vxor communicare non poteſt cum Marito, ſi ſcienter cum illo, poſt excommunicationem, matrimonium contraxit. Ergo à fortiori, non poteſt Famulus communicare cum Domino, ſi poſt eius excommunicationem, debitum ſeruitutis contraxit; Sicut enim Vxor priuatur communicatione in pœnam, quia contrahendo, fecit contra cenſuram; ita etiam Famulus, eidem pœnæ ſubiacere debet; quia, contrahendo cum Domino Excommunicato, cenſuram violauit.

RESOLVTIO I.

Probabilius tamen videtur primò; 5 Titium peccaſſe, obligando ſe ad inſeruiendum Canonico Excommunicato vitando; Quia per talem obligationem, violauit Eccleſiæ præceptum ac cenſuram.

RESOLVTIO II.

Probabilius ſimiliter videtur ſecundò; 6 Titium, quamuis Canonico Excommunicato, etiam ſine neceſſitate, & ſcienter inſeruire cœperit, non peccaſſe tamen communicando cum illo, etiam in Diuini Officij recitatione. *Coninch. diſp.* 14. *d.* 12. *nu.* 129. *Auila par.* 2. *diſp.* 8. *d.* 4. *Reginald. lib.* 32. *num.* 101. *Bonacina diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 6. §. 2 *num.* 32. *Silueſter v. Excomm.* 5. *num.* 4. & alij apud iſtos.

Primò; Quia *in cap. Quoniam multos*: 7 à Gregorio abſolutè, & ſine vllà conditione, Filijs, Seruis, Ancillis, & alijs Subditis, conceditur facultas, communicandi cum ſuis Patribus, Dominis &c. modo hæc communicatio non fiat in crimine criminoſo, ſiue in crimine, propter quod delinquens, eſt Excommunicatus, vel cum periculo, aut propriæ ſubuerſionis, aut perſeuerantiæ Excommunicati in ſuà contumaciâ, ibique redditur pro ratione; Quia iſti, non ſunt adeo Curiales, vt eorum conſilio, huiuſmodi facinora, à Domino perpetrentur. Hæc autem ratio valet ſiue Serui ante, ſiue poſt Domini excommunicationem, debitum ſeruitutis cum eo contraxerint. Neque in eo *cap.* diſtinguitur de Famulis, qui Domino, ante, vel poſt excommunicationem, inſeruire cœperunt; Vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Secun-

8 Secundò; Quia Filius, ſiue naturalis, ſiue illegitimus, communicare poteſt cum Patre, quamuis genitus tempore, quo Pater erat excommunicatus; Et Vxor cum Marito, quamuis cum eo poſt excommunicationem contraxerit. Ergo etiam Famulus communicare poterit cum Domino, quamuis contractum ſeruitutis, tempore excommunicationis, cum eo inierit; ſicut enim, quamuis Vxor, matrimonium ſcienter contrahendo cum excommunicato vitando, peccauerit, & minorem excommunicationem incurrerit, Matrimonium tamen fuit validum, & conſequenter peperit vinculum Matrimoniale, cui eſt annexum ex iure priuilegium communicandi cum Marito Excommunicato. Ita, quamuis Titius peccauerit, contractum ſeruitutis ſcienter celebrando cum Canonico Excommunicato vitando, ideoque minorem excommunicationem incurrerit, *ex cap. Statuimus: de ſent. Excom.* Contractus tamen, fuit validus, ex eoque ortum eſt debitum ſeruitutis, cui *ex cap. Quoniam*: eſt annexum priuilegium communicandi cum Domino Excommunicato.

9 Neque dici poteſt, huic debito eſſe annexum priuilegium communicandi cum Excommunicato, ſolùm quando eſt contractum, vel ante Domini Excommunicationem, vel poſt eam, bona fide, aut
10 neceſſitate cogente.

Nam priuilegium, in iure conceditur huic debito abſolutè; ſicut infirmitati conceditur, vt excuſet ab aſſiſtentiâ in Choro; & impotentiæ, vt excuſet ab Officij recitatione. Sicut ergo infirmitas, ſemper excuſat ab aſſiſtentia in Choro, ſiue ſit contracta culpabiliter; v. g. ex intemperantiâ; ſiue inculpabiliter ex aliquo accidenti. Et impotentia excuſat ab Officij recitatione, ſiue orta ſit ex proiectione breuiarij in mare, ſiue ex eiuſdem amiſſione inculpabili; Ita debitum ſeruitutis, trahit ſecum priuilegium communicandi cum Domino Excommunicato, ſiue contractum fuerit ante Domini excommunicationem, ſiue poſt illam.

Neque inferri poteſt ex hoc; Delinquentem ſic reportare commodum ex ſuo delicto. Nam, in hoc caſu, commodum non reportatur ex delicto; ſed ex iure poſitiuo, ſeruituti hoc priuilegium concedente: ſicut, cum quis proijcit breuiarium in mare, vel ex intemperantiâ contrahit infirmitatem, non reportat propriè commodum ex ſuo delicto, ſed ex iure naturæ, quod non obligat ad impoſſibile; Et ex iure poſitiuo, quod Infirmos excuſat ab aſſiſtentiâ in Choro. 11

Tertiò; Quia, Quamuis Titius nullum habuiſſet debitum ſeruitutis cum Canonico, adhuc tamen, illi inſeruiendo in Officij recitatione, non peccaſſet plusquam venialiter. Tum quia Eccleſia, directè, ac principaliter prohibet ſolùm communicationem ſolemnem in diuinis, non autem priuatam, qualis fuit Communicatio Titij cum Canonico. Tum etiam quia, cum, Excommunicato vitando prohibitum non ſit, orare, ſicut eſt prohibitum audire Sacrum, & Diuinis Officijs intereſſe, ſed ſolùm, ne recitet cum alio; ſequitur, hanc communicationem, quando eſt priuata, non eſſe materiam grauem, nec directè, ac primario prohibitam ideoque nec ſufficientem ad mortale. 12

OBIECTIONVM SOLVTIO.

13 NEque obſtant rationes in contrarium; Nam ad primam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia Eccleſia, ſicut primò, & directè præcipit recitationem totius Officij, ita primò, & directè præcipit recitationem vnius horæ tanquam eius partem notabilem. At Eccleſia, primò, & directè non prohibet Excommunicato recitationem Diuini Officij cum alio, quando eſt priuata, ſed ſolùm ſecundario, & indirectè; ideoque non grauiter, ſed ſolùm leuiter, ac ſub veniali. Prohiberet autem grauiter, ſi recitatio eſſet ſolemnis, quia eſſet communicatio ſolemnis in diuinis; & hanc Eccleſia directè, ac grauiter prohibet.

14 Ad confirmationem Reſpondetur; *in cap. Inter alia*; Solùm declarari, quod debitum ſeruitutis, contractum cum Domino ante eius excommunicationem, per excommunicationem non diſſoluitur; nihilque ibi ſtatui de debito contracto poſt excommunicationem. Cum ergo aliunde *in cap. Quoniam multos*; abſolutè Famulis concedatur facultas communicandi cum Domino Excommunicato; vti poterunt Famuli hac facultate, ſiue debitum ſeruitutis contraxerint ante Domini excommunicationem, ſiue poſt illam. Idemque prorſus dicendum eſt de Vxore reſpectu Mariti Excommunicati. Vnde falſum eſt, ipſam priuari priuilegio communicandi cum Marito in pœnam; quando Matrimonium ſcienter contraxit, poſt Mariti excommunicationem; nullibi enim habetur ius, hanc pœnam imponens. Et quamuis violauerit cenſuram, Matrimonium contrahendo; pœna tamen huic delicto impoſita, non eſt reuocatio facultatis communicandi cum Marito Excommunicato; ſed minor Excommunicato.

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò, etiam Milites in bello communicare poſſe, cum Duce excommunicato vitando; Religioſos profeſſos, imo etiam Nouitios, obedire poſſe ſuis Superioribus excommunicatis; Pupillos, agere poſſe cum Tutore, quandiu ſunt ſub illius curà, ac tutelà, in ijs præſertim, quæ ad Tutelæ munus pertinent; Clericos, dum ſunt in Epiſcopi famulatu, eidem Excommunicato inſeruire poſſe etiam in Diuinis, cum eo Miſſam audiendo, aut miſſæ inſeruiendo; quia *in cap. Quoniam multos.* Priuilegium communicandi cum Excommunicato vitando; abſolutè conceditur omnibus habentibus titulum ſubiectionis. Hi autem omnes, habent hunc titulum. *Coninch. diſp. 14. diſt. 12. num. 129.* 15

Secundò; Vnum Seruum, per ſe loquendo, communicare non poſſe cum alio Seruo Excommunicato vitando, nec vnum fratrem, cum alio; quia vnus non eſt alteri ſubiectus; ideoque nec gaudere poteſt priuilegio; *cap. Quoniam multos.* Communicare tamen poſſunt per accidens, quatenus eidem Domino inſeruire debent, vel cum eodem Patre habitare, quæ ſine communicatione fieri non poſſunt. *Suarez diſp. 15. ſect. 5. num. 23.* 16

Tertiò; Filios ſpirituales, communicare non poſſe cum Patribus Spiritualibus excommunicatis vitandis. Tum quia hi, nullo iure, excuſantur. Tum quia, nulla 17

datur

datur neceſſitas, quæ illos eximat, Similiter nec Vaſallos cum ſuis Principibus Temporalibus. Tum quia hi, nullo iure, à communi obligatione eximuntur; imo *in cap. Nos Sanctorum. 15. qu. 6.* Communicatio illis ſpecialiter prohibetur, Tum quia, nulla datur neceſſitas illos excuſans.

Denique neque Filium, quamuis ſit 18 Parochus; miniſtrare poſſe Sacramenta Patri excommunicato vitando, nec coram eo Diuina facere; quia hæc Communicatio illi non competit ratione ſubiectionis. *Sayrus lib. 2. cap. 22. num. 3.*

QVAESTIO XL.

An iuſta excommunicatio, à pœnà Legis excuſet.

CASVS.

1 CANONICVS quidam, cum propter enormem Clerici percuſſionem, in excommunicationem incidiſſet, nouem menſibus à Choro abeſſe compulſus eſt; ipſo tamen interim, ſatisfactà parte, abſolutionem procurante; Poſt obtentam autem abſolutionem, petijt diſtributiones, illis nouem menſibus reſpondentes. Quæritur; Vtrum illi ſint debitæ.

SVMMARIVM.

2 *Excommunicatio, non videtur legitimum impedimentum Choro non aſſiſtendi.*
3 *Excommunicatus, commodum reportaret ex ſuo delicto.*
4 *Et excuſaretur, etiamſi abſolutionem non procuraret.*
5 *Videtur etiam legitimum impedimentum.*
6 *Sicut cenſetur impedimentum legitimum Sacrum audiendi.*
7 *Nec Eccleſia obligat ad abſolutionem procurandam, vt præcepto ſatisfiat.*
8 *Et ſicut infirmitas, eſt legitimum impedimentum.*
9 *Quamuis abſentia à Choro, ſit pœna.*
10 *Sic abſens commodum reportaret ex in repoſitiuo.*
11 *Abſolutionem non procurans, eſt voluntariè impeditus.*
12 *Si Iudicis ſententia expectanda eſt, Excommunicato abſenti ſunt debita diſtributiones.*
13 *Fuit per excommunicationem legitimè impeditus, ſicut fuiſſet per infirmitatem.*
14 *Abſolutè tamen, non ſunt debita.*
15 *Priuatio diſtributionum, eſt pœna ad excommunicationem ipſo iure conſequens.*
16 *Detentus in carcere, cenſetur legitimè impeditus.*
17 *Etiam Excommunicatus toleratus, diſtributionibus priuatur.*
18 *Etiam ſuſpenſus, vel Interdictus à Diuinis.*

19 *Ab*

Digitized by Google

19 *Ab Hoſtibus detentus, illis priuari non poteſt.*

20 *Nec Choro non aſſiſtentes ob Eccleſiæ violationem.*

21 *Nec Irregulares.*

RATIONES DVBITANDI.

2 DE iuſta excommunicatione, maior eſt difficultas; an ſit legitimum impedimentum, à pœnâ legis excuſans. Et ratio dubitandi eſt primò; Quia Canonicus, ex vnâ parte, iuſtè, propter excommunicationem, prohibitus eſt Choro intereſſe; Ergo, etiam iuſtè priuatus eſt diſtributionibus, quæ Choro aſſiſtentibus conferri ſolent; hæc enim priuatio, ſequitur ex illâ prohibitione. Si ergo prohibitio fuit iuſta, iuſta etiam fuit diſtributionum priuatio.

3 Secundò; Quia, ſi Canonicus percipere poſſet diſtributiones reſpondentes tempori, quo, propter excommunicationem, abfuit à Choro, ex ſuâ excommunicatione & delicto, hoc commodum reportaret; Nemini autem ſua iniquitas prodeſſe debet.

4 Tertiò; Quia, ſi Canonicus, tanquam impeditus, recipere poſſet diſtributiones reſpondentes tempori, quo fuit excommunicatus, ſequeretur, eaſdem diſtributiones eſſe etiam debitas Excommunicato, qui nunquam excommunicationis abſolutionem procurauit. Nam ipſe etiam fuiſſet per excommunicationem impeditus, ne Choro intereſſet. Conſequens autem eſt abſurdum, & à nemine admittitur. Neque enim abfuit ex causâ iuſtâ, ac rationabili, ſed ob delictum, in cuius pœnam, eſt excommunicatus, & ſic à Choro remotus. *Suarez diſput. 13. ſect. 2. Bonac. de horis canon. d. 2. quæſt. 5. pun. 2. §. 2. num. 1.*

5 Ex aliâ verò parte; ille, diſtributiones, ac fructus percipere poteſt, qui eſt legitimè impeditus ab aſſiſtentiâ; Canonicus autem, quamuis iuſtè excommunicatus, ratione excommunicationis, videtur legitimè impeditus; cum enim per ipſum non ſteterit, quo minus fuerit abſolutus, & cum abſolutionem procurauerit, cenſetur fuiſſe inuoluntariè impeditus. Inuoluntariè autem impeditus, cenſetur impeditus legitimè.

6 Secundò; Quia Canonicus, ob excommunicationem, cenſetur legitimè impeditus in ordine ad audiendum Sacrum in die feſto, ita vt illud non audiendo, excuſetur à culpâ. Ergo etiam cenſendus erit legitimè impeditus in ordine ad aſſiſtendum Choro, ita vt illi non aſſiſtendo, excuſetur à pœnâ non aſſiſtentium; Non minus enim Eccleſia, Excommunicato vitando prohibet aſſiſtentiam Choro, quam Sacri auditionem. Ergo ſicut non peccat Sacrum non audiendo, ita non delinquit, non aſſiſtendo Choro; ideoque poteſt tanquam legitimè impeditus, diſtributiones percipere.

7 Tertiò; Quia ideo Excommunicatus, cenſetur legitimè impeditus in ordine ad Sacri auditionem in die feſto, quia Eccleſia non obligat Excommunicatum ad obtinendam excommunicationis abſolutionem, vt miſſam audiat. Sed neque illum obligat ad obtinendam abſolutionem, vt Choro aſſiſtat; Nullibi enim habetur hæc obligatio. Ergo, ſi in vno caſu cenſetur legitimè impeditus, cenſendus eſt legitimè impeditus etiam in alio; Neque obſtat, quod remotio à Choro, excommunica-

nica-

Digitized by Google

nicationis ſit pœna. Nam etiam priuatio Miſſæ, eſt eiuſdem excommunicationis pœna, & tamen ab hac excuſat.

8 Quartò denique; Quia, quamuis Canonicus, per ſuum delictum cauſam dederit excommunicationi, hoc tamen non impedit, quin excommunicatio, ſit Impedimentum legitimum Choro non aſſiſtendi, ſicut eſt impedimentum legitimum Miſſam non audiendi; alioquin neque qui per intemperantiam culpabiliter cauſam dedit ſuæ infirmitati, cenſendus eſſet legitimè impeditus. Cum ergo hic cenſeatur legitimè impeditus, & de facto recipiat diſtributiones infirmitatis tempori reſpondentes, etiam cenſendus erit legitimè impeditus Canonicus propter excommunicationem, ideoque percipere poterit diſtributiones excommunicationis tempori reſpondentes.

9 Neque obſtare videntur rationes in contrarium. Nam primò, quamuis abſentia à Choro, excommunicationis ſit pœna; hoc tamen non facit, quod excommunicatio non ſit impedimentum legitimum, & ſufficiens ad excuſandum illum à culpâ, & conſequenter etiam à pœnâ priuationis diſtributionum; Nam etiam omiſſio Miſſæ, eſt pœna excommunicationis, & tamen excommunicatio, adhuc cenſetur impedimentum ſufficiens ad illum excuſandum à culpâ.

10 Secundò; Canonicus, percipiendo diſtributiones, non reportaret directè commodum ex ſuo delicto, ſed ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vel ex naturâ rei; ſicut non cenſetur reportare commodum ex ſuâ intemperantia, dum percipit diſtributiones infirmitatis tempori reſpondentes, ſed ex ipſo iure naturæ, vel poſitiuo, ex quo decernitur, infirmitatem eſſe legitimum impedimentum.

Tertiò; Non cenſetur legitimè impeditus, qui abſolutionem non procurat, quia illam non procurando, cenſetur contumax, & conſequenter voluntariè impeditus, non autem inuoluntariè, & coactè; ſicut eſt ille, qui abſolutionem procurat, & per quem non ſtat, ne abſoluatur. 11

RESOLVTIO I.

ADCaſum tamen reſpondendum videtur primò; Si Excommunicatus, ipſo iure fructibus beneficij non priuatur; ſed expectanda eſt Iudicis ſententia; Canonico eſſe debitas diſtributiones, excommunicationis tempori reſpondentes. *P. Nauar. lib. 2. de reſt. cap. 2. num. 238. Vgolin. tab. 2. cap. 12. Sayrus lib. 2. cap. 5. nu. 29. Sav. v. benef. num. 50. Garzias de benef. par. 7. cap. 13. num. 123. Henriquez lib. 13. cap. 13. nu. 4.* & alij apud iſtos. 12

Probatur; Quia per excommunicationem, verè fuit legitimè impeditus, non minus, quàm fuiſſet per infirmitatem; neque vnquam oſtendi poterit, cur excommunicatio poſſit eſſe impedimentum legitimum omiſſionis Sacri in die feſto, & non abſentiæ à Choro. 13

RESOLVTIO II.

RESpondetur tamen ſecundò; Canonico abſolutè, & ſimpliciter, non eſſe debitas diſtributiones, excommunicationis tempori reſpondentes. 14

Probatur; Quia priuatio fructuum beneficij, ac diſtributionum, eſt pœna, 15

ipſo iure, conſequens ad excommunicationem, non minus, quam priuatio communicationis cum fidelibus; *in c.* enim *Paſtoralis §.Verum*; Vtraque pœna, eodem modo excommunicationi ſtatuitur. Neque ad huius pœnæ executionem vlla actio requiritur, ſicut non requiritur ad priuationem communicationis cum fidelibus; Excommunicatio enim non priuat Excommunicatum fructibus iam acquiſitis, ſed ſolùm impedit, ne illos acquirat, ac faciat ſuos; Ad hoc autem nulla actio requiritur.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Eum, qui à Choro abſuit, eo quod; propter delictum aliquod fuerit detentus in carcere, percipere poſſe diſtributiones tempori carceris reſpondentes. Quia *cap. vnic. de Cleric. non reſiden. in 6.* poſtquam ſancitum fuit, abſentibus denegandas eſſe diſtributiones; additur. Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit; *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret*, rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas. Sed qui detinetur in carcere, excuſatur rationabili corporis neceſſitate, & legitimo impedimento, non minus, quam ſi detineretur infirmitate per intemperantiam contractâ. Ergo, ſicut percipere poſſet diſtributiones tempori talis infirmitatis reſpondentes, ita recipere poterit reſpondentes tempori detentionis in carcere; quamuis ipſe, per delictum, cauſam dederit tali detentioni. Hoc tamen intelligendum eſt, quantum eſt ex vi detentionis; nam, ſi aliunde pœna priuationis diſtributionum, ſit illi impoſita, ipſo iure, & immediatè; vt videtur colligi ex quodam Decreto Sacræ Congregationis, relato *à Garzia de Beneficijs par. 3. cap. 2. num. 362.* Tunc in carcere detentus ex delicto, percipere non poterit diſtributiones illi tempori reſpondentes; Hoc tamen tunc proueniet ex iure ita ſtatuente; non verò ex defectu legitimi impedimenti.

Secundò; Non ſolùm Excommunicatum vitandum, ſed etiam toleratum, abſolutè percipere non poſſe diſtributiones excommunicationis tempori reſpondentes; Quia vterque, propter excommunicationem, æque priuatur, ipſo iure, fructibus beneficij, ſicut æquè priuatur communicatione Fidelium; Neque toleratus, quoad hoc, eſt melioris conditionis, quam vitandus; Concilium enim Conſtantienſe, in nullâ re illi fauet, præſertim quoad hoc: Et æquè eſt illi prohibitum, communicare cum Fidelibus, & conſequenter Choro aſſiſtere, ac ſit prohibitum Excommunicato vitando, cum hac ſolùm differentiâ, quod toleratus, à Fidelibus requiſitus, communicare poteſt, vitandus verò, etiam tunc omnino non poteſt. 17

Tertio, Quæ dicta ſunt de Excommunicato, intelligenda eſſe proportionaliter etiam de Suſpenſo, vel Interdicto à Diuinis, vel ab ingreſſu Eccleſiæ. Hic enim eo ipſo cenſetur etiam abſolutè, & ſimpliciter priuatus diſtributionibus, ac fructibus; Si tamen non eſſet, ipſo iure, priuatus, ſed ſolùm priuandus per Iudicem, poſſet diſtributiones percipere; Quia, ſicut excommunicatio eſt legitimum, ac ſufficiens impedimentum abſentiæ à Choro, ita eſt Suſpenſio, ac Interdictum; cum eadem prorſus ſit ratio. 18

Quartò;

Digitized by Google

19 Quartò; A fortiori; debitas eſſe diſtributiones illi, qui priuatâ vi detinetur, aut ab hoſtibus captus eſt, & impeditus, ne Choro interſit; quia ob corporis neceſſitatem abeſt: ille enim dicitur abeſſe ob corporis neceſſitatem, qui vi detinetur, aut alio modo impeditur, ne Choro interſit.

20 Quintò; Canonicos percipere poſſe diſtributiones reſpondentes tempori, quo Eccleſia, in qua celebrare diuina Officia conſueuerunt, polluta eſt, ac violata; Quia, cum per ipſos non ſtet, ne diuina officia ibi perſoluantur, per Eccleſiæ pollutionem, cenſentur legitimè impediti.

Sextò; Canonicum Irregularem, præciſe ob irregularitatem, non priuari diſtributionibus. Tum quia hic, non eſt effectus irregularitatis, ſicut eſt effectus excommunicationis. Tum quia irregularis, licitè intereſſe poteſt diuinis officijs; Ergo etiam percipere diſtributiones illis reſpondentes; Cum enim Irregularitas, impediat ſolùm ordinum ſuſceptionem, & exercitium, non impedit officiorum diuinorum celebrationem, & aſſiſtentiam in Choro; Ergo neque diſtributionum conſecutionem impediet. 21

QVAESTIO XLI.

An iuſta excommunicatio, ſit impedimentum ſufficienter excuſans à Legis obligatione.

CASVS.

1 TITIVS, cum in excommunicationem Bullæ Cœnæ, propter libri hæretici, hæreſim continentis, lectionem, incidiſſet; Quia ad eius abſolutionem obtinendam, aliquæ requirebantur expenſæ eam procurare neglexit, ideoque in excommunicationem, duobus integris annis, permanſit, in quibus propterea, præceptis annuæ Confeſſionis, ac Communionis ſatisfacere non potuit. Quæritur; Vtrum hæc Sacramenta omittendo, mortaliter peccauerit.

SVMMARIVM.

2 *Excommunicatus, annuam Confeſſionem, ac Communionem omittendo, non videtur mortaliter peccaſſe.*

3 *Præceptum annuæ confeſſionis obligat ſolùm non impeditos.*

4 *Sicut præceptum de Sacro, diebus feſtis, audiendo.*

5 *Alioquin neceſſitaretur quis ad peccandum.*

6 *Excommunicatio, eximit, per modum pœnæ.*

7 *Et eſt impedimentum, ſicut infirmitas.*

8 *Peccat tamen excommunicatus, ea Sacramenta omittendo.*

Digitized by Google

9 *Praeceptum annuæ Confeſſionis, obligat ad impedimenta remouenda.*
10 *Eſt præceptum partialiter diuinum.*
11 *Et maius, quam præceptum à Fidelium communione abſtinendi.*
12 *Excommunicatio, non eſt impedimentum legitimum.*
14 *Datur obligatio procurandi abſolutionem.*
16 *Cum hoc, à noſtrâ diligentiâ pendeat moraliter.*
17 *Qui tenetur ad finem, qualiter teneatur ad media.*
18 *Venator & Peregrinus, contra Ieiunij præceptum non peccant.*
29 *Domum cuſtodiens, omittendo Sacrum, die feſto, non peccat.*
20 *Breuiarium ſine iuſtâ causâ proijciens, peccat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 DE eadem excommunicatione dubitari poteſt. An ſit impedimentum ſufficiens ad excuſandum à legis obligatione. Videtur enim eſſe; & conſequenter Titium, ratione illius, Sacramenta in Paſchate omittendo, mortaliter non peccaſſe. Ita *Henriqu. lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. *Sayrus lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. *Medina* 1. 2. *qu.* 77. *artic.* 7. *& in ſumm. præc.* 3. *cap.* 14. *Vgolinus tab.* 1. *cap.* 13. §. 12.

3 Primò; Quia præcepta annuæ Confeſſionis, ac Communionis, obligant ſolùm non impeditos; ſi quis enim apud Infideles per biennium in carcere detentus, annuam confeſſionem, & communionem omitteret, non propterea contra ea præcepta mortaliter peccaret; Tum quia eſſet per carcerem legitimè impeditus. Tum quia ad impoſſibile nemo tenetur. Titius autem fuit per cenſuram legitimè impeditus; Hæc enim illum priuat communione Fidelium in Diuinis, & conſequenter omnium Sacramentorum perceptione.

Secundò; Quia, non minus datur præceptum Eccleſiaſticum de audiendo Sacro in die feſto, quam de annuâ Confeſſione, ac Communione. Sed Titius, ratione cenſuræ, excuſatur à Sacri auditione in die feſto; Ergo excuſabitur etiam à Confeſſione. Non minus enim, excommunicatio eſt impedimentum reſpectu vnius, quam reſpectu alterius, cum, eodem modo vtrumque prohibeat. 4

Tertiò; Quia, ſi excommunicatio illum non excuſaret ab annuâ Confeſſione, ſicut excuſat à Miſſæ auditione in die feſto; ſequeretur quod Titius fuiſſet omnino coactus ad peccandum; Illud enim vitare non potuiſſet; Nam peccaſſet confitendo, quia feciſſet contra prohibitionem Eccleſiæ de non communicando cum Fidelibus in diuinis; & peccaſſet, Confeſſionem omittendo, quia feciſſet contra præceptum annuæ Confeſſionis; Ne igitur dicamus, Titium fuiſſe obligatum ad Confeſſionem, quam ſine peccato facere non poterat; dicendum omnino videtur, eum, ob excommunicationis impedimentum, ab annuâ Confeſſione fuiſſe excuſatum. 5

Quartò; Quia Excommunicatus per excommunicationem, eximitur ab onere Confeſſionis, non per modum priuilegij, ſed per modum oneris, in pœnam delicti. Nemo autem obligatur ad id, quod licitè præſtare non poteſt; Cum ergo Titius, ob excommunicationem licitè confiteri non poſſet, à Confeſſionis onere fuit exemptus. 6

Quintò;

7 Quintò; Quia Infirmus, vel in carcere detentus apud Infideles, quamuis negligens ſit in valetudine, aut libertate procurandâ, non peccat contra præceptum annuæ Confeſſionis; ſicut nec peccat contra præceptum audiendi Miſſam in die feſto; Ergo neque peccauit Titius, quamuis in obtinenda excommunicationis abſolutione negligens fuerit.

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur tamen, his non obſtantibus; Titium, Sacramenta omittendo, mortaliter peccaſſe; ſi negligentia in procuranda abſolutione, fuit notabilis. *P. Nauarr. cap.* **21.** *num.* **34.** *Auila par.* **2.** *cap.* **6.** *diſp.* **4.** *d.* **7.** *Coninch. diſp.* **14.** *d.* **7.** *num.* **16.** *Bonac. de cenſ. diſp.* **2.** *quæſt.* **2.** *pun.* **3.** §. **1.** *num,* **4.** *& de Sacram. diſp.* **4.** *qu. vlt. num.* **22.** *Sanchez lib.* **1.** *in dec. cap.* **15.** *num.* **4.** *Salas* **1.** **2.** *quæſt.* **71.** *tr.* **13.** *d.* **2.** *ſ.* **9.** *nu.* **11.** & alij communiter.

9 Primò; Quia præceptum annuæ Confeſſionis, non ſolùm obligat ad ipſam Confeſſionem tanquam ad finem, ſed etiam ad remouenda impedimenta; eius obſeruantiam impedientia; Sic enim quodlibet præceptum, non ſolùm prohibet ſui transgreſſionem, & peccatum, ſed etiam periculum transgreſſionis Et omne præceptum obligans ad finem, cenſetur etiam eo ipſo obligare ad ponenda media ad illum finem neceſſaria. Sed excommunicatio, erat impedimentum impediens Titio obſeruantiam præcepti de annua Confeſſione; Ergo illud auferre tenebatur abſolutionem procurando, ideoque eam notabiliter negligendo, contra præceptum annuæ confeſſionis mortaliter peccauit.

Secundò; Quia præceptum annuæ Confeſſionis, non eſt purè Eccleſiaſticum, ſicut eſt præceptum audiendi Sacrum, ſed partim Eccleſiaſticum, partim Diuinum: præceptum enim Confeſſionis, eſt Diuinum, cum fundetur in eius inſtitutione, quæ eſt Diuina, Nam Chriſtus, Confeſſionis Sacramentum ad peccatorum remiſſionem inſtituendo, eius etiam vſum præcepit. Eccleſiæ autem, huius præcepti obligationem ex ſe indeterminatam, determinauit ad annum & ad tempus Paſchale; Vnde præceptum, eſt diuinum, eius verò determinatio, eſt Eccleſiaſtica. Cum ergo, præcepta annuæ Confeſſionis, & Communionis, in Paſchatè, non ſint ſolùm Eccleſiaſtica, ſed etiam Diuina, Eccleſia per pœnam excommunicationis, tollere non potuit obligationem iuris Diuini, de Sacramentis recipiendis. Habebat ergo Titius obligationem Sacramenta recipiendi; ideoque etiam excommunicationis impedimentum remouendi, abſolutionem procurando. 10

Tertiò; Quia, quotieſcunque concurrunt duo præcepta incompoſſibilia, ſeruandum eſt id, quod maius eſt, & arctius obligat; Sed maius eſt præceptum annuæ Confeſſionis, quam præceptum abſtinendi à Communione Fidelium in diuinis, cum illud ſit Diuinum hoc Eccleſiaſticum; Ergo illud præferendum, ac obſeruandum eſt; ideoque tenebatur Titius, eius impedimentum remouere, abſolutionem procurando. 11

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam enim; Negatur, 12

Titium, per excommunicationem; fuiſſe legitimè impeditum; Cum enim abſolutionem procurare potuerit, & non procurauerit, cenſetur fuiſſe voluntariè impeditus. Impedimentum autem voluntarium, non eſt legitimum, nec ſufficiens ad excuſandum ab obligatione præcepti.

13 Ad ſecundam Reſpondetur; Diſparitatem eſſe, quia præceptum de Sacri auditione, eſt purè Eccleſiaſticum, ideoque cedere poteſt præcepto excommunicationis. At præceptum annuæ Confesſionis, eſt ſaltem partialiter diuinum, ideoque excommunicationis præcepto, quod eſt ſolùm Eccleſiaſticum, præualet.

14 Ad tertiam Reſpondetur; Titium à præcepto annuæ Confeſſionis obligari, non ad Confeſſionem faciendam in ſtatu excommunicationis, ſed ad procurandam abſolutionem, eàque obtentà, ad Confeſſionem faciendam; in quò, nulla eſt perplexitas, neque neceſſitas ad peccandum.

15 Ad quartam; Negatur, Titium per excommunicationem eximi ab onere Confeſſionis; Excommunicatio enim, cum ſit præceptum merè Eccleſiaſticum, tollere non poteſt obligationem præcepti Diuini, quale eſt præceptum Confeſſionis; ideoque relinquit obligationem ad procurandam abſolutionem, eàque obtenta, ad Confeſſionem faciendam.

16 Ad quintam; Negatur conſequentia, Diſparitas autem eſt, quia libertas ex carcere, vel ſanitas, non pendent ex diligentià in illis procurandis; quamuis enim diligentiſſimè procurentur, non tamen propterea ſequitur, quod debeant obtineri; Vnde diligentia, moralem connexionem non habet cum libertate, vel ſanitate; Ideoque infirmitas, & detentio in carcere, ſemper ſunt impedimentum inuoluntarium, & legitimum, quia illud tollere, non eſt in noſtra poteſtate. At abſolutio ab excommunicatione, moralem habet connexionem cum diligentià, ad illam obtinendam; Quicumque enim illam diligenter procurat, obtinet. Hinc ergo fit, vt negligentia in illà procurandà, reddat excommunicationem, impedimentum indirectè ſaltem voluntarium, quia illud tollere per diligentiam in procurandà abſolutione, eſt in noſtrà poteſtate. Si autem eſt voluntarium, iam non eſt legitimum, quia illud tollere poſſumus, & ex præcepto tenemur.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Axioma illud; Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, & ad remouenda impedimenta; intelligendum eſſe, per ſe loquendo de medijs commodis; & de impedimentis proximis; Quia præcepta, quæ obligant ad finem regulariter non obligant ad media difficilia, neque ad tollenda impedimenta remota; Poſſet tamen præceptum, eſſe adeo graue, vt obligaret etiam ad ponenda media difficilia, & ad tollenda impedimenta remota; Cum enim finis, ſit menſura cœterorum, quæ ſunt ad finem; eo ipſo, quod præceptum grauiter, & ſtricte obligat ad finem, obligat etiam ad media, quamuis difficilia, & ad tollenda impedimenta, quamuis remota. Ad cognoſcendum ergo num excuſandi ſint, qui præcepti executioni aliquod impedimentum apponunt, 17

nunt, conſideranda erit grauitas præcepti circa finem, propinquitas impedimenti, & vtilitas, vel neceſſitas illud apponendi; Ex his enim, facilè erit, de obligatione, aut excuſatione ſtatuere.

18 Secundò; Non peccare contra ieiunij præceptum, qui in venatione laborioſa, ex rationabili cauſa, ſuſcepta defatigatur, vel qui peregrinationem laborioſam ſuſcepit; ideoque ieiunare nequit. Tum quia peregrinatio, & venatio, non ſunt per ſe, & proximè cauſa fractionis ieiunij, ſed ſolùm per accidens; cum multi, peregrinationis, ac venationis tempore, ieiunent. Tum quia, præceptum ieiunij, non obligat ad abſtinendum à Venatione, vel peregrinatione, cum operationes iſtæ non ſint ex ſe incompoſſibiles cum ieiunio, licet, ob laborem ex illis conſurgentem, aliquis ſubinde ieiunare nequeat. Si quis tamen venationem, vel peregrinationem ſuſciperet, intentione ieiunium violandi, tunc peccaret; Tum ratione prauæ intentionis. Tum quia ſuſciperet in fraudem ieiunij; Quamuis non deſint etiam, qui à peccato excuſent eum, qui die ieiunij venationem ſuſcipit; ne eo die ieiunet; quia, cum præceptum ieiunij non obliget ad omittendam venationem; Vnusquisque habet ius, illam ſuſcipiendi, eàque mediante, liberandi ſe ab obligatione ieiunij, ſicut haberet ius petendi diſpenſationem, eàque mediante, ab eadem obligatione ſe eximendi.

Tertiò; Neque peccare, qui die feſto, domi ſe continet tempore Sacri, ad domum cuſtodiendam, vel ad curandum Infirmum. Tum quia, cum præceptum Charitatis erga Infirmum, fortius obliget, dat ius ponendi illud impedimentum ad Sacrum audiendum. Tum quia vtilitas, vel neceſſitas cuſtodiendi domum, videtur cauſa ſufficiens ad excuſandum à Sacri auditione, & conſequenter ad hoc impedimentum ponendum. 19

Quartò; Qui longo tempore nauigaturus, ſine iuſtà causà breuiarium proijcit in Mare, mortaliter peccare contra præceptum recitandi Officium Diuinum; quia per talem proiectionem, ponit impedimentum ad præcepti adimpletionem, nec vlla datur neceſſitas talis proiectionis; Si enim aliqua daretur iuſta cauſa, vel neceſſitas; tunc, illud proijciendo, non peccaret; Tum quia rationabiliter, ac prudenter operaretur; qui autem prudenter operatur, non peccat. Tum quia, iuſta cauſa à peccato excuſaret. 20

QVAE.

QVAESTIO LXII.

An iniuſta excommunicatio, à legis obligatione excuſet.

CASVS.

1 CANONICVS quidam, quamuis eſſet in Ciuitate, à Choro tamen abeſſe conſueuerat, Accidit autem, vt propter calumniam illi falsò impoſitam, & per Teſtes ſufficientes probatam, à ſuo Epiſcopo fuerit Excommunicatus, eàque de causà, tribus integris menſibus à Choro abſuerit; Quibus elapſis, detectà tandem calumnià, ab Epiſcopo fuit abſolutus. Quæritur; Vtrum recipere, ac exigere poſſit diſtributiones, illis tribus menſibus reſpondentes.

SVMMARIVM.

2 *Iniuſta excommunicatio, non videtur impedimentum ſufficiens Choro non aſſiſtendi.*

3 *Non eſt infirmitas, aut neceſſitas corporalis, vel Eccleſiæ vtilitas.*

4 *Præſertim poſità conſuetudine Choro non aſſiſtendi.*

5 *Iniuſtè excommunicatus, exigere poteſt diſtributiones Choro aſſiſtentibus debitas.*

6 *Pœnam ſubire non debet, cum non deliquerit.*

7 *Impedimentum, fuit neceſſarium.*

8 *Nec ob alterius actionem, damnum pati debet.*

9 *Abſentia à Choro, fuit coacta.*

10 *Et orta ex iniuſtà alterius actione.*

11 *Ei ſunt debitæ diſtributiones, quamuis alijs Canonicis iam collatæ.*

12 *Idemque, de beneficij fructibus dicendum eſt.*

RATIONES DVBITANDI.

SVpereſt adhuc difficultas de excommunicatione iniuſta, an ipſa ſaltem, eſſe poſſit impedimentum, legitimè excuſans à legis obligatione. Videtur enim non eſſe; ideoque Canonicum diſtributiones percipere non poſſe. Ita *Couarruuias. 3. Variarum; cap. 13. Henriqu. lib. 13. cap. 13. num. 4. Sà v. benef. num. 48.* 2

Primò; Quia vſu receptum videtur, vt diſtributiones ijs ſolùm conferantur, qui Diuinis Officijs interſunt, niſi abſint, vel ob infirmitatem, vel ob neceſſitatem corporalem, vel ob vtilitatem propriæ Eccleſiæ de conſenſu Capituli; ſic enim habetur *cap. Conſuetudinem; de Clerico non reſidente*. Canonicus autem, propter nullum horum abſuit. 3

Secundò; Quia, cum haberet conſuetudinem Choro non aſſiſtendi, ex eadem conſuetudine præſumitur abſuiſſe, non 4

verò

verò ex legitimo excommunicationis impedimento.

RESOLVTIO.

5 Reſpondetur tamen; Canonicum recipere, & exigere poſſe diſtributiones, tribus illis menſibus reſpondentes, *P. Nauarr. lib. 2. de reſt. cap. 2. n. 238. Auila par. 2. cap. 6. diſp. 6. dub. 1. concl. 1. Filliuc. tract. 12. cap. 5. num. 133. Moneta de diſtribut. par. 2. quæſt. 15. Bonacin. diſp. 2. quæſt. 2. pun. 4. §. 2. num. 5.* & alij communiter.

6 Primò; Quia, qui ante infirmitatem Choro aſſiſtere non ſolebat poteſt pro tempore Infirmitatis, diſtributiones percipere; In iure enim, abſolutè decernitur, Infirmum diſtributiones percipere poſſe; Ergo etiam, qui ante iniuſtam excommunicationem Choro non ſolebat aſſiſtere, poterit pro tempore quo ex iniuſtà excommunicatione abfuit, diſtributiones percipere; cum enim priuatio diſtributionum, ſit pœna, ſubeunda non videtur ab eo, qui non deliquit; *cap. Sicut dignum. de homicid.*

7 Secundò; Quia, quamuis Canonicus, conſuetudinem haberet Choro non aſſiſtendi, mutatà tamen voluntate, poterat intereſſe; & quamuis antea animum haberet non aſſiſtendi, deponere tamen talem animum poterat, eoque depoſito aſſiſtere, & ideo eius abſentia pro tunc punitur, quia poterat non abeſſe. At, poſita iniuſta excommunicatione, intereſſe non poterat, ſicut non poſſet; poſita infirmitate. Ergo quemadmodum propter abſentiam ex infirmitate, diſtributiones non amittit, ita neque illas amittet propter abſentiam ex iniuſtà excommunicatione; alioquin Eccleſia Innocentem puniret.

Tertiò; Quia nemo, abſque ſua culpà, damnum, aut incommodum, ob iniuſtam alterius actionem, pati debet, Si autem Canonicus diſtributiones percipere non poſſet, incommodum, ſine ſuà culpà, ex iniuſtà Calumniatorum actione, pateretur. 8

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Neque obſtant rationes in contrarium. 9
Ad primam enim Reſpondetur: Canonicum abſfuiſſe non liberè, ſed coactè, ob iniuſtam excommunicationem. Hoc autem ſufficit, vt diſtributiones percipere poſſit, ſicut poteſt, cùm coactè abeſt ob infirmitatem; ne innocens, ſine ſuà culpà, ob alterius iniuriam, damnum patiatur.

Ad ſecundam Reſpondetur; Maximam eſſe diſparitatem inter duas illas abſentias à Choro; Nam vna eſt libera, alia coacta, vna ex prauà conſuetudine, alia ex iniuſtà alterius actione. Potuit ergo iuſtè priuari diſtributionibus propter primam abſentiam, quia fuit culpabilis; non verò propter ſecundam, quia fuit ſine culpà, & nemo ſine culpà puniri debet. 10

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Poſſe hunc Canonicum, proprià innocentià detectà, diſtributiones repetere, licet eo tempore alijs Canonicis aſſiſtentibus fuerint collatæ; quia alij Canonici non acquiſierunt ius perfectum ad illas diſtributiones, ſed ſolùm imperfectum, & reuo- 11

renocabile; acquiſierunt enim ius ſolùm, ex ſuppoſitione culpabilis abſentiæ aliorum Canonicorum. Cum ergo Canonicus, culpabiliter non abſuerit nec per ipſum ſteterit, ſed fuerit legitimè impeditus, ad eius diſtributiones, nullum ius plenum, & irreuocabile acquiſiuerunt, ideoque illas reddere tenentur. Addit *Filliuc.* Canonicum, illas repetere poſſe etiam ab iniuſtis Accuſatoribus; Cum enim ipſi fuerint cauſa iniuſta illius damni, illud reſarcire tenentur. *Filliuc. n.* 133.

Secundò; Quod dictum eſt de diſtributionibus, dicendum etiam eſſe de fructibus, vel redditibus beneficij, Nam hi etiam, cognitâ excommunicationis iniuſtitiâ, repeti poſſunt ab eo, qui eos tenet, vel à Iudice; ſi enim hic malâ fide excommunicauit, eos in conſcientiâ reſtituere tenetur, quia fuit cauſa iniuſta talis damni; ratio eſt, quia cum eorum priuatio ſit pœna, eâ affici non debet, qui non deliquit. *Sayr. lib. 2. n.* 25. 12

QVAESTIO XLIII.

An voluntas Creditoris, ſit cauſa ſufficienter excuſans à Legis obligatione.

CASVS.

1 PRINCEPS quidam, obtentâ à Summo Pontifice excommunicatione contra Abbatem Lerinenſem, ſi intra tres menſes, debitam ei penſionem non ſolueret, eidem Abbati deinde enixè petenti; inſcio Pontifice, ſolutionis terminum prorogauit vſque ad ſex menſes; quibus elapſis, Abbas debitam penſionem ſoluit. Quæritur; Vtrum Abbas, cum penſionem; poſt tertium menſem non ſoluerit, in excommunicationem inciderit.

SVMMARIVM.

2 *Lex in gratiam alicuius lata, videtur ab eo ſuſpendi non poſſe.*
4 *Cum nullam habeat iuriſdictionem.*
5 *Verba Cenſuræ, efficiunt id, quod ſignificant.*
6 *Verè tamen ſuſpendi poteſt.*
7 *Superior, ſolùm intendit, vt illi ſatisfiat.*
8 *Huiuſmodi lex, eſt conditionalis.*
9 *Ille, in cuius gratiam lata eſt, legis materiam ſubtrahere poteſt.*
10 *Et obligationem ſuſpendere.*
11 *Sicque tollere contumaciam, ac delictum.*
12 *Et legis effectum, non directè ac poteſtatiuè, ſed indirectè.*

13 *Per*

13 *Per actum dominij.*
14 *Verba Cenſuræ, faciunt id, quod ſignificant iuxta Superioris voluntatem.*
15 *Per debiti prorogationem, legis violatio impeditur.*
16 *Qui, poſt terminum præfixum non ſoluit, legem violat.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm tres ſint Legis effectus; obligatio ad culpam, & ad pœnam, & irritatio actus contra ipſam legem facti. Quæri ſolet; an huiuſmodi effectus impediri aliquando poſſint; ſiue an dentur cauſæ ab hac obligatione contrahenda excuſantes. Certum eſt autem impotentiam, ignorantiam præſertim inuincibilem, & timorem, ac periculum grauis damni, in pleriſque legibus excuſare. Difficultas ergo ſolùm eſt: An, quando Lex in gratiam Tertij à Legiſlatore eſt lata, ab eo ſuſpendi poſſit, ita vt non niſi dependenter ab eius voluntate violetur. Videtur enim ſuſpendi non poſſe; & ideo Abbatem elapſo tertio menſe, in excommunicationem incidiſſe. Ita *Nauarrus cap. 27. num. 25. Syrus lib. 1. cap. 11. nu. 20. Vgolin. tab. 1. cap. 80. §. 6. num. 5.*

3 Primò; Quia Abbas, intra tres menſes à Summo Pontifice conſtitutos, penſionem non ſoluit, nec Princeps creditor, ſolutionis terminum prorogando, effectum excommunicationis differre poterat, cum iuriſdictionem non haberet ad tollendam ſententiam à Pontifice latam. Ergo Abbas, poſt tertium menſem, excommunicationem contraxit.

4 Secundò; Quia, Suſpendere cenſuram, eſt actus iuriſdictionis, ſicut eſt, illam ferre; ſed Princeps creditor nullam habebat iuriſdictionem; tota enim erat penes Pontificem, qui tulit præceptum. Ergo ſuſpendere non poterat excommunicationem à Pontifice latam contra Abbatem, ſi intra tres menſes, non ſolueret. Cum ergo Abbas ſupponatur intra illum terminum non ſoluiſſe, conſequenter fecit contra Pontificis præceptum, & in excommunicationem incidit; Princeps enim, per ſuam prorogationem, illam impedire non potuit.

Tertiò; Quia, Verba cenſuræ, ſiue præcepti, ſunt efficacia, & faciunt id, quod ſignificant; Verba enim legis, non minus ſunt efficacia ad ligandum, quam verba contractus ad obligandum, vel formæ Sacramentorum ad Sacramenta conficienda. Cum ergo verba excommunicationis à Principe creditore obtenta contra Abbatem, ſignificent, illum excommunicatione ligari, ſi intra tres menſes penſionem non ſoluerit; illa verè ligatus fuit, intra præfixum terminum non ſoluendo, etiam ſi illi, dilatio, ac prorogatio termini, à Principe creditore conceſſa fuerit; hic enim, per ſui prorogationem, eorum vim, & efficaciam tollere non potuit, cum iuriſdictionem non haberet, & verba ab hac, totam ſuam habeant efficaciam. 5

RESOLVTIO.

RESpondetur tamen; Abbatem in excommunicationem non incidiſſe. *Suarez diſp. 3. ſ. 6. num. 8. Filliucius tract. 11. c. 3. quæſt. 12. num. 80. Coninch. d. 14. d. 16. num. 199. Henriq. lib. 13.* 6

cap. 10. Hurtadus tract. de cenſ. diſſic. 26. Caſtropal. de cenſ. diſ. 1. pun. 8. num. 5. & alij apud iſtos.

7 Primò; Quia, licèt Abbas videatur feciſſe contra verba præcepti Pontificij, non tamen fecit contra Pontificis voluntatem, ac mentem; Pontifex enim, cum præceptum tulerit ſolùm in gratiam, ac fauorem Principis creditoris, hanc ſolùm voluntatem habuit, vt ipſi ſatisfieret; Vnde per præceptum Abbatem obligare noluit, niſi iuxta voluntatem, ac intentionem ipſius Principis creditoris; ſic enim illi fiebat ſatis. Cum ergo Princeps creditor, Abbatem obligare noluerit ante terminum à ſe prorogatum, ſequitur, neque Pontificem, illum ante eumdem terminum obligare voluiſſe, ideoque Abbatem, ante illum terminum non ſoluendo, in excommunicationem non incidiſſe.

8 Secundò; Quia, Excommunicatio à Principe creditore contra Abbatem obtenta, hanc tacitam conditionem continere cenſetur niſi Abbas intra tres menſes ſoluat, volente Principe; Cum enim in gratiam Principis lata fuerit, congruum erat, vt dependenter ſolùm ab eiuſdem Principis voluntate efficaciam haberet. Cum ergo Princeps, dilationem concedendo, nolit Abbatem intra tres illos menſes ſoluere, ſed ſolùm intra ſex, ſequitur, Abbatem intra tres menſes non ſoluendo, excommunicationem non incurriſſe.

9 Tertiò; Quia potuit Princeps, penſionem Abbati condonando, tollere excommunicationem à Pontifice latam contra illum, ſubtrahendo materiam præcepti; ergo potuit eiam, ſolutionis terminum prorogando, eamdem excommunicationem ſuſpendere; ſicut enim ſe habet condonatio ad excommunicationem tollendam, ita ſe habet termini prorogatio, ad illam ſuſpendendam, Si ergo condonatio, illam tollere poteſt, cur prorogatio ſuſpendere non poterit; Sicut enim debiti condonatio facit, vt debitor non ſit amplius debitor, ita termini prorogatio facit, vt debitor pro tempore prorogationis non ſit debitor, cum pro eo tempora à creditore per prorogationem ſuſpendatur debiti obligatio, ſicut per condonationem omnino tollitur.

Quartò; Quia, ſicut ceſſante cauſa excommunicationis, ceſſat excommunicatio, ita, ſuſpensâ causâ excommunicationis pro aliquo tempore, pro eodem ſuſpenditur excommunicatio; eadem enim eſt ratio ceſſationis, ac ſuſpenſionis Sed debitum eſt vnica cauſa, & materia excommunicationis; ergo ſicut, illa ceſſante per condonationem, ceſſat excommunicatio, ita illo per termini prorogationem ſuſpenſo, ſuſpendetur pro eo tempore excommunicatio. Cum ergo à Principe fuerit Abbati, termini prorogatio conceſſa, fuit conſequenter pro eo tempore ſuſpenſa excommunicatio; ideoque Abbas non ſoluendo intra tres menſes, in illam non incidit. 10

Quintò; Quia Excommunicatio fertur propter contumaciam. Abbas autem, intra terminum conceſſæ dilationis non ſoluendo, non eſt contumax; pro eo enim tempore non eſt debitor, nec pro eo tempore obligatur ad ſoluendum; cum ergo pro tempore conceſſæ dilationis non detur obligatio ſoluendi, quæ eſt materia contumaciæ, conſequenter nec dabitur contumacia, nec excommunicatio. 11

OBIE-

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes autem in contrarium reſpondetur; Ad primam; Principem, licet excommunicationis effectum differre non poſſit poteſtatiuè, ac directè, ob defectum iuriſdictionis, illum tamen differre potuiſſe indirectè, cauſam excommunicationis ſuſpendendo per debiti prorogationem; ſicut enim debitum condonando, illum tollere omnino poterat, ita debitum ſuſpendendo, ac differendo, illum potuit differre.

13 Ad ſecundam Reſpondetur; ſuſpendere excommunicationem directè, ac poteſtatiuè, eſſe actum iuriſdictionis, ſuſpendere verò indirectè, per ſubtractionem materiæ, & debiti condonationem, eſſe actum dominij. Hunc autem actum exercere poteſt creditor, cum ſit dominus ſui crediti, illudque pro libito debitori condonare poſſit, quamuis iuriſdictionem non habeat. Sicut ergo Pater, & Superior, quia ſunt domini voluntatis filiorum impuberum, & Subditorum, eorum vota indirectè irritare poſſunt, quamuis iuriſdictionem non habeant, per actum dominij, & per ſubtractionem materiæ voti; ita poteſt creditor quamuis iuriſdictionem non habeat, debitum condonando, abſolutè liberare debitorem à cenſurâ, vel debitum prorogando illum liberare ad tempus.

14 Ad tertiam reſpondetur; Verba cenſuræ facere id, quod ſignificant, non abſolutè, ſed dependenter ſolùm à voluntate, ac intentione Superioris; Superior autem cenſetur nolle debitores obligare plus quam creditor velit, cum in eius ſolùm gratiam, ac fauorem obliget debitores. Si ergo creditor, terminum prorogando, non vult debitorem intra illum terminum obligari ad ſoluendum, conſequenter neque Superior illud vult, ideoque debitor intra illum terminum non ſoluendo, in excommunicationem non incidit.

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; Quæ dicta ſunt; locum habere ſolùm, quando excommunicatio, lata eſt purè in fauorem illius, qui dominium habet ac poteſtatem debitum condonandi, vel prorogandi; tunc enim per condonationem, aut prorogationem tollitur cauſa adæquata excommunicationis, & conſequenter etiam excommunicatio. At verò, ſi excommunicatio, non ſit lata ſolùm in fauorem creditoris, ſed etiam propter aliquem alium finem à Superiore intentum; tunc, ad differendum eius effectum, non ſatis erit conſenſus creditoris ad terminum differendum, quia, etiam ceſſante debito, adhuc remanebit alius finis à Superiore intentus, à quo excommunicatio dependet. 15

Secundò; Eum, qui poſt terminum longiorem ex conſenſu creditoris præfixum, non ſoluit, excommunicationem incurrere, quia verè ponit delictum ſub excommunicatione prohibitum, ſiue conditionem, ſub quâ lata erat excommunicatio; hoc eſt omiſſionem ſolutionis, inuito creditore; Excommunicatio enim; cum ſit lata in gratiam creditoris, obligare videtur ad non differendam ſolutionem vltra terminum in eâ præfixum, inuito creditore. Ergo eo ipſo quod creditor incipit eſſe inuitus, iam ponitur 16

conditio requiſita ad excommunicationem incurrendam, quia iam vltra terminum à Superiore præfixum differtur ſolutio, inuito creditore.

QVAESTIO XLIV.

A quo tolli poſſint cenſuræ, in mortis articulo.

CASVS.

1 TITIVS, propter lectionem librorum hæreticorum, hæreſim continentium, in excommunicationem Bullæ Cœnæ inciderat. Poſt tres autem menſes cum in morbum acutum incidiſſet, & à Medico audiſſet, ſe eſſe in periculo mortis iam conſtitutum; omiſſo proprio Parocho, ſimplicem quendam Sacerdotem, cui confidebat, accerſiuit, eique & excommunicationem, & omnia ſua peccata confeſſus eſt, & ab eo abſolutionem obtinuit, quamuis in eà Ciuitate, eſſet Epiſcopus, ad quem pro excommunicationis abſolutione facilè recurri poterat, & plures etiam Religioſi, priuilegium habentes à caſibus Epiſcopalibus abſoluendi. Quæritur; Vtrum validè fuerit abſolutus.

SVMMARIVM.

2 *Cenſura, ſine abſolutione, tolli non poteſt.*
3 *Non qualibet cenſura à quolibet tolli poteſt.*
4 *Simplex Sacerdos, in mortis articulo, non videtur à cenſuris reſeruatis abſoluere poſſe.*
5 *Ei non conceditur facultas, niſi in abſentià proprij Sacerdotis.*
6 *Tunc ſolùm datur neceſſitas.*
7 *Extra quam, quærenda eſt abſolutio à poteſtatem Habente.*
8 *Verè tamen tunc, ſimplex Sacerdos, abſoluere poteſt.*
9 *Tridentinum, omnibus pro eo articulo facultatem concedit.*
10 *Et facultas, eſt generalis, & abſoluta.*
11 *Et eſt in fauorem animarum, ideoque extendenda.*
12 *Sicut eſt facultas Epiſcopis conceſſa abſoluendi à caſibus papalibus occultis.*
13 *Aliàs eſſet addita limitatio.*
14 *Pro eo articulo, nulla eſt reſeruatio.*
16 *Neceſſitas, fuit cauſa ſolum impellens ad hanc facultatem concedendam.*
17 *Pænitens, in eo articulo, nullam habet obligationem Superiori ſe præſentandi.*

Digitized by Google

18 *Regulares priuilegiati, ex duplici capite tunc abſoluere poſſunt.*

19 *Quid intelligatur, per mortis articulum.*

20 *A quibus abſoluere tunc non poteſt ſimplex Sacerdos.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Certum eſt primò; Cenſuram ſemel contractam non niſi abſolutione tolli poſſe; Sicut enim imponi non poteſt, niſi à poteſtate ligandi tradita Petro; ita ſemel contracta tolli non poteſt, niſi à poteſtate ſoluendi, eidem ſimiliter tradita. Quod ſi aliquando, ſine abſolutione tolli videtur; vt cum Iudex, ſub hac forma cenſuram profert. *Sub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda tibi præcipimus, vt debitum Titij, intra tres dies, ſoluas, ſisque excommunicatus quouſque ſatisfacias.* In quo caſu, veriùs eſt, Debitorem, poſitâ ſatisfactione, fieri ſtatim liberum à cenſura. Verè tamen, tunc etiam, ſine abſolutione non tollitur; quia verba cenſuræ, eam implicitè continent; Hunc enim ſenſum faciunt; Si intra tres dies non ſatisfeceris, cenſuram incurras, à qua non niſi ſatisfactione poſita ſis abſolutus. Nam, cum verba illa; *quouſque ſatisfeceris*; aliquem effectum habere debeant; ne ſint inutiliter poſita; & cenſura ſemel contracta, de ſe ſit perpetua; alium effectum habere non poſſunt, quam effectum abſolutionis. Hoc autem eſt, virtualiter, ac implicitè abſolutionem continere.

3 Certum eſt ſecundò; Non quamlibet cenſuram, per abſolutionem, à quolibet tolli poſſe; ſicut enim dantur peccata reſeruata, ita dantur etiam Cenſuræ reſeruatæ, quæ ſpecialem poteſtatem requirunt, vt tollantur. Quæſtio igitur eſt primò; An Cenſuræ, per abſolutionem, à quolibet Sacerdote, in mortis articulo tolli poſſint. Secundò; quibus modis, extra illum articulum, tolli poſſint, à legitimam poteſtatem habente.

Et pro mortis quidem articulo, quæſtio celebris eſt. An ſimplex Sacerdos, à Cenſuris reſeruatis Morientem abſoluere poſſit, quando adeſt Parochus, aut alius Sacerdos, ab illis ex priuilegio abſoluere potens; Quod enim non poſſit; & conſequenter, quod Titius, ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, à ſimplici Sacerdote, validè abſolutus non fuerit. Tenent *Sanchez lib. 3. ſumm. c. 15. num. 7. Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 26. ſect. 4. num. 4. & tom. 5. diſp. 22. ſect. 1. num. 62. Valent. tom. 4. diſp. 7. quæſt. 10. pun. 2. colum. 6. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 19. qu. 5. Molina tom. 4. diſp. 63. num. 2. Coninch. d. 8. de pœn. dub. 12. num. 90.* 4

5 Primò; Quia ſimplex ille Sacerdos, facultatem non habebat illum abſoluendi; hæc enim facultas conceditur ſimplici Confeſſario ſolùm, quando non adeſt copia Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis: ſed tunc aderant plures habentes facultatem abſoluendi à reſeruatis; erat enim primò Epiſcopus, ad quem facilis erat recurſus, qui iure ſuo, hanc facultatem habebat *ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.* eo quod excommunicatio eſſet occulta. Secundo; Erant Regulares omnes priuilegiati; Hi enim etiam, ex priuilegio, abſoluere poſſunt ab omni-

omnibus caſibus Epiſcopo reſeruatis à iure; Caſus autem papales, qualis erat excommunicatio à Titio contracta, quandiu ſunt occulti, per *Trid.* ſunt facti Epiſcopales. Ergo ſimplex Sacerdos facultatem non habebat illum abſoluendi.

6 Secundò; Quia Ratio, propter quam cuicumque Sacerdoti, pro eo periculo, fuit à iure conceſſa facultas à quibuſcumque cenſuris abſoluendi, fuit neceſſitas, ne ſcilicet Pœnitens, in mortis periculo conſtitutus, ob defectum Confeſſarij illum abſoluere potentis, periret. Sed quando patet aditus ad Superiorem, vel ad alium Confeſſarium habentem facultatem abſoluendi, non datur hæc neceſſitas. Ergo, quando datur copia Superioris, vel alterius habentis facultatem abſoluendi, ſimplex Sacerdos, non cenſetur hanc facultatem habere. Tunc autem, facilè poterat Titius Religioſos priuilegiatos accerſere.

7 Tertiò; Quia Sacerdos in articulo mortis abſoluens, imponere debet Pœnitenti, vt, eo periculo elapſo, quam primùm commodè poteſt, legitimo Superiori ſe præſentet; Sed quando adeſt copia Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis, tunc Pœnitens præſentare ſe poteſt Superiori; Ergo ad hoc tenetur, & ad hoc ante abſolutionem obligandus videtur à ſimplici Sacerdote; qui propterea tunc facultatem illum abſoluendi non habet

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur tamen; Titium validè fuiſſe abſolutum. *Henriquez lib. 6. de pœn. cap.* 11. *num.* 4. *& cap.* 12. *num.* 1. *ad finem. Sà v. abſolutio num.* 2. *Rodriquez. par.* 1. *cap.* 59. *concluſ.* 3. *P. Ledeſma de Sacr. pœn. cap.* 14. *poſt.* 1. *concl. diffic.* 2. *Nauarrus lib.* 5. *conſ. tit. de pœn. & rem in prima edit. conſ.* 15. *num.* 2. *& in ſecunda conſ.* 23. *num.* 2. & alij communiter.

Primò; Quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. 9
cap. 7. pro mortis articulo, omnibus Sacerdotibus abſolutè facultatem concedit, quoslibet Pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluendi. Sed Titius tunc erat in mortis articulo conſtitutus. Ergo ſimplex Sacerdos abſolutè illum abſoluere poterat.

Secundò; Quia facultas abſoluendi pro 10
mortis articulo à Tridentino conceſſa, eſt abſoluta, generalis, & ſine vlla limitatione, ac reſtrictione; Ergo abſolutè, generaliter, & ſine vlla reſtrictione, eſt intelligenda. Siue ergo adſit, ſiue non adſit copia Confeſſarij potentis abſoluere à reſeruatis, quilibet ſimplex Sacerdos in eo articulo facultatem habet abſoluendi; facultas enim, cum ſit abſolutè conceſſa, eſt omnino independens à præſentiâ, vel abſentiâ alterius Confeſſarij facultatem reſeruatorum habentis; Vnde non licet nobis hanc addere limitationem, cum præſertim hæc limitatio ad animæ ſalutem non expediat.

Tertiò; Quia hæc facultas abſoluendi, 11
eſt in fauorem animarum, ne pereant; Ergo, quantum fieri poteſt, eſt extendenda. Si enim lex pœnalis, quando eſt lata principaliter in fauorem animarum, ad occurrendum ſcilicet peccatis, & ſcandalis, tanquam fauorabilis eſt extendenda; Vnde lex, ſub excommunicatione prohibens colloquium cum Monialibus, communiter extenditur etiam ad ſimplicem

cem allocutionem, quamuis ipſa Monialis nihil reſpondeat; multò magis extendenda erit facultas abſoluendi in mortis articulo, à Tridentino omnibus Sacerdotibus conceſſa, ita vt illis conueniat, non ſolùm in abſentiâ, ſed etiam in præſentiâ Confeſſarij alias facultatem reſeruatorum habentis.

12 Quartò: Quia Tridentinum, non minus abſolutè, in mortis articulo, omnibus Sacerdotibus facultatem concedit ab omnibus peccatis, ac cenſuris abſoluendi; quam *ſeſſ.* 24. cap. 6. concedat Epiſcopis facultatem abſoluendi à quibuſcumque caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis. Sed Epiſcopi, hanc facultatem habent etiam præſente Pontifice. Ergo etiam ſimplex Sacerdos, in mortis articulo, facultatem habet abſoluendi, etiam præſente Superiore, vel alio facultatem reſeruatorum habente; nòn minus enim generaliter ſimplici Sacerdoti eſt conceſſa facultas pro mortis articulo, quam Epiſcopo pro caſu occulto.

13 Quintò: Quia, ſi Tridentinum concedere voluiſſet ſimplici Sacerdoti facultatem abſoluendi in mortis articulo, ſolùm cum limitatione, & in abſentiâ Confeſſarij facultatem reſeruatorum habentis, hanc reſtrictionem, ac limitationem addidiſſet; ſicut, quia limitare Epiſcopis voluit facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, ac ſuſpenſionibus prouenientibus ex delicto occulto; illis conceſſam & excludere irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario, & caſus ad forum contentioſum deductos, hoc totum expreſſit; Et paulò inferius, quia limitare eiſdem voluit facultatem eis conceſſam, abſoluendi à caſibus papalibus occultis non ſolùm per ſe, ſed etiam per alium, excepit crimen hæreſis occultæ, in quo, eis tantum, facultatem abſoluendi per ſe, & immediatè conceſſit, ſed non per alium. Cùm ergo Tridentinum facultatem omnibus Sacerdotibus abſolutè conceſſerit, in mortis articulo abſoluendi, nec vllam limitationem addiderit, dicendum eſt, eos abſolutè hanc facultatem habere, & ſine vllâ limitatione Ideoque validè abſoluere poſſe, etiam in præſentiâ Confeſſarij reſeruatorum facultatem habentis.

Sextò: Quia Tridentinum, pro eo articulo ita ſuſpendit reſervationem, vt nulla prorſus ſit reſeruatio. Sic enim habet *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. circa finem; *Ne occaſione reſeruationis aliquis pereat, in eâdem Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſeruatio in articulo mortis.* Sicut ergo extra illum articulum, nulla daretur reſeruatio, poſſet Pœnitens à quocumque Confeſſario pro libito abſolui, ſiue in abſentiâ, ſiue in præſentiâ Superioris, ita potuit Titius, in mortis articulo conſtitutus, à ſimplici Sacerdote abſolvi etiam in præſenriâ alterius Confeſſarij facultatem reſeruatorum habentis. 14

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes autem in contrarium reſpondetur. Ad primam; Negando maiorem; ſimplex enim Sacerdos, pro mortis articulo, facultatem habet abſolutè, & ſine vllâ limitatione abſoluendi à cenſuris reſeruatis, non minus quam Epiſcopus à caſibus papalibus occultis. 15

16 Ad ſecundam reſpondetur; primò, neceſſitatem fuiſſe cauſam ſolum impellentem ad facultatem abſolvendi, omnibus Sacerdotibus in mortis articulo concedendam; Nam cauſa finalis, fuit ſalus animarum. Ceſſante autem cauſâ ſolùm impulſivâ, ſicut non ceſſat lex, ita nec ceſſat priuilegium, aut facultas. Secundò; reſpondetur, quamuis neceſſitas fuerit occaſio talem facultatem concedendi, facultatem tamen fuiſſe abſolutè, & per verba generalia conceſſam; verba autem generalia, generaliter ſunt accipienda, præſertim in favorabilibus.

17 Ad tertiam reſpondetur; Pœnitentem, pro eo articulo, nullam habere obligationem præſentandi ſe Superiori, ſed illam habere ſolùm, quando eſt extra illum articulum; Vnde in eo articulo, licitè poteſt nolle Superiori ſe præſentare, ſicut poſſet, ſi cenſura nulli eſſet reſeruata; In eo enim articulo, nulla datur reſeruatio, ſed lex reſeruationis, pro eo tempore eſt omnino ſuſpenſa. Sicut ergo, ſi nulla daretur reſervatio; Pœnitens non eſſet obligandus ad ſe præſentandum Superiori, ita non videtur obligandus in mortis articulo.

COROLLARIA.

28 Colligitur ex dictis primò: Sacerdotes Regulares, & privilegiatos, in mortis articulo, ex duplici capite, abſoluere poſſe Pœnitentes à cenſuris, & caſibus reſervatis. Primò: Quia in eo articulo nulla datur caſuum, vel cenſurarum reſervatio ex Tridentino. Secundò: Virtute priuilegiorum, quæ habent. Quatenus abſoluunt ex primo titulo, Pœnitentem non liberant ab obligatione præſentandi ſe Superiori, eo periculo elapſo, ſub pœnâ reincidentiæ; Quatenus verò abſoluunt ſecundo titulo, & virtute ſuorum priuilegiorum, Pœnitentem ab hoc onere liberant; cum enim eum abſoluant, vt delegati Pontificis, ratione priuilegij Apoſtolici, quod habent, perinde eſt, ac ſi Pontifex ipſe eum abſolueret. Si autem Pontifex eum abſolueret, Pœnitens amplius ei ſe præſentare non teneretur.

Secundò: Nomine articuli mortis, intelligi non ſolùm mortis periculum proueniens ex infirmitate, ſed quodcumque probabile mortis periculum, quod contingit, quando adeſt dubium probabile de morte, quæ in eo euentu, vt plurimum, contingere ſoleat; Vt cum quis nauigationem periculoſam, vel iter prædonibus expoſitum ſuſcipere cogitur; vel cum fœmina eſt partui proxima, & aliàs non peperit, experta eſt, cum mortis periculo, ſe parere. 19

Tertiò, In Mortis articulo exiſtentem, à quolibet Sacerdote abſolui non poſſe ab irregularitate, aut ſuſpenſione ab ordine, officio, vel beneficio, ſicut poteſt ab excommunicatione, alijſq; cenſuris, quæ Sacramentorum ſuſceptionem impediunt. Ratio autem eſt, quia irregularitas, & ſuſpenſio gloriæ, ac ſalutis conſecutionem non retardant, ſicut retardaret excommunicatio. Exiſtentes autem in mortis periculo, ab ijs ſolùm cenſuris, à quolibet Sacerdote abſolui poſſunt, quarum occaſione, damnum aliquod ſpirituale paterentur, vel eorum ſalus periclitarentur; hunc enim finem exprimit Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7.* 20

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XLV.

A quo tolli poſſint peccata, in mortis articulo.

CASVS.

1 CUM die quadam, non longè à quadam domo campeſtri, duæ Proſcriptorum Acies ſibi inuicem occurriſſent, ſeque tormentis igneis inuaſiſſent; Vnus ex illis, globi ictu percuſſus, cecidit lethaliter vulneratus, ac morti proximus. In domo illà erat tunc fortè Sacerdos quidam, ob notoriam Clerici percuſſionem excommunicatus vitandus, qui eo ſe fugitiuus è Patrià receperat, donec abſolutionem, pro quà Romam iam miſerat, à Pontifice obtineret. Hic, audito ſtrepitu tormentorum, cum è feneſtrà Vulneratum vidiſſet in terrà iacentem, totumque ſanguine aſperſum, & vnam Aciem, alteram inſequentem, ſtatim occurrit; Vulneratoque vix ſemiuiuo abſolutionem petenti, cum alterius Sacerdotis ibi copia non eſſet, impendit. Quæritur; Vtrum abſolutio illa fuerit valida.

SUMMARIUM.

3 *Abſolutio, à Sacerdote vitando, in mortis articulo, data, videtur nulla.*

4 *Congregatio Card. S.Conc.Interpretum ita cenſuit.*

5 *Sacerdos vitandus, iuriſdictionem, neceſſariam non habebat.*

7 *Nec à Concilio Tridentino ei tunc conceditur.*

8 *AnteConcilium, communis opinio erat, quod non poſſet.*

9 *Nec Tridentinum comprehendere potuit niſi habiles.*

10 *Nec ipſe vllum habere poteſt Subditum.*

11 *Nec Eccleſia expreſſit, ſe ei tunc iuriſdictionem conferre.*

12 *Et videtur eſſe ſententia Sancti Thomæ.*

13 *Tridentinum, pro mortis articulo, omnibus Sacerdotibus iuriſdictionem concedit.*

14 *Nec ſtatuit nouum ius, ſed antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem confirmat.*

15 *Quænam eſſet tunc, interCatholicos, controuerſia.*

16 *Abſolutio, à Sacerdote vitando, in mortis articulo, data, fuit valida.*

17 *Iuriſdictionem ſufficientem habebat ex Tridentino.*

18 *Et ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine.*

19 *Erat enim pro eo articulo neceſſaria.*

20 *Magis quam extra mortis articulum in Sacerdote tolerato.*

21 *Eccleſia, tunc illam confert etiam ad abſoluendum Hæreticum.*

22 *Nec vlla eſt rationabilis cauſa tunc illam negandi.*

23 *S. Congreg. Decretum, non eſt authenticum.*

42 *Et loquitur ſolùm de adminiſtratione licita, non de valida.*

25 *Quilibet Sacerdos, tam ex iure, quàm ex conſuetudine, tunc abſoluere poteſt.*

26 *Præciſi tunc abſoluere poſſunt, ſicut irregularis.*

27 *Et quilibet, eo ipſo, quòd Characterem habet Sacerdotalem.*

28 *Sacerdos vitandus, ſolùm extra mortis articulum, nullum habet ſubditum.*

29 *S. Thomas loquitur ſolùm de adminiſtratione licita, non de valida.*

30 *Sola Eccleſiæ conſuetudo ſufficeret, ad iuriſdictionem pro eo articulo conferendam.*

31 *Pœnitentia miniſtrari non poteſt, niſi ex officio, ſecus autem Baptiſmus.*

32 *Si Sacerdos vitandus fuiſſet in ſtatu gratiæ, etiam licitè abſoluiſſet.*

33 *Si alius Sacerdos adfuiſſet, tunc eius abſolutio fuiſſet inualida.*

34 *Si Sacerdos non fuiſſet vitandus, ſed irregularis, fuiſſet valida, & licita.*

35 *In concurſu plurium Sacerdotum quis ordo ſeruandus ſit.*

36 *Quid intelligatur, per mortis articulum.*

37 *In quo caſu, in eo articulo abſtinendum eſſet à Confeſſione.*

38 *In articulo alterius neceſſitatis Eccleſia hanc iuriſdictionem non confert*

39 *Argumentum pro libera opinionis probabilis electione.*

40 *Obligans ad opinionem probabiliorem, ad quid teneatur.*

41 *Opinio, non eſt probabilior, quia videtur probabilior.*

RATIONES DVBITANDI.

2 Quamuis ex ijs, quæ de abſolutione à Cenſuris mortis articulo, *Quæſt. præced.* dicta ſunt, colligi facilè poſſit quid de abſolutione à peccatis dicendum ſit. Quia tamen de Excommunicato vitando, eſt peculiaris difficultas, & quæſtio eſt valdè celebris; illam peculiariter examinare, non erit inutile.

3 Abſolutio ergo à Sacerdote vitando data, aliquibus videtur fuiſſe nulla. Ita de hæreticis, ac Schiſmaticis ſentire videntur. *Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 4. Nauarrus cap. 26. n. 26. & Martinus Ledeſma 2. 2. qu. 21. art. 6.* quia, cum hi fide careant, quæ eſt fundamentum Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, carent etiam iuriſdictione; ad abſolutionis valorem neceſſaria. De alijs verò Excommunicatis vitandis, *Medina cap. De Confeſſione quæſt. 32. Couarruuias in cap. Alma mater par. 2.* §. 6. & aliqui recentiores.

4 Primò: Quia Congregatio Cardin. S. Concilij Interpretum, Interrogata ab Epiſcopo Valentinen. An quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus, Pœnitentes, in articulo mortis conſtitutos, in caſibus reſeruatis, abſoluere poſſet; Cenſuit, non poſſe; Quia communis opinio videtur illa; quod tales Excommunicati, etiam in hoc caſu neceſſitatis, non poſſint; citanturque pro eâ *S. Thom. S. Antoninus*, & alij. Sed Sacerdos ille erat vitandus, Ergo abſoluere vulne-

ratum non poterat; ideoque abſolutio illi data, fuit omnino nulla.

5 Secundò: Quia ad abſolutionis valorem, præter poteſtatem Ordinis, requiritur etiam poteſtas iuriſdictionis, cum abſolutio ſit actus iudicialis. Sed Sacerdos vitandus, illam non habebat; per excommunicationem enim, eâ fuerat priuatus. Ergo Vulneratum abſolvere validè non poterat.

6 Neque dicas; *Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7.* eam omnibus Sacerdotibus, in mortis articulo, tribuere: dum dicit; Omnes Sacerdotes, in mortis articulo, quoſcumque, à quibuſcumque peccatis abſoluere poſſe.

7 Nam Tridentinum, illis verbis; *Omnes Sacerdotes;* includere voluit ſolùm eos, qui iuriſdictionem habent, vel ordinariam, vel delegatam; Tum quia, de his ſolis egerat in primâ, & ſecundâ parte eiuſdem capitis. Tum quia addit; extra mortis articulum eos nihil poſſe in caſibus reſervatis; Hi autem, ſunt ſoli iuriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam habentes; Nam alij, nihil poſſunt etiam in caſibus non reſeruatis; Tum quia, cum titulus capitis ſit: *de caſuum reſeruatione;* In eo non agit de Sacerdotum iuriſdictione, niſi in ordine ad reservationem; Sacerdos autem vitandus, abſolvere non prohibetur ex vi reſervationis, ſed quia ab Eccleſia, eſt iuriſdictionis vſu priuatus. Tum denique, quia de poteſtate publicè Excommunicati ad abſolvendum in mortis articulo, erat controverſia inter Catholicos, tempore Concilij. Huius autem mos fuit, controuerſias, præſertim inſignes inter Catholicos, non definire. Ergo Sacerdos vitandus, ex vi Tridentini, nullam iuriſdictionem habebat; Ideoque eius abſolutio fuit nulla.

Tertiò; Quia ex eodem Tridentino: 8 *In Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in mortis articulo; ideoque omnes Sacerdotes, à quibuſuis peccatis quoſcumque abſoluere poſſint;* Sed in Eccleſiâ Dei minimè cuſtoditum ſemper fuit, vt Sacerdotes ab Eccleſiâ præciſi, abſolvere poſſent; Imò ante Concilium, communis opinio erat, quod non poſſent. Ergo Concilium, ſub illis verbis: *Omnes Sacerdotes;* noluit comprehendere ab Eccleſiâ præciſos, ſed ſolùm aliquam iuriſdictionem habentes, iuxta ſubiectam materiam reſeruationis; Ideoque Sacerdos vitandus, ex vi Tridentini, Vulneratum validè abſoluere non poterat.

Quartò: Quia Tridentinum, ſub illis 9 verbis; *Omnes Sacerdotes.* Comprehendere non potuit, niſi habiles, ac iuriſdictionis capaces; ſic enim, *in L. in prouincialis. §. fin. iunctâ L. ſequ. ff. de operis noui nunciatione*; habetur. Omnes Ciues opus nouum nunciare poſſe, quia Reipublicæ intereſt, quam plurimos ad defendendam ſuam cauſam admitti. Et tamen verba illa, *Omnes Ciues*, reſtringuntur ad habiles; vnde Pupillus, & Mulier excluduntur. Similiter, cum in *L. 1. cap. de Sacr. Eccleſiis*; habeat vnuſquiſque licentiam relinquendi Eccleſijs; Verbum *vnuſquiſque*, reſtringitur ad habiles ad teſtandum. Sed Sacerdos vitandus, per excomunicationem, redditus erat omnino inhabilis ad iuriſdictionem

Digitized by Google

exercendam. Ergo à Tridentino comprehendi ibi non potuit; ideoque eius abſolutio fuit inualida.

10 Quintò: Quia Sacerdos vitandus, cum à Fidelium communione ſit ſeparatus; nullum habere poteſt Subditum, ac Pœnitentem, in quem iuriſdictionem exerceat. Ergo nec poteſtatem aliquam iuriſdictionis exercere poteſt, nec quemquam iudicare, ac ſolvere, vel ligare. Sine iuriſdictione autem abſolutio, cum ſit actus iudicialis, nullius eſt momenti, *ex Tridentino ibi.*

11 Neque dici poteſt; Eccleſiam, pro mortis articulo, iuriſdictionem conferre. Nam, ſi eam conferre voluiſſet; expreſſiſſet; ſicut expreſſit de Sacerdote ad Confeſſiones audiendas non expoſito; *in cap. Presbyter 26. quaſt.6.* & alibi. Cum ergo non fecerit, cenſetur noluiſſe.

12 Sextò: Quia *S.Thom.3.par.quaſt.82. art. 7. ad. 2.* apertè docet ab Eccleſiâ præciſos, poſſe licitè baptizare in articulo neceſſitatis; In nullo autem caſu, licitè poſſe Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre. Ergo Eccleſia, noluit illis, etiam in articulo neceſſitatis, iuriſdictionem conferre; ſed, ſicut Chriſtus, lapſis poſt baptiſmum, noluit Pœnitentiæ remedium conferri poſſe per quoſcumque, ſed per ſolos Sacerdotes; ita ipſa conferri noluit per quoſcumque Sacerdotes, ſed per ſolos in Eccleſiæ vnitate viuentes.

NOTABILIA.

13 Aduertendum eſt primò: Tridentinum *ſeſſ.* 14.*cap* 7.cum generaliter definiuiſſet nullam eſſe Sacerdotis abſolutionem, ſi in Pœnitentem, aliquam iuriſdictionem non habeat; & Sacerdotes inferiores, in caſibus à Superiore reſeruatis, hanc non habere, ſic concluſiſſe: *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in mortis articulo. Atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes, à quibuſuis peccatis, ac cenſuris, abſoluere poſſunt.* Ubi triplex vniuerſalitas notanda eſt, nempè, Omnes Sacerdotes; quoslibet Pœnitentes; & à quibuſuis peccatis; hæc enim nihil relinquit excipiendum; Nam, ſicut ſecunda, comprehendit omnes prorſus Pœnitentes, etiam excommunicatos, vel Hæreticos &c. & tertia; Omnia peccata, quacumque cenſura, vel reſeruatione affecta; ita prima complectitur omnes prorſus Sacerdotes, quacumque cenſurâ, vel culpâ ligatos, ac etiam non approbatos. Ratio autem eſt primò; quia Tridentinum, Fidelibus in mortis articulo, ſummum fauorem præſtare voluit, quem pro animarum ſalute præſtare potuit; vt etiam inſinuauit ibi: *Ne aliquis pereat.* Hoc autem neutiquam præſtitiſſet, ſi cuicumque Sacerdoti, etiam Excommunicato, ac Hæretico, abſoluendi poteſtatem non dediſſet. Secundò: Quia nec Tridentinum, nec Eccleſia, Sacerdotibus iuriſdictionem abſolvendi, ſine causâ legitimâ, negare, vel auferre, aut limitare poteſt; cum hanc poteſtatem habuerit à Chriſto non in deſtructionem, ſed in ædificationem; In mortis autem articulo, vbi agitur de æternâ ſalute, nulla poteſt dari cauſa legitima hanc iuriſdictionem negandi, vel limitandi; punitio enim Sacerdotis delinquentis,

quæ

quæ ſola poſſet eſſe cauſa negandi, non-eſt bonum comparabile, cum bono æternæ ſalutis ipſius Morientis. Omnes ergo Sacerdotes comprehendere voluit Tridentinum, nullo excepto; Sicut enim omnem abſtulit limitationem iuriſdictionis per ea verba: *nulla eſt reſeruatio*, ita per illa, *Omnes Sacerdotes abſoluere poſſunt*; abſtulit omnem eiuſdem iuriſdictionis defectum; & ſicut initio capitis, generaliter diffiniuit; nullius prorſus Sacerdotis abſolutionem valere ſine iuriſdictione; ita in fine generaliter declarauit, omnes prorſus Sacerdotes, in mortis articulo, illam, ſine vllà limitatione, habere. Alioquin, ſi particula, *Omnes*; reſtringeretur ad ſolos Sacerdotes, ordinariam, vel delegatam iuriſdictionem habentes, excluderentur etiam non approbati, cum hi nullam habeant iusriſdictionem, etiam circa non reſeruata; quod tamen eſt contra totius Eccleſiæ ſenſum, ac praxim.

14 Aduertendum eſt ſecundò; Tridentinum, ibi non ſtatuere nouum ius, ſed antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem confirmare; vt apertè colligitur ex illis verbis: *In Eccleſià Dei cuſtoditum ſemper fuit*; Veteri autem conſuetudine receptum erat, vt in mortis articulo, omnes prorſus Sacerdotes, quoſcumque Pœnitentes, à quibuſuis peccatis, poſſint abſoluere; vt Concilium ipſum teſtatur. Nam *in cap. Presbyteri, Cauſa 26. q. 6.* in Sacerdotibus, vt in mortis articulo abſoluere poſſint, nihil aliud requiritur, quam Presbyterium, ſiue poteſtas ordinis, quæ neque per excommunicationem, neque per hæreſim, amittitur. Neque de hac poteſtate fuit vnquam controuerſia inter Catholicos; Omnes enim ſemper optimè nouerunt, Eccleſiam, pro illo articulo, nulli Sacerdoti iuriſdictionem negare poſſe, quin ſuà poteſtate in animarum perniciem, contra Chriſti voluntatem abutatur. Quod ſi Eccleſia, cuilibet Excommunicato vitando, in quolibet caſu neceſſitatis, non ſolùm Fidelium, ſed etiam ipſius Excommunicati, concedit, vt eam Fidelibus communicare poſſit, vt colligitur ex illo Carmine. *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*; quis credat, in extrema Fidelium morientium neceſſitate ſpirituali, hanc illi communicationem negare, eorumque æternam ſalutem tam parui facere, vt vnius delinquentis punitioni poſthabeat. Cum præſertim hæc iuriſdictionis conceſſio non ſit fauor ipſi Sacerdoti vitando factus, ſed Fidelibus in extremà abſolutionis neceſſitate conſtitutis. Quemadmodum ergo Eccleſia, ad euitanda ſcandala, & animarum periculum, in fauorem Fidelium, in Sacerdote tolerato, iuriſdictionem conſeruat; vt conſtat ex Concilio Conſtantienſi, *in cap. Ad euitanda*: Ita à fortiori illam, in mortis articulo, Sacerdoti vitando concedit. Sic enim & ſubuenit extremæ Fidelium neceſſitati ſpirituali, & vitat omnia ſcandala, & nullum inde ſequitur inconueniens.

Aduertendum eſt tertiò: Duplicem, ante Tridentinum, fuiſſe inter Catholicos controuerſiam. Prima erat; An Hæretici, Schiſmatici, & Excommunicati, in mortis articulo, abſoluere poſſint, cum non adeſt alius Sacerdos. Et de hac non agit *S. Thom. 3. par. qu. 82. art. 7.* vt ab aliquibus immerito citatur; 15

ibi

Ibi enim ſolùm docet, Hæreticum ſemper validè conſecrare, quia per hæreſim ordinis poteſtatem non amiſit; nunquam vero licitè, quia non eſt in ſtatu gratiæ, prout ad licitam conſecrationem requiritur. Inter Catholicos autem controuerſia non erat, an Hæretici validè tunc poſſint abſolvere; ſed hoc ſuppoſito; an poſſint licitè; aliqui enim volebant poſſe; quia tunc ceſſat Eccleſiæ prohibitio communicandi cum Fidelibus, ſicut ceſſat reſeruatio, ratione cuius eſt illicita abſolutio; Alii communiter nolebant; quia Hæreticus, tunc etiam eſt in ſtatu peccati mortalis. In hoc autem ſtatu, nunquam licet abſolvere. Secunda controuerſia erat; An Hæretici, Schiſmatici, & Excommunicati, in mortis articulo, etiam præſente proprio Sacerdote, validè morientem abſoluere poſſint. Et in hac, communis ſententia erat, non poſſe, quia, præſente proprio Sacerdote, ceſſat neceſſitas, propter quam ſolam Eccleſia illis iuriſdictionem concedit. Loquendo verò de alijs Sacerdotibus in Eccleſiæ vnitate viuentibus, licet multi propter eamdem rationem negarent, Sacerdotem nondum approbatum, vel irregularem poſſe; multi tamen etiam affirmabant poſſe. Quia Eccleſia *in cap. Presbyteri 26. quæſt. 6.* Ad abſoluendum in mortis articulo, poteſtatem confert indefinitè omnibus habentibus Presbyterium, nec vnum alteri præfert, aut poſtponit, nec aliud requirit, quam Presbyterium; poſt Tridentinum verò, longè plures; cùm Tridentinum declaret, omnes Sacerdotes, in mortis articulo, æqualis eſſe poteſtatis; nihilque in Sacerdotibus requirat præter Sacerdotium; nec vllam addat poteſtatis limitationem, aut diſtinctionem pro caſu abſentiæ, vel præſentiæ, alterius Sacerdotis, & cùm lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus. Vnde hanc ſententiam tenent *Ledeſma tom. 1. tract. de Pœnit. cap. 14. diffic. 2. Nauarr. lib. 5. conſ. tit. de pœn. & remiſſ. in 1. edit. conſ. 15. in 2. conſ. 23. num. 2. Vega, Henriq. & alij apud Sanchez lib. 2. ſum. cap. 13. num. 6. Barboſa de poteſtate Epiſcop. par. 2. alleg. 25. num. 51. Rodriguez par. 1. cap. 59. concl. 3 Emanuel Sà, v. Abſolutio num. 3. Comitolus, Reſp. mor. lib. 1. q. 22. num. 2. Angles, Villalobos, Zerola, Conradus*, & alij plures, quos refert, & ſequitur *Diana par. 1. tract. 5. reſ. 5.* Nulla ergo fuit vnquam inter Catholicos controuerſia; an Sacerdotes vitandi, in mortis articulo, validè Morientem abſolvere poſſint, quando non adeſt alius Sacerdos. Sed hoc in Eccleſiâ Dei fuit ſemper cuſtoditum, & ſuppoſitum tanquam omnino indubitatum. His poſitis,

RESOLUTIO.

AD Caſum Reſpondetur; Abſolutionem à Sacerdote vitando datam, fuiſſe validam. 16 Eſt ſententia, exceptis quibuſdam recentioribus, *cum Io. Medina, & Couarruuia*, de quibus etiam non ſatis conſtat ab omnibus Catholicis communiter recepta. Ita *S. Thomas 3. par. quæſt. 82 art. 7. S. Antoninus 3. par. cap. 18. tit. 14. §. 16. Paludan. in 4. diſp. 25. in fine. Nauarrus cap. 27. ſumm. num. 272. ſe retractans. Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 26. ſ. 4. n. 3.*

Digitized by Google

n. 3. Molina tom. 4. d. 63. num. 6. Valentia tom. 4. diſp. 7. qu. 10. pun. 2. Coninch. de pæn. diſp. 8. dub. 12. num. 90. & ferè omnes, qui videri poterunt apud *Sanchez lib. 2. cap. 13. Bonacinam d. Cenſ. d. 1. quæſt. 3. par. 3. num. 3. & Dianam p. 1. tract. 5. reſ. 5. & par. 4. tr. 4. reſ. 235. & par. 5. tract. 3. reſ. 57.* & alios.

17 Primò; Quia Tridentinum, loco citato declarat, omnes Sacerdotes vniuerſaliter, nullum excipiendo, in mortis articulo, abſoluere poſſe; ſicut quicumque Pœnitens, nullo excepto, abſolui poteſt; nec ad hanc poteſtatem aliud requirit, quam Sacerdotium; ſicut Euariſtus Papa, *in cap. Presbyteri 16. quæſt. 6.* Nihil aliud requirit, quàm Presbyterium. Sed ille, qui Vulnerato morienti abſolutionem impendit, erat Sacerdos, nec per excommunicationem, Ordinis poteſtatem amiſerat. Ergo eum abſoluere potuit; ideoque eius abſolutio fuit valida. Verba enim generalia generaliter ſunt accipienda, præſertim in fauorabilibus, cum fauores ſint ampliandi, & hic agatur de animæ fauore in ordine ad æternam ſalutem.

18 Secundò; Quia hanc eandem poteſtatem, etiam ante Tridentinum, omnes Sacerdotes, ex antiquiſſimâ, ac generali Eccleſiæ conſuetudine habebant, vt indicat idem Tridentinum ibi: *in Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuit*, & colligitur *ex d. cap. Presbyteri;* vbi ad hanc poteſtatem, ſolùm Presbyterium requiritur, & alibi. Ergo etiam, ex vi conſuetudinis Eccleſiaſticæ, Sacerdos vitandus validè Vulneratum morientem abſoluere potuit.

Tertiò; Quia, ſi Eccleſia, alicui 19
Sacerdoti in mortis articulo iuriſdictionem negaret ad abſoluendum, poteſtate ſibi à Chriſto traditâ vteretur, non in ædificationem, ſed in deſtructionem, ac animarum perniciem; denegatio enim iuriſdictionis ad abſoluendum in eo articulo, ſecum traheret periculum damnationis æternæ ipſius Morientis; cum actus contritionis in eo præſertim articulo, inter tot animi perturbationes, ſit valdè difficilis; & aliunde denegatio illa nullam aliam vtilitatem haberet, quàm Sacerdotis vitandi punitionem. Quis autem dicere audeat Eccleſiam, poteſtate ſibi à Chriſto traditâ ad animarum perniciem abuti? Fatendum ergo eſt, illam cuicumque Sacerdoti etiam vitando in eo articulo, iuriſdictionem neceſſariam conferre, atque adeo abſolutionem à Sacerdote vitando datam, fuiſſe validam.

Quartò; Quia Eccleſia *in Concilio* 20
Conſtantienſi, ad euitanda animarum pericula, in Sacerdote tolerato, iuriſdictionem conſeruat ad abſoluendum, etiam extra mortis articulum, & conſequenter quamuis ſalutis periculum, non ſit tam graue, ac imminens. Ergo à fortiori, in mortis articulo, ad euitandum maximum, ac imminens periculum damnationis æternæ ipſius Morientis, Sacerdoti vitando illam concedet; non minus enim vnus, quam alius, quantum eſt ex parte ipſorum, eſt ab Eccleſia præciſus, licet primus, in gratiam Fidelium, ſit toleratus etiam extra mortis articulum, & non ſecundus.

21 Quintò: Quia Eccleſia, etiam Hæretico in mortis articulo conſtituto, abſolutionis beneficium non negat, & ad hoc Sacerdoti quamuis non approbato iuriſdictionem concedit ad abſoluendum. Ergo multò minus hoc beneficium negabit Fideli, quamuis ad hoc iuriſdictionem Sacerdoti vitando concedere debeat; illam enim concedit, non in gratiam ipſius Sacerdotis, ſed Morientis.

22 Sextò: Quia nulla aſſignari poteſt iuſta, ac rationabilis cauſa, hanc iuriſdictionem Sacerdoti etiam præciſo, in eo articulo, denegandi; punitio enim ipſius Sacerdotis nunquam poteſt eſſe bonum æternæ Morientium ſaluti præponderans. Ergo ab Eccleſiâ nulli Sacerdoti in eo articulo denegatur.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

23 Neque oppoſita fundamenta vllius ſunt roboris. Nam ad primum reſpondetur; Primò: De illo Congregationis decreto non conſtare, quod à Gregorio XIII. fuerit approbatum, nec quod fuerit promulgatum; ideoque nullam auctoritatem habere; cum præſertim, Auctor ipſe, qui illud affert, initio ſuorum operum proteſtetur, huiuſmodi decreta, vel reſponſa, pro authenticis habenda non eſſe.

24 Reſpondetur tamen ſecundò: Decretum illud loqui ſolùm de Pœnitentiæ adminiſtratione licitâ, non validâ, & definire, quod Sacerdos vitandus, ac præciſus, quamuis validè, licitè tamen, etiam in eo articulo, abſoluere non poſſit; quia ſupponitur, eſſe in ſtatu peccati mortalis; in quo ſtatu, Pœnitentiæ Sacramentum in nullo caſu licitè conferri poteſt; Nititur enim decretum illud auctoritate *S. Thom. 3. par. quæſt. 82. art. 7.* S. Antonini, & aliorum; Hi autem Doctores apertiſſimè loquuntur ſolùm de Pœnitentiæ adminiſtratione, non validâ, ſed licitâ; vt eos legenti facilè conſtabit.

Ad ſecundum reſpondetur; Negando minorem. Quilibet enim Sacerdos, nemine excepto, in mortis articulo, tam ex iure, quam ex conſuetudine, poteſtatem habet abſoluendi. Nec Tridentinum, verba illa: *Omnes Sacerdotes*, reſtringere potuit ad ſolos iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam habentes; Sic enim excluderet etiam nondum approbatos, quod tamen nemo adhuc auſus eſt dicere; nam hi etiam, vel nullam prorſus habent iuriſdictionem, vel habent ſolùm pro venialibus. Loquitur ergo generaliter de omnibus, ſicut initio eiuſdem Capitis. Neque inter Catholicos erat controuerſia de poteſtate ad validè, ſed ſolùm ad licitè abſoluendum, vt patet ex dictis. 25

Ad tertium reſpondetur ſimiliter, in Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, vt Sacerdotes præciſi, in mortis articulo, abſoluere poſſint, ſicut poſſunt Irregulares; Certum eſt autem, in Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, vt Irregulares tunc abſoluere poſſint; neque de hoc, vllam vnquam fuiſſe inter Catholicos controuerſiam; cum vero *Nauarr. cap. 27. n. 272.* dicit; ante Concilium, contrariam opinionem fuiſſe communem; intelligendus ipſe etiam eſt, de opinione, quoad licitam, non verò quoad validam abſolutionem, cum ipſe etiam nitatur auctoritate *S. Thom. cit.* qui tamen ibi apertiſ- 26

ſimè

ſimè loquitur ſolùm de abſolutione licitâ, non de validâ.

27 Ad quartum reſpondetur: Quemlibet Sacerdotem, eo ipſo, quod habet ordinis Characterem, eſſe etiam iuriſdictionis capacem; imo illam habitualiter habere iure diuino, vt dicitur §. *Eſſe.* 16. *q.* 1. Totumque impedimentum, habere ſolùm ex voluntate Eccleſiæ, quæ propterea, dum confert iuriſdictionem, eo ipſo illud tollit. Iura autem excludunt incapaces, qui ab ipſis fieri non poſſunt capaces; & diſpoſitio intelligitur de habili, qui vel ſit habilis, vel per ipſam diſpoſitionem fieri poſſit habilis; qualis eſt Sacerdos, eo ipſo, quod habet ordinis poteſtatem.

28 Ad quintum reſpondetur; Sacerdotem vitandum, extra mortis articulum, nullum habere Pœnitentem, ac Subditum; ſicut nec habet Irregularis; cùm à Fidelium communione ſit excluſus, & quocumque Subdito priuatus. At in mortis articulo, ex Eccleſiæ voluntate; *ne quiſquam pereat.* Habere pro Subditis omnes Morientes, ſiue in Eccleſiæ vnitate ſint, ſiue ab eâ præciſi. Ideoque omnes, à quibuſcumque criminibus, ac cenſuris, ſine vllâ limitatione, abſoluere poſſe. Hoc autem Eccleſia ſufficienter expreſſit, dum in Sacerdote, ad abſoluendum in eo articulo, nihil aliud requirit, quam ordinis poteſtatem; Hoc enim ſolùm modo, & non aliter expreſſit etiam de Irregulari.

29 Ad ſextum reſpondetur, Negando conſequentiam; Nam *S. Thom. ibi*, ſolùm, docet, Hæreticos, & Schiſmaticos, in articulo neceſſitatis, licitè baptizare poſſe; quia, cum baptiſmus, tunc non conferatur ex officio, non requirit in Miniſtro, ſtatum gratiæ, vt licitè conferatur, & aliunde, ratione articuli neceſſitatis, ceſſat Eccleſiæ prohibitio cum Fidelibus communicandi; ideoque nulla tunc eſt ratio, cur licitè baptizare non poſſint. At verò, Euchariſtiam conſecrare, ac Pœnitentiam conferre, in nullo caſu licitè poſſunt, quia, licet tunc ceſſet Eccleſiæ prohibitio, ideoque ex hoc capite, non peccent abſoluendo, peccant tamen; quia ſupponuntur eſſe in ſtatu peccati mortalis, & hæc Sacramenta, ſicut exigunt ſemper fieri ex officio, ita exigunt ſemper dignè adminiſtrari, ac in ſtatu gratiæ. Ex hac autem doctrinâ, quæ eſt veriſſima, rectè inferri non poteſt, quod in eo articulo abſoluere non poſſint validè. Sicut ex eo, quod Parochus ſuos ſubditos illicitè abſoluat, propter ſtatum peccati mortalis, in quo reperitur, non rectè infertur, quod eos abſoluat inualidè.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Quamuis nullum daretur ius Sacerdoti vitando, vel irregulari, conferens iuriſdictionem abſoluendi in mortis articulo; adhuc ſolam antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem ad hoc ſufficere; ſola enim conſuetudo habet vim iuriſdictionem conferendi, vt patet ex dictis *Qu.* 2. & illam de facto confert cuilibet Parocho quoad Peregrinos, quamuis nullum detur ius illam expreſsè conferens. Sicut ergo Parochus, ex vi ſolius conſuetudinis, abſoluere poteſt Peregrinos; Ita ex eadem, Sacerdos vitandus, ac Irregularis, abſoluere poſſunt morientes. 30

Secundò: Hanc dari differentiam inter Pœnitentiam, ac Baptiſmum; Quod 31

Pœnitentia, cum ſit actus iudicialis, procedere non poteſt niſi ab habente iuriſdictionem, & conſequenter dignitatem, ac officium; Baptiſmus verò, cum ſit Lauacrum non requirit neceſſariò ad ſui valorem, vllam iuriſdictionem, dignitatem, aut officium. Hinc autem fit primò; vt Pœnitentia non à quolibet miniſtrari poſſit, ſed ſolùm ab habente dignitatem Sacerdotii, & ad hoc conſecrato; Baptiſmus verò miniſtrari poſſit à quolibet. Secundò, vt Pœnitentia, licitè miniſtrari nunquam poſſit in ſtatu peccati mortalis, Baptiſmus vero aliquando poſſit, quia Pœnitentia miniſtrari non poteſt, niſi ex officio; Baptiſmus verò miniſtrari poteſt, etiam non ex officio. Si tamen etiam Baptiſmus miniſtraretur ſolemniter; tunc, ſicut miniſtraretur ex officio, & à ſolo Sacerdote; ita daretur obligatio illum etiam miniſtrandi in ſtatu gratiæ. Hæc ergo, eſt ratio, propter quam Chriſtus, non quemlibet inſtituit Pænitentiæ Miniſtrum, ſicut inſtituit Baptiſmi. Hinc tamen non rectè infertur, etiam Eccleſiam ſtatuere poſſe, vt Pœnitentiæ Miniſter, in mortis articulo, ſit ſolus Sacerdos ab ipſa non præciſus; Quia cùm in eo articulo, nulla detur rationabilis cauſa iſtius limitationis, ac reſtitutionis, illam rationabiliter ponere non poteſt.

32 Tertiò; Si in propoſito caſu, ſupponamus, Sacerdotem vitandum, per contritionem, ſe in ſtatu gratiæ poſuiſſe, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, Morientem abſoluiſſe. Poſito enim ſtatu gratiæ, neque fecit contra obligationem officii de miniſtrandâ Pœnitentiâ in ſtatu gratiæ; quia verè fuit in gratiâ; neque contra Eccleſiæ prohibitionem cum fidelibus communicandi; Quia hæc prohibitio, cum ſit humana, ratione extremæ neceſſitatis ſpiritualis ipſius Morientis, tunc ceſſat.

33 Quartò: Si ſupponamus, alium Sacerdotem ibi adfuiſſe; tunc abſolutionem à Sacerdote vitando datam, nullius fuiſſe momenti; Non tamen ex defectu iuriſdictionis in ipſo; Nam, in eo articulo, ſicut reſeruatio, ceſſat pro omnibus Sacerdotibus indefinite, ac ſine vllâ diſtinctione, ac limitatione, ita omnibus indefinitè conceditur iuriſdictio; Sed ex defectu diſpoſitionis in Moriente: Hic enim, abſolutionem tunc petendo vel recipiendo à Sacerdote vitando, mortaliter peccaſſet; quia feciſſet contra Eccleſiæ prohibitionem de non communicando cum Excommunicato vitando extra caſum neceſſitatis; Poſito enim alio Sacerdote præſente, iam nulla fuiſſet neceſſitas cum Sacerdote vitando communicandi.

34 Quintò: Si ſupponamus, Sacerdotem illum non fuiſſe vitandum, ſed irregularem; in hoc caſu; iuxta multos Doctores, etiam præſente Parocho, & validè, & licitè Morientem abſoluere potuiſſe; Validè quidem, quia pro eo articulo, omnibus Sacerdotibus confertur abſolutè iuriſdictio, ſine vllâ expreſſione illius caſus, in quo abſit omnis alius Sacerdos; Licitè verò, quia irregularitas non excludit Sacerdotem irregularem à Fidelium conſortio, extra caſum neceſſitatis, ſicut excludit publica excommunicatio.

35 Sextò: Si ſupponamus, omnes Sacerdotes, non ex æquo iuriſdictionem accipere in mortis articulo, ſed ſolùm cum ordine; Tunc in concurſu Sacerdotis vi-

tandi,

tandi, & Simplicis, Simplicem eſſe præferendum; quia vitandus, & eſt ſimplex Sacerdos quo ad poteſtatem, & cum commodè fieri poteſt, eſt vitandus; illique, extra caſum neceſſitatis, Sacramentorum vſus eſt interdictus; Simplici verò non eſt interdicta Confeſſionis exceptio de venialibus. Concurrente vero vitando, & Irregulari, præferendus eſt Irregularis, ſicut Irregulari præferendus eſt Suſpenſus aut Interdictus, & hi tres, Degradato, ac denique Degradatus Hæretico. Omnibus autem aliquâ cenſurâ ligatis, præponitur ſimplex Sacerdos. Concurrente verò ſimplici Sacerdote, cum Approbata in aliâ Diœceſi, neuter alteri eſt præferendus; Quia Approbatus in aliâ Diœceſi, in hac eſt ſimplex Sacerdos; ideoque ille tunc, eſt concurſus duorum Sacerdotum ſimplicium.

36 Septimò: Per mortis articulum, intelligi, quodlibet probabile periculum, vt *Quæſt. præced. n.* 19. dictum eſt. Quod periculum, intelligitur incipere à prima die infirmitatis periculoſæ, aut periculi. Neque ſolùm intelligitur periculum neceſſarium; vt, cùm quis nauigationem periculoſam ſuſcipere cogitur; ſed etiam ſpontaneum; vt, cum quis ſpontè illam ſuſcipit. Ratio enim, cur Eccleſia, in mortis periculo, omnibus Sacerdotibus, abſoluendi facultatem concedit, eſt, quia peccator, in tali caſu, & iure poſitiuo diuino, & naturali charitatis erga ſe ipſum, confiteri tenetur. Eodem autem modo tenetur, ſiue ex neceſſitate, ſiue ſpontè, in tali periculo conſtituatur. *Laym. lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 13.

37 Octauò: Si Morienti immineret periculum proximum peruerſionis ex Communicatione cum Sacerdote Hæretico, aut Schiſmatico; In eo caſu, abſtinendum illi eſſe à Confeſſione; quia, ſi vnquam tenetur, in eo caſu, ex charitate erga ſe ipſum, maximè tenetur proximum peccandi periculum vitare; tuncque magis vrget hoc præceptum, quàm præceptum Confeſſionis. Quare teneretur tunc ſolùm, actum contritionis elicere; quia hoc tunc eſſet vnicum medium, ad æternam eius ſalutem neceſſarium.

Nonò; Extra mortis articulum, in articulo alterius neceſſitatis, Eccleſiam, cuilibet Sacerdoti hanc iuriſdictionem non conferre; Si enim Parochus, conſcientiam habens peccati mortalis, die feſto, Populo Sacrum expectante, ad vitandum ſcandalum, & ad muneri ſuo ſatisfaciendum celebrare deberet, nec ibi eſſet alius Sacerdos, quam Irregularis, aut non Approbatus; non propterea Eccleſia iſtis cenſeretur, pro eo caſu, iuriſdictionem conferre ad illum abſoluendum; Quia hoc priuilegium, à Tridentino, mortis ſolùm articulo definitur conceſſum, eo quod tunc extrema neceſſitas humanis legibus non ſubiaceat; *cap. Quod non eſt. de reg. iuris, & gloſ. in cap. Non eſt. de Sponſal.* Priuilegium autem tantum valet, quantum ſonat. In eo ergo caſu, quia darentur duo præcepta incompoſſibilia, ac oppoſita, vnum de Confeſſione ante Euchariſtiam præmittendâ; & alterum de Confeſſione non dimidianda, quorum vtrumque impleri non poſſet; Parochus tunc pro libito poſſet vel confeſſionem omittere, vel ſimplici Sacerdoti ſolâ venialia confiteri, ſicque indirectè etiam à mortalibus abſolui; Cum enim vtrumque præceptum æquè vrgeat, & 38

Digitized by Google

vtrumque ſeruari non poſſit, nulla eſt ratio, cur vnum potius obliget, quam aliud; ideoque vnum eſt cauſa iuſta excuſans ab obſeruantia alterius.

39 Decimò: Hinc deſumi poſſe efficax argumentum ad probandum, cum dantur duæ opiniones oppoſitæ æquè, vel ferè æquè probabiles, nullam dari obligationem vnam potius ſequendi, quam aliam; Ex vno enim capite, vtramque ſequi non poſſumus, cum ſint oppoſitæ, & ex alio nulla aſſignari poteſt ratio, cur vna potius obliget, quàm alia; Nam veritas vtrobique ferè æqualiter apparet, & ex qua partè verè ſit, omnino ignoratur; cum præſertim, ex Ariſtotele, ſæpe falſa ſint veris probabiliora.

40 Vndecimò; Si quis ſequeretur opinionem, quod Sacerdos vitandus, in mortis articulo, cum non adeſt alius Sacerdos, abſoluere non poteſt, & ſimul aſſereret, dari obligationem ſequendi opinionem moraliter certam, vel ſaltem probabiliorem. Hunc mortaliter peccaturum; quia opinio iſta, non ſolùm, non eſt moraliter certa, vel probabilior, ſed neque probabilis, imo poſitiuè improbabilis, (loquendo de Sacerdote vitando, qui non ſit Hæreticus, ideoque ſecum non afferat periculum proximum peruerſionis ipſius Morientis.) Cum maternæ Eccleſiæ, erga fideles charitati, & animarum ſaluti ſit iniurioſa, Morienteſque æternæ damnationis periculo, ſine vllà neceſſitate, euidenter exponat, contraria verò, & omnia vitet ſcandala, & fidelium ſaluti conſulat, & nullum ſecum afferat inconueniens.

41 Neque dicas, illum non peccaturum; Quia, licet opinio iſta ſit in ſe minus probabilis, illi tamen videtur moraliter certa, vel ſaltem probabilior. Nam, ſi, vt aliqua opinio ſit probabilior, ſatis eſt, vt videatur probabilior; iam proprius cuiuſque intellectus erit adæquata regula, ac menſura probabilitatis in opinionibus. Hoc autem quid abſurdius? ſic enim tolluntur omnes leges, & omnia peruertuntur, ſoluſque cuiuslibet intellectus, ſit totius obligationis menſura. Vnde poterit quis, propter odium, quo excommunicatum proſequitur, leuiſſimis ac apparentibus rationibus firmiter adhærere, ſicque opinionem iſtam tamquam probabiliorem amplecti, idemque continget in alijs omnibus, in quæ inclinat affectus; hic enim determinare ſemper poterit intellectum ad pluris facienda motiua pro eà parte, in quam ipſe inclinat, quam oppoſita; ſicque ad eam opinionem exiſtimandam probabiliorem, quam oppoſitam. In hoc autem caſu, affectus erit totius obligationis regula, ac menſura. Quod ſi quis deinde opinaretur, etiam in materiâ, cuius ipſe peritiam non habet; tunc longè facilius eſſet, terminos confundendo, opinioni omnino improbabili tanquam probabiliori adhærere; Vt, ſi Iuris peritus, opinari vellet in materiâ Theologicâ, legumque auctoritate vteretur ad res Theologicas confirmandas, quam auctoritatem ipſe longè pluris facit, quam rationes quantumuis efficaces, acciperetque terminos Theologicos in ſenſu ciuili. Examinandum igitur prius eſt, quidnam ſit, opinionem aliquam, eſſe verè probabilem, vt deinde ſtatui poſſit, quænam ſit moraliter certa, quæ probabilior, quæ minus probabilis.

QVÆSTIO

QVAESTIO XLVI.

An abſolutio Cenſuræ dari poſſit ſub conditione.

CASVS.

1 TITIVS, cum duellum Amico, ad proprij honoris defenſionem, perſuaſiſſet, ob idque in excommunicationem incidiſſet; obtenta ab Epiſcopo (quia caſus erat occultus) facultate ſibi Confeſſarium eligendi, à quo abſolui poſſet; ad quemdam acceſſit, ab eoque abſolutionem à cenſurà accepit ſub conditione, ſi Amicus Bertam in Matrimonium duceret. Quæritur, Vtrum Abſolutio fuerit valida.

SVMMARIVM.

3 *Abſolutio cenſuræ, data ſub conditione, videtur inualida, ſicut abſolutio à peccatis.*
4 *Cur ſub conditione dari non poſſit.*
5 *Nunquam ſic inuenitur à iure conceſſa.*
6 *Cenſura valide fertur ſub conditione.*
7 *Et ſub eadem conditione, imponi poteſt præceptum.*
8 *Abſolutio à Superioris voluntate totaliter pendet.*
9 *Abſolutio conditionata, nullum habet effectum, dum datur.*
10 *Quot dentur genera conditionum.*
11 *Abſolutio conditionata, eſt illicita.*
12 *Eſt imprudenter data.*
13 *Cum conditio eſt diſparata.*
14 *Eſt contra reuerentiam rei ſpirituali debitam.*
15 *Eſt tamen valida.*
16 *Non pendet in ſuo valore à conditione.*
17 *Omnis conditio à iure non reprobata, validè apponi poteſt.*
18 *Matrimonium ſub ſimili conditione celebratum, eſt validum.*
19 *Similis conditio, Voto appoſita, illud non irritat.*
20 *Quamuis ſit abuſus poteſtatis.*
21 *Effectus Sacramenti, ſuſpendi non poteſt, ſicut effectus cenſuræ.*
22 *Ad huius effectum, ſufficit in Abſoluente poteſtas, & voluntas.*
23 *Eccleſiæ non vſus, hanc abſolutionem reddit ſolùm illicitam.*
24 *Cenſura, lata ſub conditione diſparata eſt inualida.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm ex dictis conſtet, cenſuram ſine abſolutione tolli non poſſe; Quæritur, an tolli poſſit per abſolutionem conditionalem, an verò requiratur, abſolutio ſimplex, & abſoluta. 2

Ratio autem dubitandi, ex vnâ parte, 3 eſt primò: Quia abſolutio à peccatis, data ſub conditione de futuro, eſt inualida. Ergo

Ergo inualida erit etiam abſolutio à cenſuris ſub eadem conditione data; ſicut enim ſuſpendi non poteſt effectus abſolutionis Sacramentalis, ita neque videtur ſuſpendi poſſe effectus abſolutionis à cenſuris; cùm non minus ſit efficax, & operatiua abſolutio à cenſuris in ordine ad illas tollendas, quam abſolutio à peccatis in ordine ad illa delenda, & vterque ſit actus legitimus, qui propterea conditionem non admittit *ex L. Act. legit.* Cum ergo Titius, ſub conditione de futuro contingenti, fuerit abſolutus, inualidè videtur abſolutus.

4 Secundò: Quia Titius, vel tempore abſolutionis, diſpoſitus erat & illius capax, ac dignus, vel non. Si erat capax, abſolute, & ſimpliciter abſoluendus erat, ideoque ſine iniuſtitia addi non potuit conditio ſuſpendens abſolutionis effectum. Si non erat capax, ac dignus, abſolui tunc non poterat, nec debebat ſub conditione etiam futuræ diſpoſitionis; Sic enim illi dabatur occaſio diſpoſitionem differendi, & cenſuram quaſi contemnendi, effectum abſolutionis in eius libertate, ac voluntate ponendo, cum ab ipſà penderet poſitio conditionis ad talem effectum requiſitæ.

5 Tertiò: Quia abſolutio à cenſuris nunquam inuenitur à iure conceſſa, nec ab Eccleſià vſitata ſub conditione de futuro contingenti; Et, ſi hoc modo daretur, peccandi licentiam non coerceret, ſed potius augeret. Signum ergo eſt, abſolutionem ſic datam, non eſſe validam.

6 Ex alià verò parte, videtur fuiſſe valida. Primò: Quia cenſura, ferri validè poteſt etiam ſub conditione de futuro contingenti; imo ſic videtur regulariter ferri excommunicatio; *niſi quis ſatisfecerit; vel ſi tale, aut tale delictum commiſerit &c.* Ergo valida etiam erit abſolutio, ſub ſimili conditione data; fauorabilior enim eſt abſolutio à cenſura, quam eius obligatio; neque minus legitimus eſt actus abſolutionis quam cenſuræ.

Secundò: Quia imponi poteſt præceptum ſub conditione de futuro contingenti, & ſub eadem conditione dari poteſt diſpenſatio in præcepto; & alij omnes actus iuriſdictionis poſſunt eſſe hoc modo conditionati. Ergo etiam abſolutio à cenſurà; nulla enim apparet ſpecialis ratio, cur hoc repugnare magis debeat abſolutioni, quam alijs actibus iuriſdictionis. 7

Tertiò: Quia abſolutio à cenſurà, eſt ſententia humana, humano modo lata, & totaliter pendens à voluntate ferentis, eiuſque iuriſdictione. Superior autem, ſicut poteſt eam ferre conditione de futuro, ita ſub eadem conditione ab illà poteſt abſoluere; ſuam enim iuriſdictionem exercere poteſt, vel abſolutè, vel conditionate, prout voluerit, cum modus illam exercendi, ei à nullo iure limitetur, aut præſcribatur. 8

NOTABILIA.

ADuertendum eſt primò: Abſolutionem datam ſub conditione de futuro, eo tempore, quo datur, nullum habere effectum, ideoque nec ſimpliciter eſſe abſolutionem; conditio enim, tunc non adhuc eſt poſita; voluntas autem conditionata Abſoluentis, à quà pendet abſolutio, nihil operatur, donec impleatur conditio. Conditio ergo futura, ad minimum abſolutionem ſuſpendit. 9

Aduer-

10 Aduertendum eſt ſecundò: Duo dari genera conditionum. Aliquæ enim tales ſunt, vt connexionem aliquam habeant, vel cum ipsâ cenſurâ, vel cum causâ ſiue ratione, propter quam fertur cenſura; Vt, ſi cenſura feratur, *niſi quis ſatisfecerit, vel ſi tale delictum commiſerit &c.* Tunc enim delictum connexionem habet cum cenſurâ tanquam cauſa cum ſuo effectu. Similiter ſi dicatur: *Clericus comam geſtans, ſit excommunicatus, niſi ſit Canonicus, aut in aliâ ſimili dignitate conſtitutus.* Tunc enim, quamuis conditio culpam non minuat, ſed potius augeat, eſt tamen rationabilis cauſa limitandi, ac ſuſpendendi cenſuram, quia ſic expedire videtur ad Eccleſiaſticæ dignitatis æſtimationem, ac honorem. Aliquæ verò conditiones tales ſunt, vt ad cauſam, vel rationem ferendi cenſuram nihil omnino pertineant; vt ſi feratur Excommunicatio: *Si nauis ex India venerit, vel ſi Amicus conſenſerit;* Hæc enim conditio nullam connexionem habet cum cenſura, nec ad eam vllo modo pertinet, ideoque, omnino irrationabiliter apponitur. His poſitis

RESOLVTIO I.

11 AD Caſum Reſpondetur primò: Abſolutionem eo modo datam, fuiſſe illicitam. *Suarez diſp. 3. de cenſur. ſ. 3. num. 3. & diſp. 7. ſect. 8. nu. 7. Filliuc. tr. 11. cap. 3. quaſt. 7. num. 65. & c. 10. quaſt. 2. Vgolinus cap. 20. §. vlt. Sylueſter v. Abſolutio 3.*

12 Primò: Quia abſolutio ſub illâ conditione, fuit imprudenter data, & abſque ratione; & materia erat grauis; erat enim materia ſpecialis iuriſdictionis. Abſolutio autem irrationabiliter data, eſt omnino temeraria, ac illicita.

Secundò: Quia Conditio appoſita, nihil omnino pertinebat ad cauſam cenſuræ, vel abſolutionis. Ergo irrationabiliter fuit data abſolutio dependenter à tali conditione, & conſequenter illicitè. 13

Tertiò: Quia addere aliquid omnino impertinens, in re graui, ac ſpirituali, eſt illicitum; Vnde peccaret quis contra reuerentiam Sacramenti, ſi formæ abſolutionis aliquid adderet omnino impertinens. Sed etiam cenſura eſt materia ſpiritualis, grauis, & Sacra. Ergo, aliquid impertinens illi addere, erit contra reuerentiam debitam rei Sacræ. 14

RESOLVTIO II.

REſpondetur ſecundò; Abſolutionem, eo modo datam, probabilius fuiſſe validam. *Coninch. de Sacram. diſp. 13. dub. 2. num. 17. & diſp. 14. dub. 16. nu. 213. Sanchez lib. 5. matr. diſ. 18. Reginaldus lib. 9 num. 52. Sayrus de cenſ. lib. 2. cap. 16. num. 7.* & alij apud iſtos. 15

Primò: Tum propter rationes ſecundo loco ſuperiùs adductas. Tum quia, abſolutio in ſuâ efficacia, ac valore, non pendet propriè ab illâ conditione, ſed ab Abſoluente, eiuſque intentione. Abſoluens autem, eam validè dare poteſt quocumque modo voluerit, quamuis non ſemper licitè; ſicut, quia delegatio facultatis ad confeſſiones audiendas, pendet omnino ab Epiſcopi voluntate, Epiſcopus illam validè dare, vel negare, vel limitare poteſt ad libitum, quamuis non ſemper licitè. 16

17 Secundò: Quia omnis conditio, quæ à iure non improbatur, apponi validè poteſt abſolutioni, vt colligitur *ex cap. Super eo. de cond. appoſ.* ibi, *dummodo conditionem ipſam canonica non improbent ſtatuta;* ſed conditio impertinens, qualis eſt illa, ſub quà Titio data fuit abſolutio, nullo iure reprobatur; *cap.* enim *fin. de cond. appoſ.* reprobantur ſolùm conditiones turpes, quia incitant ad peccandum. Ergo conditio, quamuis impertinens, ſuſpendere potuit abſolutionem, non verò eam reddere inualidam; ideoque Titius, ſub ſimili conditione abſolutus, validè fuit abſolutus.

18 Tertiò: Quia Matrimonium, ſub conditione de futuro, etiam impertinente, celebratum, eſt validum, vt docent communiter Doctores cum *Sanchez loco cit.* nulla enim eſt ratio, cur Matrimonium non valeat, ſi quis dicat: *Contraho tecum, ſi nauis ex India venerit.* Ergo erit etiam valida abſolutio cenſuræ ſub ſimili conditione data; non minus enim eſt actus legitimus Matrimonium, quam abſolutio, & vtrumque eſt aliquid Sacrum.

19 Quartò: Quia ſimilis conditio, Voto appoſita, illud non irritat, ſed ſuſpendit. Ergo neque irritabit abſolutionem cenſuræ, ſed illam ſuſpendet; non minus enim efficacia abſolutionis cenſuræ pendet à voluntate Abſoluentis, quam obligatio voti à voluntate Vouentis; nam, ſicut ſola voluntas Vouentis, eſt menſura obligationis in Voto, ita ſola voluntas Abſoluentis, eſt menſura efficaciæ in abſolutione cenſuræ. Ergo Titius ſub eà conditione, validè, quamuis illicitè, abſolui potuit.

Neque obſtat, quod abſolutio ſic data, 20 ſit abuſus poteſtatis, Nam ex hoc inferri ſolùm poteſt, quod fuerit illicita, non verò quod fuerit inualida; Sicut etiam Matrimonium ſub dicta conditione celebratum eſt abuſus Sacramenti, & tamen non propterea ſequitur, quod Matrimonium ſic contractum ſit inualidum. Ratio autem vniuerſalis eſſe poteſt, quia non eſt abuſus poteſtatis, quoad ſubſtantiam, ſicut fuiſſet, ſi data fuiſſet non Subdito, vel modo à iure reprobato; ſed ſolùm quoad modum. Abuſus autem poteſtatis quoad modum, licet ſit illicitus, non tamen eſt inualidus.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

AD rationes autem primo loco ſuperiùs 21 adductas Reſpondetur. Ad primam; Diſparitatem eſſe, quia non eſt in poteſtate Miniſtri, ſuſpendere effectum Sacramenti, cum eius valor pendeat, non ab intentione Miniſtri, ſed à Chriſti inſtitutione. In poteſtate verò Superioris eſt, ſuſpendere effectum abſolutionis, ac cenſuræ, quia valor abſolutionis, ac cenſuræ, ab eius voluntate totaliter pendet.

Ad ſecundam reſpondetur: Eam pro- 22 bare ſolùm, quod dare abſolutionem ſub eà conditione impertinenti, & eius effectum ſuſpendere, fuerit illicitum, non autem inualidum; nihil enim aſſignari poteſt, quod eam abſolutionem reddiderit inualidam; Nam ad eius valorem requiritur ſolùm in Abſoluente poteſtas, ac voluntas, & quod ius non repugnet; vtraque autem fuit in eo, qui Titium abſoluit, neque aſſignari poteſt ius, ſimili abſolutioni repugnans.

Ad

23 Ad tertiam Negatur conſequentia; Eccleſiæ enim non vſus, & periculum, quod inde ſequeretur, ad ſummum probant, abſolutionem eo modo datam, fuiſſe illicitam, non tamen inualidam.

COROLLARIUM.

24 Colligitur ex dictis; Cenſuram latam ſub conditione impertinenti, ſi nulla alia apponatur cauſa, eſſe inualidam. Quia omnis cenſura, cum ſit pœna, eſſentialiter requirit, ac ſupponit aliquam culpam. Si autem nulla alia apponeretur cauſa, nulla daretur culpa; Vnde, ſi quis diceret; *Omnes exiſtentes in portu incidant in excommunicationem, ſi nauis aliqua tunc veniat ex Indiâ;* nulla eſſet Excommunicatio, quia nulla daretur culpa, quæ tamen ad excommunicationis valorem eſſentialiter requiritur. Si tamen culpâ ſupponeretur; vt, ſi quis diceret, *Omnes qui furtum commiſerunt, excommunicationem incurrant, ſi nauis ex Indiâ venerit;* tunc excommunicatio ſic lata, eſſet valida, quia nihil iam daretur, quod eius valorem impediret.

QVAESTIO XLVII.

An per abſolutionem vna cenſura tolli poſſit ſine aliâ.

CASUS.

1 TITIVS, cum plures Excommunicationes incurriſſet, tempore Iubilei, ad Confeſſarium habentem facultatem ab omnibus abſoluendi accedens; aliquas ſolùm aperuit, reliquas verò ex obliuione tacuit. Quæritur: Vtrum ab omnibus fuerit abſolutus.

SVMMARIVM.

2 *Abſolutio, videtur tollere poſſe vnam cenſuram ſine aliâ.*
3 *Cenſura non ſunt inter ſe connexa, ſicut peccata mortalia.*
4 *Abſolutio, eas ſolùm cenſuras tollit, quas Sacerdos tollere intendit.*
5 *Nihil infundit cum cenſuris incompoſſibile.*
6 *Tollit ſolùm cenſuram cognitam.*
7 *Cum accommodetur petitioni.*
8 *Abſolutio à cenſuris, quomodo dari poſſit.*
9 *Abſolutio data in Confeſſione, tollit omnes cenſuras.*
10 *Alias non eſſet diſpoſitio ad peccatorum abſolutionem.*
11 *Et Confeſſarius vtitur tota facultate, quam habet.*
12 *Cenſura, connexionem habent per ordinem ad abſolutionem à peccatis.*
13 *Confeſſarius intentionem habet abſoluendi, quantum poteſt.*
14 *Ad peccatorum abſolutionem prærequiritur abſolutio generalis cenſurarum.*

15 *Cenſuræ tolluntur, quantum Confeſſarius poteſt, & Pœnitens indiget.*

16 *Pœnitens, omnium abſolutionem implicitè petit.*

17 *Ad Cenſurarum abſolutionem in Sacramento, earum manifeſtatio requiritur.*

18 *Earum abſolutio extra Sacramentum, pendet totaliter à voluntate Abſoluentis.*

RATIONES DVBITANDI.

2 CVm abſolutio à Cenſuris, non conferat formam aliquam poſitiuam cum ipſis incompoſſibilem, ſicut abſolutio à peccatis, confert gratiam cum omnibus mortalibus incompoſſibilem; ſequitur, abſolutionem à Cenſuris, ex ſe, non tollere neceſſariò omnes cenſuras, ſicut abſolutio à peccatis neceſſariò tollit omnia mortalia. Quæſtio igitur eſt; an vnam tollere poſſit ſine aliâ; an verò aliunde habeat, vt omnes tollat. Aliqui enim putant; quod vnam tollere poſſit ſine aliâ; & conſequenter, quod Titius non fuit ab omnibus abſolutus, ſed ab ijs ſolùm, quas Confeſſario manifeſtauit. Ita *Auila par. 2. cap. 6. diſp. 2. dub. 3. ad finem. Vgolinus tab. 1. cap. 19. §. 3. num. 10. Sayrus de cenſ. lib. 2. cap. 21. num. 23.*

3 Primò: Quia Excommunicationes, non ita ſunt inter ſe connexæ, ſicut ſunt connexa peccata mortalia, ſed vna tolli poteſt ſine alia, ſicut in confeſſione, vnum peccatum veniale, remitti poteſt ſine alio. Sicut ergo qui in Confeſſione, aliquà ſolum venialia aperit, & alia ex obliuione, aut alia cauſa tacet, remanet ſolùm abſolutus ab ijs, quæ aperuit, & non ab alijs, ita qui aliquas ſolum excommunicationes aperuit, & alias tacuit, ab ijs ſolùm fuit abſolutus quas aperuit, non vero ab alijs, quas tacuit.

Secundò: Quia Titius ab ijs ſolùm excommunicationibus fuit abſolutus, à quibus Confeſſarius intentionem habuit illum abſoluendi; forma enim abſolutionis, non operatur vltra intentionem proferentis; cùm actus agentium non operentur vltra eorum intentionem. *L. Non omnis, ff. de rebus cred. & cap. finali, de prab.* Confeſſarius autem, ab ijs ſolùm intentionem habuit illum abſoluendi, quas Titius illi manifeſtauit, ſicut intentionem habet abſoluendi ab ijs ſolùm venialibus, quæ illi fuerunt in Confeſſione manifeſtata. 4

Tertiò: Quia, In tantum ille, qui abſoluitur à mortalibus confeſſis, remanet etiam indirectè abſolutus ab oblitis, in quantum per abſolutionem infunditur gratia, quæ cum quocumque mortali eſt eſſentialiter incompoſſibilis, ſed per abſolutionem cenſuræ, nihil infunditur cum omnibus excommunicationibus incompoſſibile. Ergo qui abſoluitur ab excommunicationibus confeſſis, non propterea remanet abſolutus etiam ab oblitis. 5

Quartò: Quia Excommunicationes, non tolluntur per quamcumque abſolutionem à Confeſſario facultatem habente collatam, ſed ſolùm per abſolutionem datam; cognitâ excommunicatione; tunc enim ſolùm abſolutio datur cum intentione illam tollendi, quam intentionem Confeſſarius non præſumitur habere, dum habet ſolùm communem intentionem abſoluendi; ſicut non cenſetur habere 6

bere

Digitized by Google

bere intentionem tollendi peccata reſeruata oblita, quoad reſeruationem, per communem intentionem conferendi Sacramentum pœnitentiæ, eo quod ſic ſolùm cenſeatur velle conferre gratiam, & per hanc peccata reſeruata non tollantur quoad obligationem, illa legitimo Superiori manifeſtandi. Sicut ergo Confeſſarius, quamuis facultatem habeat reſeruatorum, non cenſetur tamen velle tollere reſeruationem, niſi eorum, quæ illi manifeſtantur in confeſſione; ita, quamuis facultatem habeat cenſurarum, non cenſebitur tamen velle abſoluere, niſi ab ijs, quæ illi fuerunt manifeſtatæ; ſententia enim prudenter non fertur niſi cognitâ cauſâ.

7 Quintò: Quia Abſolutio, accommodari debet petitioni; Sed qui aliquas tantum excommunicationes confitetur, earum ſolùm abſolutionem petit, & non aliarum, quas tacet. Ergo etiam Confeſſarius, earum tantum abſolutionem impendit, & non aliarum; ſic enim abſolutio conformatur petitioni.

NOTABILE.

8 ADuertendum eſt, Cenſurarum abſolutionem, à Superiore, ordinariam iuriſdictionem habente, dari poſſe, non ſolùm in Sacramento Confeſſionis, ſed etiam extra illud; ſicut enim extra confeſſionem ligare poteſt, ita poteſt abſoluere, nec vllo iure cogitur in confeſſione ſolùm abſoluere, & non extra. Ab eo verò qui facultatem habet delegatam, dari poſſe, vel in confeſſione, vel extra illam, iuxta voluntatem concedentis. Collatio enim iuriſdictionis, ſiue delegatio, pendet totaliter à voluntate delegantis. In Iubilæis tamen, hæc facultas communiter conceditur cum limitatione abſoluendi ſolùm in Confeſſione Sacramentali, vel Confeſſionibus diligenter auditis; in hoc autem caſu, cenſurarum abſolutio conferri non poteſt, niſi in ipſo Sacramento Confeſſionis; facultas enim & iuriſdictio exerceri non poteſt niſi iuxta voluntatem concedentis, cùm ab illa totaliter pendeat. Hoc poſito,

RESOLVTIO.

ADcaſum reſpondetur; Titium, per abſolutionem datam à Confeſſario, virtute Iubilæi facultatem habente abſoluendi à cenſuris, fuiſſe ab omnibus excommunicationibus abſolutum. *Suarez de cenſ. diſp. 7. ſect. 9. n. 4. Fillincius tract. 11. cap. 9. quæſt. 6. num. 289. Reginaldus lib. 9. nu. 6. Sanchez lib. 2. ſum. cap. 12. n. 9. Coninch. de pœn. diſp. 8. dub. 12. num. 97. & diſp. 14. d. 16. n. 226. Bonac. de cenſ. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 6. num. 3. Nauarrus cap. 26. num. 12. Valentia tom. 4. diſp. 8. quæſt. 7. pun. 8.* & alij apud iſtos. 9

10 Primò: Quia Titius fuit ab excommunicatione abſolutus in Confeſſione Sacramentali; fuit enim abſolutus à Confeſſario habente facultatem ſolùm virtute Iubilæi, ideoque abſoluendi ſolùm in Confeſſione. Sed abſolutio data in Confeſſione, debet neceſſariò ad omnes excommunicationes ſe extendere; debet enim eſſe diſpoſitio ad recipiendam abſolutionem à peccatis, quæ ſine iuſtâ cauſâ, excommunicato impendi non poteſt; cum inter alios excommunicatio-

nicationis effectus ſit, priuare perceptione Sacramentorum, ergo abſolutio data Titio, ſe extendit ad omnes excommunicationes, ideoque fuit ab omnibus, etiam ab oblitis abſolutus.

11 Secundò; Quia Confeſſarius facultatem habebat abſoluendi Titium ab omnibus excommunicationibus, etiam illis, quas ex obliuione tacuit, vt ſuppono; & ea facultate generaliter vſus eſt, cum intentione omnes excommunicationes auferendi, quantum poterat; tenebatur enim eum, quantum poterat, abſoluere, vt eſſet capax recipiendi abſolutionem à peccatis. Ergo omnes re verà abſtulit, & Titius ab omnibus remanſit abſolutus; Ad cenſuram enim tollendam, ſufficit poteſtas, & voluntas Abſoluentis, cum cenſurà ab his duobus eſſentialiter pendeat in fieri, ac conſeruari. Cum ergo Confeſſarius, virtute Iubilei, poteſtatem habuerit omnes excommunicationes tollendi, & intentionem habuerit eas tollendi, quantum licitè poterat, ac pœnitens indigebat, & conſequenter tollendi omnes; verè omnes abſtulit, & Titius ab omnibus remanſit abſolutus etiam ab ijs, quas ex obliuione non manifeſtauit.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD primam rationem in contrarium reſpondetur; Excommunicationes, ac cenſuras, quamuis non habeant inter ſe connexionem in ordine ad abſolutionem, quæ datur extra Sacramentum Confeſſionis; illam tamen habere quaſi extrinſecè, in ordine ad abſolutionem, quæ datur in Confeſſione; quatenus hæc neceſſariò debet eſſe generalis, & ad omnes ſe exendere, cum debeat eſſe diſpoſitio ad recipiendam abſolutionem peccatorum, cuius abſolutionis non eſt capax Excommunicatus.

Ad ſecùndam reſpondetur: Negando minorem; Confeſſarius enim intentionem habet abſoluendi, quantum poteſt, & quantum pœnitens indiget ad hoc, vt poſſit eſſe capax abſolutionis à peccatis, & hanc intentionem exprimit in ipsà forma abſolutionis cenſurarum, quæ in Sacramento Confeſſionis præmittitur ante abſolutionem à peccatis; pœnitens autem indiget abſolutione generali, & quæ ad omnes excommunicationes ſe extendat. 13

Ad tertiam reſpondetur; quamuis in abſolutione cenſurarum nihil infundatur incompoſſibile cum omnibus excommunicationibus, ſicut in abſolutione peccatorum infunditur gratia cum omnibus mortalibus incompoſſibilis; adhuc tamen, per abſolutionem cenſurarum, quæ datur in Sacramento pœnitentiæ, omnes remitti ex ipsà naturà abſolutionis, eo quod debeat eſſe diſpoſitio ad abſolutionem peccatorum, ad quod neceſſariò requiritur, vt ſit generalis, & omnium cenſurarum. 14

Ad quartam reſpondetur: Negando Antecedens; quamuis enim excommunicationes, ita tolli poſſint extra Sacramentum pœnitentiæ, in Sacramento tamen, tolluntur generaliter, quantum Confeſſarius poteſt, & pœnitens indiget, vt patet ex ipsà formulà abſolutionis, & quia hoc eſt neceſſarium ad hoc, vt pœnitens ſit capax abſolutionis peccatorum: idemque dicendum eſt de reſeruatione; hæc enim etiam à Confeſſario tollitur, quantum poteſt, & pœnitens indiget. Nam pœnitens, dum ad Confeſſarium facultatem habentem accedit, vt quantum fieri poteſt. 15

poteſt, abſoluatur, & à peccatis liberetur, implicitè, ac interpretatiuè, omnium reſeruatorum abſolutionem cenſetur petere, quamuis illam non petat explicitè. Confeſſarius autem cenſetur velle pœnitenti proſpicere, ipſumque à peccatis, quantum licitè poteſt, liberare. Ergo cenſetur velle omnium reſeruationem tollere.

16 Ad quintam Reſpondetur; Eum qui aliquas tantùm excommunicationes confitetur, & aliàs ex obliuione tacet, quamuis explicitè earum ſolùm abſolutionem petat, quas aperit; omnium tamen abſolutionem implicitè petere, dum ad Confeſſarium bona fide accedit, vt à cenſuris, ac peccatis, quantum fieri poteſt, liberetur. Huic autem petitioni accommodare ſe debet abſolutio Confeſſarij, cum, hoc modo, poſſit eſſe diſpoſitio ad abſolutionem peccatorum.

COROLLARIA.

17 Colligitur ex dictis primò: Ad abſolutionem cenſurarum, quæ datur in Sacramento pœnitentiæ, requiri earum manifeſtationem, ac cognitionem; tum quia hæc ex Superioris voluntate neceſſaria eſt, vt patet ex dictis: tum quia ad abſolutionem peccatorum, per ſe loquendo, prærequiritur eorum cognitio; ſed cenſura ſemper alicui peccato eſt annexa: ergo illius etiam cognitio prærequiritur. Hinc fit, vt cum quis cenſuram aliquam voluntariè reticet in confeſſione ab illâ validè non abſoluatur, ſicut validè non abſoluitur à peccato, ſi illud voluntariè reticeat, neque Confeſſarius tunc præſumitur, habere intentionem à tali excommunicatione pœnitentem abſoluendi; præſumitur enim intentionem habere abſoluendi, quantum licitè poteſt; non videtur autem abſoluere licite poſſe à cenſurâ, quam pœnitens ſponte, ac ſine iuſtâ causâ, tacuit; nam pœnitens, ſicut eſt indiſpoſitus ad abſolutionem peccatorum, ita videtur indiſpoſitus ad abſolutionem cenſurarum, quæ datur in Sacramento; cum hæc detur ſolùm in ordine ad abſolutionem peccatorum, ideoque eaſdem diſpoſitiones requirat ad ſui valorem, quas illa requirit. *Coninch. diſp. 8. d. 12. num. 97.*

Secundò; Abſolutionem cenſurarum, 18
quæ datur extra Sacramentum pœnitentiæ pendere totaliter, quoad valorem, ac effectum, ab intentione abſoluentis, ideoque poſſe eſſe, vel generalem omnium, vel particularem, & ſolùm aliquarum, prout abſoluens voluerit; cum enim cenſuræ connexionem inter ſe non habeant, hinc fit, vt ſicut vna ferri poteſt ante aliam, ita tolli poſſit ſine alia; idemque dicendum videtur etiam de reſeruatione, quando ab Epiſcopo tollitur extra Sacramentum; ſicut enim illam tollere poteſt etiam inuito delinquente, ita vnam tollere poteſt ſine alia. *Sayrus lib. 2. cap. 21. num. 16.*

QVÆ-

QVAESTIO XLVIII.

An abſolutio, ante partis ſatisfactionem data, ſit valida.

CASVS.

1 TITIVS, cum ob enormem Clerici percuſſionem in excommunicationem incidiſſet, facultatem à Pontifice obtinuit, vt à quocumque Confeſſario, parte ſatisfactâ, abſolui poſſet. Hac facultate obtentâ, ad quemdam Confeſſarium acceſſit, eique & excommunicationem, & ſuam facultatem aperuit; ſimulque promiſit, ſe Clerico ſatisfacturum. Confeſſarius autem, his auditis, illum ſtatim ab excommunicatione abſoluit; Quæritur: Vtrum validè fuerit abſolutus.

SVMMARIVM.

2 *Titius, ante partis ſatisfactionem, inualidè videtur abſolutus.*

3 *Confeſſarius, eum abſoluere non poterat, niſi parte ſatisfactâ.*

4 *Actus, forma præſcripta non ſeruata, non eſt validus.*

5 *Partis ſatisfactio, erat clauſula limitatiua poteſtatis.*

6 *Confeſſarius illicitè Titium abſoluit.*

7 *Sed validè.*

8 *Clauſula illa noua forma non eſt inductiua.*

9 *Confeſſarius, poteſtatem magis limitatam non habebat, quam de iure communi.*

10 *Expreſſio conditionis, quæ rei ineſt, nihil operatur.*

11 *Pontifex per illam obligare non intendit, niſi, vt obligat ius commune.*

12 *Nec illam requirit modo ſpeciali.*

13 *Confeſſarius, habuit poteſtatem ſub conditione à iure communi requiſita.*

14 *Actus factus contra formam non ſpecialiter præſcriptam, non eſt inualidus.*

15 *Conditio appoſita, non eſt limitatiua poteſtatis.*

16 *Ablatiuus abſolutus, non ſemper importat conditionem ad validè operandum requiſitam.*

17 *Per hanc abſolutionem, remanet abſolutus, etiam qui cenſuram confiteri eſt oblitus.*

18 *Abſolui etiam poteſt, qui ſine graui damno, ſatisfacere non poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

QVoniam à Superiore conceditur aliquando Delegato poteſtas ab aliquâ cenſurâ abſoluendi, parte ſatisfactâ. Non leuis inter Doctores eſt controuerſia, an Ablatiuus ille abſolutus, importet conditionem, an modum; & conſequenter, an abſolutio, ante partis ſatisfactionem data, ſit valida, an inualida; Quidam enim putant, Titium inualide fuiſſe abſolutum. Ita *Suarez de cenſ. diſp. 7. ſ. 5. num. 44. & lib. 5. de legib. cap. 31. Filliucius tract. 11. cap. 9. Coninch. diſp. 14. dub. 16. n. 211. Sayrus lib. 2. de cenſ. cap. 18. num. 10.* 2

Primò: Quia Confeſſarius abſoluendi facultatem habebat ſolùm ſub conditione partis ſatisfactæ; ablatiuus enim abſolutus conditionem importat: *L. 4. teſtat. ff. de* 3

ff. de Condit. Ergo, parte non ſatisfactâ, Titium abſoluere non poterat, ideoque inualidè abſoluit, ſine facultate enim illum abſoluit.

4 Secundò; Quia quotieſcumque aliquis actus ſub certâ formâ committitur, actus ille non eſt validus, ſi talis forma non ſeruetur: inualidus enim eſt actus, qui excedit fines mandati, quia fit ſine debita poteſtate, ideoque fines mandati diligenter ſeruandi ſunt. *L. Diligenter ff. mandati* & vnde *cap. Cum dilecta*: proceſſus factus contra formam reſcripti irritus decernitur; *& cap. Venerab. de off. delegati*: proceſſus ab Abbate contra tenorem mandati factus, ſimiliter annullatur. Sed abſolutio fuit data contra formam commiſſionis ac mandati; fuit enim data, parte nondum ſatisfacta. Ergo irrita fuit, ac inualida.

5 Tertiò: Quia Clauſula illa, erat limitatiua poteſtatis ad illum caſum ſolùm, & non ad alios. Ergo extra illum caſum, Confeſſarius poteſtatem abſoluendi non habebat; cùm ergo abſoluerit, parte non ſatisfactâ; ſine poteſtate abſoluit, ideoque abſolutio fuit nulla.

RESOLVTIO I.

6 Reſpondetur tamen primò; Confeſſarium illicitè Titium abſoluiſſe. Ex officio enim, ac iuſtitiâ tenebatur, conſulere bono partis læſæ, ideoque realem eius ſatisfactionem procurare.

RESOLUTIO II.

7 Reſpondetur ſecundò: Confeſſarium validè Titium abſolviſſe. *Sanchez lib. 3. matr. diſp. 33. num. 3. & 6. Auila par. 2. cap. 7. diſp. 3. d. 9. concl. 2. Rodriguez par. 1. cap. 83. num. 4. Nauarrus cap. 27. num. 37. Reginald. lib. 31. num. 179. Coninch. diſ. 27 dub. 3. num. 33. & diſ. 5. num. 49. Gutierez de matr. cap. 43. num. 20. Salas de legib. diſp. 16. ſ. 10. num. 43. Bonacina de cenſ. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 9. num. 3.* & alij communiter.

Primò: Quia Pontifex, per eam clauſulam, non intendit, nouam formam inducere, nec poteſtatem Confeſſario limitare, ſed eum ſolùm ſuæ obligationis admonere; hæc enim eadem forma, eſt in iure communi. Quotieſcumque autem in commiſſione, aut poteſtatis delegatione, exprimitur forma, quæ etiam eſt in iure communi, non eſt intentio committentis, vel delegantis, nouam formam inducere, ſed ea forma ſolùm exprimitur, vt delegatus ſciat id, quod ſecundum ius commune ſeruare tenetur. *Clem. 1. de offic. deleg.* Signum enim eſt, quod delegans velit, ſe conformare iuri communi. Cum ergo Pontifex poteſtatem Confeſſario non limitauerit ad eum caſum, ſed conceſſerit abſolutè, potuit Confeſſarius, etiam parte non ſatisfactâ; Titium abſoluere, ideoque validè abſoluit, quamuis illicitè. 8

Secundò quia Confeſſarius abſoluendi poteſtatem non habebat magis limitatam, quam qui de iure communi illam de facto habet ordinariam: nam hic etiam, de iure communi abſoluere non poteſt, niſi parte ſatisfactâ, cum hæc clauſula etiam in iure communi ſit appoſita. Sed habens poteſtatem ordinariam, validè abſolueret, cum ius ei 9

poteſtatem non limitauerit ad hunc caſum. Ergo etiam Confeſſarius validè abſoluit, cum Pontifex ei poteſtatem non limitauerit ad hunc caſum.

10 Tertiò; Quia expreſſio conditionis, quæ rei alias tacite ineſt, nihil prorſus operatur, perinde, ac ſi non exprimeretur; *cap. Significaſti; de elect.* quamuis enim non exprimeretur, adhuc ſubintelligi deberet, vnde perindè eſt dicere; Confero Titio beneficium, ſi eſt idoneus, ac abſolutè; Confero Titio beneficium, do tibi facultatem aſſiſtendi matrimonio, præmiſſis denunciationibus, ac do tibi abſolutè facultatem matrimonio aſſiſtendi. Illæ enim conditiones, iam de iure inerant, ideoque eodem modo ſubintelligebantur, etiamſi non fuiſſent expreſsæ. Sed partis ſatisfactio, eſt conditio à iure communi ad abſolutionem requiſita. Ergo eius expreſſio in conceſſione facultatis à Pontifice data, nihil prorſus operatur, ideoque, ſicut valida fuiſſet abſolutio, ſi Pontifex eam clauſulam non expreſſiſſet, ita fuit valida, eâ etiam clauſula expreſſa.

11 Quartò: Quia, ſi Pontifex alicui facultatem abſolvendi committens, expreſsè iniungat, vt ſervet formam iuris communis, abſolutio data etiam contra formam iuris communis, erit valida, perinde, ac, ſi fieret ab habente poteſtatem ordinariam; Pontifex enim, iniungens, vt ſervetur forma iuris communis, aliter obligare non intendit, quàm obliget ipſum ius commune; nam ideo hanc formam præſcribit, quia vult illi ſe conformare. Sed, dum Confeſſario facultatem concedit abſoluendi, parte ſatisfacta, ei iniungit, vt ſeruet formam iuris communis. Ergo abſolutio data, etiam parte non ſatisfactâ, erit valida, quia de iure communi eſt valida.

Quintò: Quia forma iuris communis 12 tunc ſolùm habet rationem conditionis; & eſt limitativa poteſtatis; quando à Pontifice modo quodam ſpeciali requiritur, quo non requiritur à iure communi; ſi Pontifex dicat, do tibi facultatem conferendi Titio beneficium, ſi factâ diligenti inquiſitione, eum idoneum inueneris; cum enim modus ille à iure communi non requiratur, iam eſt noua forma, & conditio, ideoque reddit actum conditionalem, ac limitat poteſtatem; *cap. Cum delicta. de reſcript.* Sed ſatisfactio partis, à Pontifice, in commiſſione abſoluendi, non requiritur modo vllo ſpeciali à iure non requiſito, ſed eodem prorſus modo, quo requiritur à iure communi. Ergo non habet rationem conditionis, neque eſt limitatiua poteſtatis, ideoque abſolutio data, fuit valida.

OBIECTIONUM SOLUTIO.

Ad rationes in contrarium facilè reſpondetur; Ad primam; Confeſſarium habuiſſe facultatem ſub conditione requiſitâ etiam à iure communi, ideoque non limitante poteſtatem, ſed Confeſſarium ſolùm de ſuâ obligatione admonente, & quæ propriè dici non poteſt conditio. Huiuſmodi autem conditiones impropriæ, abſolutionis, aut alterius actus valorem non impediunt, dum non exprimuntur, & à Superiore tanquam conditiones ſpeciales peculiariter non requiruntur. *Sanchez loco cit.* 13

Ad

14 Ad ſecundam reſpondetur; Actum factum contra formam præſcriptam, eſſe inualidum, ſi forma non ſit etiam præſcripta à iure communi, ſed ſit forma ſpecialis, aut ſpecialiter præſcripta, quia tunc eſt limitatiua poteſtatis, & reddit actum verè conditionalem; at, ſi ſit forma à lege præſcripta, poteſtatem non limitat, ſicut illam non limitat ipſum ius, ideoque adhuc actus contra illam factus, eſt validus, quia à iure conditio, & forma illa requiritur ad hoc, vt vſus poteſtatis ſit licitus, non verò ad hoc, vt ſit validus; ſi enim à iure requireretur ad vſum validum, exprimeretur; quando ergo non exprimitur per additionem alicuius clauſulæ irritantis; v. g. aliàs actus ſit nullus; nihil valeat &c. ſignum eſt, requiri ſolùm ad vſum licitum; talis eſt autem partis ſatiſfactio, ad excommunicationis abſolutionem requiſita.

15 Ad tertiam: Negatur; Clauſulam illam, parte ſatiſfactâ, eſſe limitatiuam poteſtatis; non enim eſt magis limitatiua, quam, dum Parochus alteri Sacerdoti facultatem concedit aſſiſtendi matrimonio, præmiſſis denunciationibus, denunciationes præmiſſæ, ſint limitatiuæ facultatis matrimonio aſſiſtendi, cum vtrumque eodem modo videatur requiri. Certum eſt autem, denunciationes non requiri ad validam aſſiſtentiam matrimonio, ſed ſolùm ad licitam, quia denunciationes non pertinent ad eſſentiam matrimonij, nec ad eius valorem ſunt requiſitæ; vnde matrimonium, etiam non præmiſſis denunciationibus celebratum, adhuc eſt validum.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Ablatiuum abſolutum, non ſemper importare conditionem requiſitam ad validè, ſed aliquando ſolùm ad licitè operandum: ſic enim aliquando importatur ſolùm in iure communi; vt patet, cum Parocho præſcribitur, vt matrimonio aſſiſtat, præmiſſis denunciationibus; tunc enim denunciationes prærequiruntur ſolùm ad licitè aſſiſtendum matrimonio, non verò ad validè. Quando autem in ſpeciali conceſſione facultatis requiritur conditio, à iure etiam communi requiſita, eodem prorſus modo cenſetur requiri, quo requiritur à iure communi, quia Princeps cenſetur illi velle ſe conformare; ſi enim aliquid peculiare intenderet, illud exprimeret, vel addendo aliquam clauſulam irritantem: v. g. aliter non valeat; nullius ſit roboris &c. vel requirendo conditionem à iure communi non requiſitam, vel ſaltem illam requirendo, modo aliquo ſpeciali, quo non requiritur à iure communi. Cum ergo nihil horum inuenitur, ſignum eſt, Principem nolle inducere nouam formam, nec requirere conditionem, niſi eo modo, quo requiritur à iure communi. 16

Secundò: Eum, qui in Confeſſione oblitus eſt alicuius peccati habentis annexam cenſuram, à quâ abſolvi non poterat, niſi præmiſsâ partis ſatiſfactione, ſi abſolutionem generalem obtinuit à Sacerdote facultatem habente à cenſuris generaliter abſoluendi, parte ſatiſfactâ; remanere abſolutum etiam à cenſura illa oblita, quia Sacerdos potuit, & 17

implicitè voluit illum etiam ab eâ abſoluere. Potuit; quia, cum conditio illa non ſit reſtrictiua poteſtatis, eamdem habuit poteſtatem, quam habet ordinarius, voluit autem; quia, cum abſoluerit in confeſſione, voluit abſoluere quantum poterat, & pœnitens indigebat, & aliunde ſupponebatur in pœnitente diſpoſitio ad ſatisfaciendum parti, ſi recordaretur obligationis, quæ diſpoſitio pœnitentis reddebat etiam licitam Confeſſario abſolutionem.

18 Tertiò: Poſſe Confeſſarium, habentem facultatem abſoluendi, parte ſatisfactâ, abſoluere eum, qui ſine graui damno famæ, aut bonorum, ſatisfacere moraliter non poteſt, quia verba priuilegij, benignè ſunt interpretanda, cùm credibile non ſit, Superiorem velle obligare pœnitentem ad impoſſibile: à fortiori autem abſoluere poterit eum, qui data cautione promiſit, ſe primâ oblatâ occaſione, ſatisfacturum, aut qui, abſente parte læsâ, pecuniam depoſuit, vt ei deinde tempore commodo reſtituatur, etiam ſi realis reſtitutio facta non fuerit, quia hi cenſentur moraliter ſatisfeciſſe: qui enim fecit, quod potuit, legem impleuit.

QVAESTIO XLIX.

An Priuilegium procedere debeat ab Habente iuriſdictionem.

CASVS.

1 ANTIOCHIÆ, Monaſterium quoddam Regularium, ab Epiſcopi Vicario, facultatem petierat, & obtinuerat, Confraternitatem in eius Eccleſiâ erectam, eique incorporatam, cum ſuis redditibus, ad aliud Monaſterium Regularium transferendi; Ipſa tamen Confraternitas migrare noluit prætendens; Epiſcopi Vicarium, hanc facultatem concedere non poſſe. Quæritur; an facultas ab Epiſcopi Vicario conceſſa fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopus, videtur Confraternitatem de vnâ Eccleſiâ Regularium, ad aliam transferre poſſe.*

3 *Omnes Confraternitates, ſunt illi ſubiectæ.*

4 *Epiſcopus, res vnius Eccleſiæ applicare poteſt alteri.*

5 *Et omnes alios actus iuriſdictionis exercere.*

6 *Quæ Confraternitas veniat nomine* Loci pij.

7 *Quibus priuilegijs gaudeat.*

8 *Confraternitates, Regularium Eccleſijs incorporatæ, ſunt Collegia realia, non perſonalia.* 9 *Epi-*

9 *Epiſcopus, Confraternitatem de vna Eccleſia Regularium ad aliam transferre non poteſt.*
10 *Eſt extra Epiſcopi iuriſdictionem.*
11 *Nec viſitari poteſt, niſi in ordine ad rationes reddendas.*
12 *Nec cum legatis ipſis relictis, ab Eccleſia Regularium transferri poteſt.*
13 *Omnis tranſlatio importat alienationem.*
14 *Epiſcopus bona vnius Eccleſiæ, alteri applicare non poteſt.*
15 *Confraternitas, quamuis ab Epiſcopo dependens quo ad erectionem, poteſt eſſe exempta.*
16 *Quæ bona ab Epiſcopo de vna Eccleſia ad aliam transferri poſſint.*
17 *Ex iure viſitandi, non rectè infertur ius bona transferendi.*
18 *Facultas, ab Archiepiſcopi Panormitani Vicario conceſſa, fuit nulla.*
19 *Quarum Confraternitatum bona ſint alienabilia.*

RATIONES DVBITANDI.

2 SIcut Lex, procedere debet ab Habente iuriſdictionem, ita & Priuilegium, cum hoc etiam ſit lex quædam priuata, & ſpecialis Principis gratia, plerumque derogans iuri communi, ad quod omnino requiritur iuriſdictio. Vt ergo conſtet; an facultas, ab Epiſcopi Vicario conceſſa, fuerit valida; quærendum eſt; An Vicarius eam concedere potuerit. Aliqui enim putant, potuiſſe. Ita *Oldradus conſ.230.num.2. Lapus Allegat.42.num.3. Maſcardus de probat. conſ.587.num.5. Tuſcus v.Epiſcopus, concl. 272.*

Primò: Quia huiuſmodi Congregationes, ac Confraternitates videntur eſſe Epiſcopo ſpecialiter ſubiectæ. *Ex Conſtit.* enim *Clementis VIII.* quæ habetur *in 3. tom. Bull.* & inter *conſtit. Clementis, eſt* 115, ſine ſpeciali Ordinarii conſenſu, ac literis eius teſtimonialibus, quibus Confraternitatis erigendæ pietas, ſeu inſtitutum, & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, commendentur, erigi non poſſunt, aut alteri aggregari. Secundò; Cuiuſcumque Confraternitatis ſtatuta, debent eſſe ab Epiſcopo Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata; eiuſdemque Epiſcopi decretis, ac moderationi, & correctioni, in omnibus ſemper remanere ſubiecta. Tertiò; Gratiæ, ac Indulgentiæ, eidem, niſi præuia Ordinarij recognitione, communicari non poſſunt, nec Congregationes illis vti. Quartò; Eleemoſynæ, niſi iuxta modum ab Ordinario præſcriptum, excipi non poſſunt. Quintò; Nec Regularibus Confraternitates cum vſu ſaccorum inſtituere licet, ſine loci Ordinario. Sextò; Confirmatio Officialium, ad Epiſcopum ſpectat. Septimò: Sine Ordinarij licentia, Euchariſtiæ Sacramentum nec teneri poteſt, nec exponi. Cùm ergo huiuſmodi Confraternitates, ſint Epiſcopo ſubiectæ, eas, præſertim ex rationabili cauſa, de vno loco in alium, cum ſuis redditibus transferre poterit. 3

Secundò: Quia Epiſcopus res vnius Eccleſiæ, ex graui, ac rationabili cauſa, appli- 4

applicare poteſt alteri; vt tradit *Oldrad. conſ.260.num.2. & 257.num.6.* Et cum conſenſu Capituli, decimas, ac oblationes Eccleſiæ Matricis, applicare poteſt alteri Eccleſiæ filiali. Ergo à fortiori Confraternitatem cum ſuis redditibus, de vno loco ad alium transferre poterit. Non minorem enim iuriſdictionem habet in Confraternitates, quam in Eccleſias ſuæ Diœceſis.

5 Tertiò: Quia Epiſcopus, habet ius, ſuæ Diœceſis Confraternitates viſitandi, & alios actus iuriſdictionis circa eas exercendi, vt patet ex dictis. Ergo etiam habebit ius, illas, ex rationabili causâ, de vno loco in alium transferendi, præſertim ſi hoc, bono Diœceſis expediat; Epiſcopi enim iuriſdictio, ac poteſtas, ſe extendit ad quidquid expedit bono Diœceſis; cum hic ſit finis, & conſequenter menſura iuriſdictionis in Epiſcopo exiſtentis.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò: Nomine Confraternitatis, intelligi Congregationem Fidelium Laicorum, ad pias, ac deuotas actiones exercendas ordinatam, ad differentiam Congregationum merè prophanarum, quæ nec Epiſcopi auctoritate, nec ad pias actiones exercendas ſunt inſtitutæ, cuiuſmodi ſunt, Congregationes aliquæ Mercatorum, Artificum, Scholaſticorum, & ſimilium; ſiue deinde à Regularibus, ſiue à Laicis ſit inſtituta; ſiue Epiſcopi auctoritate, ſiue priuatarum ſolùm perſonarum conſenſu, ſiue propriam habeat Eccleſiam, vel Oratorium, ſiue Capellam ſolùm, aut Altare in alienâ Eccleſiâ, præſertim Regularium. Ex his autem Congregationibus, illæ ſolæ dicuntur Eccleſiaſticæ, & veniunt propriè nomine *Loci pij*; quæ Epiſcopi auctoritate ſunt inſtitutæ; vt colligitur *ex cap. de Xenodoch. tit. de relig. domib. & cap. Ad hæc: eod. tit.* Quia, ex iure Canonico, hanc qualitatem tribuere non poteſt, niſi Prælatus Eccleſiaſticus; vt habetur *d. cap. Ad hæc*; & tradit *Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. alleg.75. num.25.* Vnde aliæ, dicuntur piæ, quia ad pia opera exercenda ſunt ordinatæ, ſed non Eccleſiaſticæ, quia Epiſcopi auctoritate non ſunt inſtitutæ.

Aduertendum eſt ſecundò: Congregationes, Epiſcopi auctoritate inſtitutas, ſicut veniunt nomine, *Loci pij*, ita Loci pij priuilegijs gaudere. 7 Vnde primò gaudent priuilegio Fori, non quoad perſonas ſecundum ſe; nam hæ, cum ſint Laicæ, ex eo quod in Confraternitatem recipiantur, qualitatem non mutant; ſed ſolùm quoad corpus Confraternitatis; ſiue quatenus conſtituunt vnum corpus politicum, ac morale, ita vt, ſi ipſum corpus conueniatur, cognitio ſpectet ad Forum Eccleſiæ. Secundò Loca, in quibus Confraternitates congregari ſolent ad pia opera exercenda, gaudent immunitate, ita vt Rei ad ea confugientes, ſint tuti. Tum quia Eccleſia, per triginta paſſus, in ſuo circuitu, gaudet immunitate *ex cap. Definiuit. 17. quæſt. 4.* Domus autem Confraternitatis, regulariter intra dictum circuitum continetur. Tum quia etiam Domus Confraternitatis dicitur *Locus pius*; non ſolùm

ſum autem Eccleſiæ, ſed etiam Loca pia, gaudent immunitate *ex Bulla Greg. XIV. de immunit. Peregrin. de immun cap.* 4. *num.* 68. *Guttier. l.* 1. *qu. Canon. cap.* 35. *num.* 23. Tertiò gaudent beneficio reſtitutionis in integrum, ſicut Eccleſiæ, ac Loca pia; *Barboſa de off. Epiſc. all.* 75. *num* 38. Quartò; Ad earum bona præſcribenda, requiritur ſpatium annorum 40. *Ex Authent. de Eccleſiaſt. tit. § pro temporalibus: collat.* 9. vbi hoc privilegium omnibus Locis pijs conceditur. Quintò: ſunt à gabellis exemptæ; *ex Authent. item nulla Communitas. cap. de Epiſc. & Cler.* vbi omnibus Locis pijs conceditur exemptio à gabellis, alijſque tributis. Et ratio eſt, quia earum bona, ſunt Eccleſiaſtica; Hæc autem *ex cap. Non minus. cap. Aduerſus de immunit. Eccleſ. cap. Quia non nullis. cap. Clericis; eod. tit. in* 6. ſunt à gabellis exemptæ. Sextò denique earum bona, ſine Sedis Apoſtolicæ beneplacito, & ſine ſolemnitatibus requiſitis *in Extrau. Ambitioſæ. de reb. Eccleſ. non alien.* alienari non poſſunt; Quia, cum huiuſmodi Congregationes, Epiſcopi auctoritate, ſint factæ Eccleſiaſticæ, conſequenter etiam earum bona ſunt facta de foro Eccleſiæ, iuxta *reg text. in cap. vlt. de reb. Eccleſ. Bonac. diſp.* 3. *de contr. quaeſt.* 8. *pun.* 4. *num.* 21.

8 Advertendum eſt tertiò: Confraternitates, à Regularibus in ſuis Eccleſijs erectas, eſſe Collegia potius realia ſiue loco alligata, quam perſonalia ſiue à loco abſoluta; ad differentiam earum, quæ proprias habent Eccleſias, vel Oratoria, hæ enim loco non ſunt addictæ. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi Confraternitates, dum à Regularibus in ſuis Eccleſiis eriguntur, eiſdem Eccleſijs ſimul vniuntur, ac incorporantur, ita vt, ſi caſu aliquo diſſoluantur, eo ipſo earum bona ad dictas Eccleſias tranſeant; eiſque intelligantur applicata; ſicut, dum quis Monaſterium ingreditur, vt propria bona in illud transferat, bona illa per hoc dicuntur Monaſterio quæſita; Et ſicut, dum à Ciuibus, in aliquo loco, erigitur Statua, vt ibi ſit; per hoc ipſum, ſtatua illa intelligitur tali loco quæſita, ita vt, Ciuium amplius non ſit: *text. in l. Statuas. ff. De acquir. rer. dom. & ibi Gloſſ. & in L. Is qui, §. Quæſitum iuncto tex. ibi in verbo: ſi quis. de monum. & in verbo: Vera eſt. d. tit. & Gratianus lib.* 1. *diſcept. Forenſ. cap.* 118. *num.* 23. *& c.* 358. *num.* 36. His poſitis,

RESOLUTIO.

AD Caſum Reſpondetur. Epiſcopi Vicarium dictam Confraternitatem cum ſuis redditibus, ab vna Eccleſia Regularium, ad aliam transferre non potuiſſe, ideoque facultatem ab ipſo conceſſam fuiſſe inualidam. *Barboſa de iuriſd. Eccleſ. lib.* 2. *tit. de Hoſpit. & Confrat. cap.* 11. *num.* 82. *Fillinc. tract.* 44. *cap.* 3. *num.* 23. *Quaranta ſumm. Bull. tit. de alienat. num.* 29. *Rodriguez, qu. reg. tom.* 2. *quaeſt.* 63. *art.* 3. *Bonacina de contr. diſp.* 3. *quaeſt.* 8. *pun.* 4. *num.* 21. *Lezana tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 27. & alij communiter. 9

Primò: Quia dicta Confraternitas cum à Regularibus, & in eorum Eccleſiâ 10

eſſet

eſſet erecta, & eſſet ſub eorum cura, ac adminiſtratione, erat extra iuriſdictionem Epiſcopi non minus, quam ipſa Eccleſia, ac Monaſterium, cui erat incorporata; eodem enim priuilegio exemptionis gaudebat, quo ipſa Eccleſia, ac Monaſterium; præſertim ſi redditus non per Laicos, ſed per ipſos Regulares adminiſtrabantur; in hoc enim caſu, nec Epiſcopi ſuberat viſitationi; vt decreuit *S. Congreg. Epiſc. & Reg. ann. 1581. in vna S. Angeli 2. Aug. & habetur in orig. regiſtr. f. 104. & an. 1604. in vna Tortona 22. Martij regiſtr. fol. 25. & ann. 1610. in vna. Atque 3. Dec. & 1642. 31. Ianuar.* Cum enim eius bona pertinerent, ad Regularium Eccleſiam, in quâ Confraternitas illa erat fundata, ab ijſque adminiſtrarentur, viſitari non poterat, quin aliquo modo viſitarentur etiam ipſi Regulares. Hi autem, Epiſcopi viſitationi non ſubſunt. Si ergo dicta Confraternitas erat extra iuriſdictionem Epiſcopi, manifeſtè conſtat, Epiſcopum, eam ab vnâ Eccleſiâ Regularium ad aliam transferre non potuiſſe; ad hoc enim requiritur poteſtas iuriſdictionis, quam nec Epiſcopus, nec eius Vicarius habebat.

11 Secundò: Quia Epiſcopus, licet *ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 8.* ſaltem tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, viſitare poſſit Confraternitates, in Eccleſijs Regularium inſtitutas, quoad rationes reddendas, earum tamen Altaria, & Capellas, in ipſorum Regularium Eccleſijs conſtructas, viſitare non poteſt, ex declaratione *S. Congr. relata à Galletto, v. Epiſc. & Lazina tom. 2. cap. 15. num. 27.* Tum quia dictæ Capellæ viſitari non poſſunt, niſi in ordine ad ornatum, ac ſupellectilem. Hæc autem omnia pertinent ad Regulares. Tum quia dictæ Capellæ viſitari nequeunt, quin aliquo modo viſitentur etiam ipſi Regulares. Si ergo Epiſcopus, præter ius viſitandi in ordine ad reddendas rerum adminiſtratarum rationes, nullum aliud ius habet, in Confraternitates in Eccleſijs Regularium inſtitutas, conſequenter ius non habebit illas cum ſuis redditibus, de vnâ Eccleſiâ ad aliam transferendi.

12 Tertiò: Quia Confraternitas vnâ cum Legatis, Confraternitatis contemplatione, relictis, ab Eccleſiâ Regularium transferri non poteſt ex decreto *S. Congr. in vna Montis Virginis 1629. 22. Iun. regiſtr. fol.* 202. Quia Legata illa cenſentur illi Eccleſiæ iam quæſita. Ergo neque transferri poterit cum redditibus, ipſi Confraternitati relictis; hi enim, non minus ſunt bona illi Regularium Eccleſiæ iam quæſita, quam ſint Legata, cum vtraque ad eandem Confraternitatem æquè pertineant.

13 Quartò: Quia omnis translatio, importat alienationem; imò eſt ſpecies quædam alienationis; cùm alienatio, nihil ſit aliud, quam translatio rei, eiuſque dominij, de vno ad alium. Sed bona dictæ Confraternitatis, cum ſint bona Loci pij, ideoque Eccleſiaſtica, ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu, ac ſolemnitatibus; *in Extrau. Ambitioſa de reb. Eccl. non alienan.* requiſitis, alienari non poſſunt. Ergo nec ſola Epiſcopi auctoritate ab vnâ Eccleſiâ Regularium ad aliam transferri poſſunt; iam enim alienarentur.

14 Quintò: Quia Epiſcopus, neque in

Eccleſijs

Eccleſijs ſibi ſubiectis, de vnius Eccleſiæ bonis *in d. Extrauag.* Comprehenſis, ita diſponere poteſt, vt propria auctoritate, ea transferat ad aliam Eccleſiam, eique amplicet, ac incorporet. Ergo à fortiori dictam Congregationem cum ſuis redditibus ſibi non ſubiectam transferre non potuit ab vna Eccleſiâ Regularium ad aliam.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

15 NEque rationes oppoſitæ obſtant. Nam ad primam Reſpondetur; Ex Confraternitatum dependentiâ ab Epiſcopi conſenſu, quo ad erectionem, non rectè inferri earum ſubiectionem, quo ad reliqua, cum illâ enim dependentia ſtare poteſt exemptio. Vnde, licet omnes Confraternitates, Epiſcopi conſenſum requirant quo ad erectionem, non tamen omnes, ſunt Epiſcopo ſubiectæ, ſed aliquæ ſunt exemptæ, quas propterea Epiſcopus iure ordinario viſitare non poteſt, ſed ſolùm tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; eiuſque conſenſus eſt requiſitus ſolùm per modum cuiuſdam ſolemnitatis extrinſecæ; cum citra vſum Sacramentorum quælibet Confraternitas, ſine Ordinarij auctoritate, aſſumere ſibi poſſit locum, in quo pia Religionis opera exerceat. *L. 1. §. Sed Religionis. ff. de Colleg. illicit.*

16 Ad ſecundam Reſpondetur; Epiſcopum, vnius Eccleſiæ ſibi ſubiectæ bona non comprehenſa *ſub Extrauag. Ambitioſæ*, ab ea anferre, & alteri applicare poſſe cuiuſmodi ſunt decimæ, ac oblationes; non tamen bona *ſub ea Extrauag.* comprehenſa; hæc enim, ſine ſolemnitatibus in eâ requiſitis, & ſine Apoſtolicæ Sedis conſenſu, ſicut alienari non poſſunt, ita nec de vnâ Eccleſiâ ad aliam transferri.

Ad tertiam Reſpondetur. Ex iure viſitandi Confraternitates, non rectè colligi ius de earum bonis diſponendi, & conſequenter nec ius eas cum ſui redditibus, de vnâ Eccleſia ad aliam transferendi; præſertim ſi Eccleſiæ ſint Regularium, & ab eius iuriſdictione omnino exemptæ Epiſcopi autem iuriſdictio, ſe extendit, ad quidquid expedit bono Diœceſis, niſi vel à iure ſit ſpecialiter prohibitum, vel ex priuilegio ab eius iuriſdictione exemptum. Epiſcopus ergo Confraternitatem in unâ Eccleſiâ Regularium erectam cum ſuis redditibus, ad aliam Eccleſiam transferre non poteſt. Tum *ex decr. S. Congr. Epiſc. & Reg.* Tum ex defectu iuriſdictionis in Epiſcopo, & ſubiectionis in Confraternitate. Tum denique ex vi *Extrauag. Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.* 17

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; Rectè, 18 Panormi, à Reuerendiſſ. Abbate D. Octauio de Auguſtino, Patricio Panormitano, Prothonotario Apoſtolico, & Vener. Conu. S. Nicolai de Tolentino Patrum Diſcalceatorum S. Auguſtini Vrbis Panormi, tunc Iudice Conſeruatore, deciſum fuiſſe, facultatem à dicto S. Nicolai Monaſterio, ab Archiepiſcopi Vicario obtentam, transferendi Confraternitatem in ſuâ Eccleſiâ erectam, ſibique incorporatam, cum ſuis redditibus, ad Eccleſiam S. Auguſtini eiuſdem Ordinis, nullius fuiſſe roboris,

roboris, ac omnino nullam. Tum quia, Confraternitas illa, cum eſſet ſub curâ Regularium, Vicarij iuriſdictioni non ſuberat, ſed erat exempta, Tum quia, quamuis ipſa Confraternitas Vicarij iuriſdictioni ſubjecta fuiſſet, eius tamen bona non ſuberant, quo ad translationem, quæ eſt ſpecies alienationis, ſed ad hoc, Sedis Apoſtolicæ conſenſus, requirebatur. Vnde eadem deciſio, merito etiam per Tribunal Conſiſtorij S. R. C. eiuſdem Regni fuit ſæpius confirmata.

19 Secundò: Etiam Confraternitates ad pia opera ordinatas, quamuis ſine Epiſcopi auctoritate erectas, in favorabilibus, venire nomine *Loci pij*, ratione operum quæ in illis exercentur. Vnde etiam ex Tridentino viſitari poſſunt, niſi ex Fundatoris diſpoſitione hoc ſit prohibitum, *Barboſa alleg.* 75. *num.* 21. & gaudent immunitate à gabellis, cum hæc concedatur omnibus locis pijs; earum tamen bona alienari poſſunt ſine ſolemnitatibus. *Extrau. Ambitioſæ*; quia licet ſint loca pia, nullum tamen veſtigium habent nominis Eccleſiaſtici, quia Epiſcopi auctoritate non ſunt fundatæ.

QUÆSTIO L.

An Priuilegium, ad ſui valorem, Priuilegiati acceptationem requirat.

CASUS.

1 CÆSAR, & Pompejus, Sacerdotes Diœceſis Maceratenſis, Tolentini degebant. Cæſar autem, cum eſſet legitimè impeditus, Nuncium ad Epiſcopum miſit, vt Confeſſiones audiendi facultatem ab eo peteret. Epiſcopus, audito Nuncio, facultatem conceſſit non ſolùm Cæſari, ſed etiam Pompeio. Dum autem has facultates concedebat, aderat Titius, qui Nuncium præcurrens, Sacerdotibus facultatem illis ab Epiſcopo conceſſam indicauit. Sacerdotes, hoc audito, quia dies erat ſolęmnis, & magna populi multitudo illuc confluxerat ad lucrandas indulgentias, & ad peccata confitenda, ſe ſtatim ad confeſſiones audiendas expoſuerunt, & antequam ad eos Nuncius reuerteretur, plures abſoluerunt. Quæritur; Vtrum abſolutiones illæ fuerint validæ.

SVMMARIVM.

3 *Priuilegium prodeſſe videtur priuilegiato à tempore conceſſionis.*
4 *Priuilegium pendet totaliter à voluntate concedentis.*
5 *Aequiparatur Legato.*
6 *Et prorogationi iuriſdictionis.*
7 *Illo gaudent Doctores, ſine eius notitia.*
8 *Diſpenſatio, ante eius notitiam prodeſt.*
9 *Quæ gratia ſit priuilegium.*
10 *Quibus concedi poſſit.*

11 Con-

11 *Concedi poteſt etiam inuito.*
12 *Hoc tamen nunquam præſumitur, niſi exprimatur.*
13 *Requiritur acceptatio ex parte Priuilegiati.*
14 *Abſolutiones datæ à Caſare, fuerunt validæ.*
15 *Datæ fuerunt, poſt facultatis acceptationem.*
16 *Ius in beneficium, ante acceptationem, non acquiritur.*
17 *Donatio, à tempore acceptationis, valere incipit.*
18 *Abſolutiones datæ à Pompeio fuerunt inualidæ.*
19 *Datæ fuerunt, ante facultatis acceptationem.*
20 *Non ſufficit cognitio, ſed requiritur acceptatio.*
21 *Priuilegium principaliter pendet à voluntate Concedentis, ſed minus etiam principaliter ab acceptatione Priuilegiati.*
22 *Priuilegium, in quo æquiparetur Legato.*
23 *Ad continuationem iuriſdictionis, non requiritur noua acceptatio.*
24 *Acceptatio requiritur ſolùm in Priuilegiato directo.*
25 *Diſpenſatio, ſine acceptatione non eſt completa.*
26 *Priuilegium acceptatum, etiam ſine eius notitia, valet.*
27 *Etiam diſpenſatio valet à tempore acceptationis.*
28 *Et licentia à Superiore conceſſa.*
29 *Et priuilegia etiam remuneratoria.*
30 *Ante acceptationem, nullum habent effectum,*
31 *Non requirunt acceptationem eorum, in quorum damnum cedunt.*
32 *Neque eorum, in quorum vtilitatem cedunt indirectè.*

RATIONES DVBITANDI.

CVm Priuilegium ſit lex quædam priuata, aliquod ſpeciale beneficium concedens, & à legis obligatione regulariter eximat, alioſque obliget ad eius vſum Priuilegiato non impediendum; eius cognitio ad perfectam Legis notitiam pertinere videtur. Et quia de eo præcipuè dubitari ſolet; an, vt ſit validum eius notitia, & acceptatio, requiratur ex parte priuilegiati. Ideo præſens Quæſtio proponitur, cuius reſolutio pendet ex ea. An priuilegium acquiratur Priuilegiato, à tempore conceſſionis, an verò à tempore legitimæ notitiæ, & acceptationis ipſius Privilegiati; Si enim incipit valere, à tempore conceſſionis, abſolutiones ab vtroque Sacerdote datæ, fuerunt validæ, quia, cum datæ fuerint poſt facultatem ab Epiſcopo conceſſam, datæ fuerunt ab habentibus poteſtatem. Si verò incipit valere ſolùm, à tempore legitimæ notitiæ & acceptationis Priuilegiatij, abſolutiones datæ ab vtroque, vel ſaltem à Pompeio, fuerunt inualidæ, quia datæ fuerunt ante legitimam notitiam facultatis ab Epiſcopo conceſſæ, ſicque à non habentibus adhuc poteſtatem; Titius enim non erat Nuncius legitimus, cum ab Epiſcopo, ad facultatem Sacerdotibus nuntiandam, non eſſet deſtinatus.

Privilegium autem prodeſſe Privilegiato à tempore conceſſionis: videntur tenere *Angelus v. renunciatio num. 5. in fine. Sotus in 4. diſput. 29. quæſt. 2. ar. 1. Lopez par. 2. de matrim. cap. 42. & de priuilegijs remuneratorijs. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 23. quæſt. 7. Menochius de arbitr. cent. 2. caſu* 2

285.n.45.Bonac. diſp.1.de legibus quaſt.3. pun. 3. n. 15. & probabile putat Suarez lib.8.cap.25.n.18.Salas de legibus diſp.20. ſeſſ.14. n.108.Sanch. lib. 8. d. 26. num.6.

4 Primò: Quia Priuilegium, totaliter pendet à voluntate Concedentis, & hæc, iure naturæ, ſufficit ad eius valorem, ac efficaciam; Ergo prodeſſe poterit Priuilegiato à tempore conceſſionis, ita vt eius vſus, immediatè poſt talem conceſſionem, ſit validus, Si enim Pontifex, motu proprio, cum aliquo, in cognatione ſpirituali, diſpenſet ad Matrimonium contrahendum, cur non poterit is, ſtatim poſt diſpenſationis conceſſionem, validè Matrimonium contrahere, quamuis conceſſionem ignoret? Sicut enim impedimentum hoc, ſolà Pontificis voluntate, introductum eſt, ita ſolà eiuſdem voluntate, poteſt auferri.

5 Secundò: Quia Privilegium æquiparatur Legato. *Authent. de Nuntijs §. diſpenat. collat.* 4. Sed Legatum acquiritur Legatario, à die mortis Teſtatoris; etiam ſi nullam illius habeat notitiam, nec illud acceptauerit. *L. Cum Pater §. Surdo. ff. De leg.* 2. Ergo privilegium quoq; acquiritur Priuilegiato, etiam ignoranti, à tempore conceſſionis Superioris.

6 Tertiò: Quia, *L.2. §.1. ff. de iudic.* Ignorans, ſibi eſſe prorogatam iuriſdictionem, illam de facto habet. Sed prorogatio iuriſdictionis, eſt quoddam priuilegium. Ergo Ignorans, ſibi eſſe conceſſum priuilegium, illud de facto habet, eoque validè vti poteſt; Eſto, non ſemper licitè propter periculũ, cui ſe aliquando exponit exercendi actum inualidum in materia Sacramentorum, aut iuſtitiæ.

7 Quartò: Quia Clericus coniugatus, ſi omnes conditiones habeat à iure requiſitas, gaudet priuilegio fori, etiam ſi illius omnino ignarus ſit; & Doctor gaudet omnibus priuilegijs, quæ Doctoribus ſunt conceſſa, quamuis eorum notitiam non habeat. Ergo, vt Priuilegiato proſit priuilegium, non requiritur, vt ius notitiam habeat, illudque acceptet ideoque prodeſt à tempore conceſſioni.

8 Quintò: Quia, ſi ante Tridentinum, duo habentes impedimentum dirimens, ſponſalia contraxiſſent, & poſt conceſſam impedimenti diſpenſationem, affectu maritali ſe cognouiſſent, ſponſalia illa in Matrimonium tranſijſſent, quamuis ignoraſſent, diſpenſationem fuiſſe conceſſam; per diſpenſationem enim impedimentum ſufficienter fuiſſe ſublatum; Sublato autem impedimento, copula affectu maritali habita, tunc ſatis erat, ut ſponſalia in Matrimonium tranſirent; Ergo diſpenſatio, & conſequenter etiam priuilegium, prodeſt etiam antè quam quis illius notitiã habeat, illudq; acceptet, & conſequenter à tempore conceſſionis; cum ergo confeſſiones ab utroq; Sacerdote auditæ fuerint, poſt licentiam, illis ab Epiſcopo conceſſam, fuerunt validæ, quamuis Sacerdotes, illius licentiæ legitimam notitiam nondum haberent.

NOTABILIA.

9 Aduertendum eſt primò: Non cuiuſuis hominis gratiam vel beneficium appellari priuilegium, ſed illam ſolùm, quæ à publica poteſtate conceditur. Priuilegiũ enim, ab alio, quam à Principe concedi non poteſt; nam vel eſt legis diſpenſatiuum, & in lege ſolus Princeps diſpenſare poteſt; vel eſt conceſſiuum, & hoc alios obligare debet, ne Priuilegiatum impediant ab vſu priuilegij; hanc autem vim obligandi, ab alio, quam à Principe habere non poteſt, cum ſolus Princeps poteſtatem habeat obligandi.

10 Aduertendum eſt ſecundò; Priuilegiũ ſi ſit legis diſpenſatiuum, concedi non poſſe niſi Subditis, quia ſoli Subditi, legibus Diſpenſantis obligantur. Si vero ſit conceſſiuum, concedi poſſe etiã non Subditis, quia eſt quædam donatio, hæc autem cuil-

cuilibet fieri poteſt; eſſe tamen debet de materiâ Principi ſubiectâ; quia Priuilegium, reſpectu aliorum, habet rationem legis obligantis; Hoc autem non haberet, niſi eſſet de materiâ ſubiectâ.

11 Aduertendum eſt tertiò: Principem, de poteſtatis plenitudine, alicui etiam inuito, ac nolenti, priuilegium concedere poſſe; qua enim repugnantia apparet in hoc, quod Pontifex, Excomunicatum etiam nolentem, abſoluat; Clericum inuitum, ex iuſtâ cauſâ, ad Matrimonium habilitet; Illegitimũ ad Ordines diſpenſet; & nolentem, à ieiunandi obligatione liberet? Ratio autem eſt; tum quia hæc impedimenta, ſicut à ſolâ Pontificis poteſtate, ac voluntate introducta ſunt, ita per illam ſolam auferri poſſunt, ac diſpenſari; Tum quia, ſicut lex ferri poteſt etiam in inuitũ, ita non eſt, cur in eundẽ ferri non poſſit etiam exemptio à lege, ac diſpenſatio, ſiue priuilegium cum priuilegium ſit lex quædam priuata.

12 Aduertendum eſt quartò: Licet Princeps Supremus, priuilegiũ concedere poſſit, etiam inuito, ac ignaro; nunquam tamẽ præſumi, illud ſic concedere, niſi clarè conſtet; Tum quia rectæ gubernationi ita expedit, ne beneficia Principis contemnãtur, dum nec indigentibus, nec petentibus conceduntur; Tum quia Princeps, licet poſſit, non tamen præſumitur per ſuas leges velle Subditos obligare, niſi ab illis acceptentur. Ergo ſimiliter, licet poſſit, non tamen præſumendus eſt, velle eoſdem per priuilegia, ac diſpenſationes, à legis obligatione eximere, niſi ab ipſis acceptentur. Tum quia priuilegium eſt quædam donatio; Hæc autem, ſine Donatarij acceptatione, non cenſetur completa, ac perfecta nec vllum habet effectum; Vnde priuilegij conceſſio, ſemper cenſetur hanc tacitam conditionem imbibere, niſi ei reſiſtas, vel modo illud acceptes. Tum deniq;, quia, ſi non requireretur acceptatio, non opus eſſet internam donationẽ Donatario manifeſtare cum hæc manifeſtatio ordinetur ſolùm ad acceptationem Donatarij. Cùm ergo hæc requiratur, requiritur etiam acceptatio.

Aduertendum eſt quintò; Ad perfectam, 13
ac completam priuilegij conceſſionẽ, non ſufficere quamcumq; Illius notitiam, & acceptationem, ſed requiri, vt Priuilegiatus illud acceptet, vel per ſe, vel per Nuncium, aut Procuratorẽ, aut per Epiſtolam, qua priuilegium petitur; hæc enim eſt acceptatio quædam anticipata, & ſub conditione, (ſi Princeps conceſſerit.) Ratio autem eſt, quia priuilegium, eſt quædam donatio; vt autem donatio valida ſit, completa, ac firma, neceſſario requiritur acceptatio, vel ipſius Donatarij, vel alterius nomine ipſius; ſic enim, & non aliter, voluntas Donatoris, ac Donatarij coniunguntur, & in vnum conueniunt; quæ voluntatum vnio, ad perfectionem ſiue complementum donationis, imo & cuiuſcunq; contractus, neceſſariò requiritur *L.1 ff. de pactis.* Quo circa, ſi Tertius acceptet, nulla erit talis acceptatio, quia per illam voluntas Donatarij non coniungitur cum voluntate Donatoris. Acceptatio enim illa reputari nunqam poterit Donatarij, nec ei tribui, cũ nomine ipſius facta non ſit. Vt ergo priuilegium completum ſit, ac perfectũ, requiritur ex parte Concedentis, vt ab eo intimetur Privilegiario, vel imediatè, & per ſe, vel mediatè, & per Epiſtolam, aut Nuncium; & ex parte Privilegiarij vt ab eo ſimiliter acceptetur, vel imediatè, & per ſe, vel mediatè per alium; ſic enim ſolùm, amborum voluntates coniunguntur, dum Donator dat Donatario, & hic acceptat à Donatore, in quâ coniunctione, priuilegij, & cuiuſcumque alterius contractus perfectio conſiſtit. His poſitis,

RESOLUTIO I.

ADCaſum Reſpondetur primò; Abſolu- 14
tiones à Cæſare datas, fuiſſe validas. *Sanch. l.2. matr. diſp.6. n.3 & 210 & 29. & l. 3 & l.4. ſum. c.48. Reginald. l 2 n.104. Suarez lib.8. c.25. n.13. Salas diſput.17. ſect 5.*

num.30.concl 2. Bonacina diſp.2. queſt.3. pun.3.num.5.Vaſquez 1.2.qu.95.ar.3.diſ. 156, cap.4. num.30. Azor. tom.1. lib.5. cap.3. queſt.7.& cap.23.queſt.vlt. Molina lib.4.primog.cap.2.num 62.Sotus lib.3. de juſt.queſt 5.art.3. & alij apud iſtos.

15 Probatur; Quia abſolutiones datæ fuerunt à Cæſare, poſtquam Nuncius, eius nomine, facultatem ab Epiſcopo conceſſam acceptauit; Ab eo autem puncto cœpit facultas eſſe valida, efficax, & completa.

16 Primò: Quia *cap. Si tibi abſenti de præb. in 6* deciditur; Ius in beneficium, quod confertur abſenti, ab eo non acquiri, donec ratam habeat collationem; *Et Authent. quibus modis naturales efficiantur ſui.§.Illud, collat.7.* habetur. Generaliter autem, in omnibus, qui per prædictos modos deducuntur ad ius legitimum, tunc hoc volumus obtinere, dum & filij hoc ratum habuerint. Vbi oſtenditur, legitimationem, abſenti non prodeſſe, donec ad eius notitiam peruenerit, ab eoque acceptetur.

17 Secundò: Quia Donatio, ac promiſſio, ab eo tempore valet, & eſt completa, quo acceptatur à Donatario, vel ab alio, nomine ipſius; eo enim ipſo datur vnio voluntatum ſufficiens ad valorem donationis, & ponitur conditio, ſine quà Donans, in abſentiâ, non cenſetur donare. Ergo etiam facultas confeſſiones audiendi, ab eodem tempore valet. Hæc enim, cum ſit priuilegium, eſt ſpecies quædam donationis.

RESOLUTIO II.

Reſpondetur ſecundò: Abſolutiones 18
datas à Pompeio fuiſſe inualidas. *Sanchez lib.1.diſp 6. num.3. & lib.3.diſp. 36.num.7.& in ſumm.lib.4.c 48. num.3. Bonacin.diſp.1 queſt.3.pun.3.num.5 Suarez lib.8.c.25.num.15. Salas diſp.20 ſeſſ. 14.num.*109. & alij communiter.

Probatur; Quia abſolutiones datæ 19
fuerunt à Pompeio, antequam vel ipſe, vel alius eius nomine, facultatem ab Epiſcopo conceſſam acceptaret. Ante hanc autem acceptationem, facultas non cenſetur integrè, ac completè conceſſa; cenſetur enim conceſſa non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, ſi acceptetur: Diſpoſitio autem conditionata, ante impletam conditionem, nullum habet valorem; nihilque operatur; Sicut donatio conditionata, ante conditionis poſitionem, nihil valet, & ad nihil obligat, quia eſt ſolùm incompleta, ac imperfecta: imò ſimpliciter dici non poteſt donatio.

Neque obſtat, quod Pompeius à Titio, 20
facultatem ſibi ab Epiſcopo conceſſam eſſe, cognouerit. Nam, cum Epiſcopus, Titio vices ſuas non commiſerit, non potuit hic Pompeio huiuſmodi conceſſionem indicare nomine Epiſcopi, & conſequenter nec Pompeius eam validè acceptare; Acceptatio enim eſſentialiter ſolùm donatorem reſpicit, & non alium, cum donatio ab eo ſolo immediatè, vel mediatè procedat, non ab alio. Sicut ergo, ſi Titius, abſque Pompeij mandato, facultatem ab Epiſcopo illi conceſſam acceptaſſet, inualida fuiſſet acceptatio, quia reputari non poſſet Pompeij, eò quod nomine ipſius facta non eſſet; ita, cum idem Titius, non miſſus ab Epiſcopo, ſed

ſua

Digitized by Google

ſua ſpontè, Pompeio Epiſcopi conceſſionem nunciauerit, quamuis Pompeius eam acceptauerit, acceptatio fuit nulla, quia non fuit acceptatio conceſſionis ab Epiſcopo datæ, cum neque Epiſcopus, neque aliquis eius nomine, Pompeio, vel alicui vices gerenti, eam manifeſtaverit.

OBIECTIONUM SOLUTIO.

21 AD rationes autem initio propoſitas Reſpondetur; Ad primam; Priuilegium, quoad valorem, pendere quidem principaliter à voluntate Concedentis, dependenter tamen ſemper à Priuilegiarij acceptatione, tanquam à conditione, ſine qua Concedens in abſentiâ, priuilegium concedere non cenſetur; Quamuis enim Princeps Supremus, de poteſtate abſoluta, priuilegium concedere poſſit etiam inuito; hoc tamen modo, illud de facto nunquam concedere præſumitur, niſi clarè conſtet, vt patet ex dictis.

22 Ad ſecundam; Privilegium, in eo ſolùm æquiparari Legato, quod vtrumque ſervandum ſit; privilegium quidem, ſiue Principis voluntatem, tanquam legem generalem; teſtamentum verò, ſive voluntatem Teſtatoris, tanquam legem privatam. Cum hoc autem ſtat, quod Privilegium, ad ſui valorem diverſas conditiones requirat, ac teſtamentum; Nam teſtamentum, Teſtatoris morte firmatur, priuilegium verò acceptatione Privilegiarij.

23 Ad tertiam: Per prorogationem iuriſdictionis, non acquiri novam iuriſdictionem, ſed antiquam continuari; Ad continuationem autem ſicut non requiritur nova voluntas, & acceptatio; ita non requiritur nova notitia. Adde quod continuatio iuriſdictionis, eſt quid acceſſorium ipſi juriſdictioni. Acceſſorium autem acquiri poteſt etiam ignoranti, dummodo principale non ignoretur, quia acceſſorium indirectè ſolùm, & quaſi per quandam naturalem conſecutionem, acquiritur.

Ad quartam; Priuilegij notitiam, & acceptationem requiri in Privilegiato directo, & per ſe, non vero in Privilegiato per accidens, & indirecto, quales ſunt Clericus coniugatus, Doctor, & ſimiles; huiuſmodi enim privilegia; primò, directè, & per ſe conceſſa ſunt Communitati, vel Statui; ſecundario verò ſolùm, & per accidens, ſingulis in illâ Communitate exiſtentibus, & quandiù ſolùm in illâ exiſtunt, & ſunt eius pars. Non ergo mirum, ſi ab his etiam ignorantibus, & non acceptantibus participentur, quia per quandam ſolùm conſequentiam, & neceſſariam illationem, privilegia, in his perſonis etiam ignorantibus, ac non acceptantibus, ſequuntur; vt docent *Suar. lib. 8. cap. 25. n. 7. Henriquez lib. 11. matr. cap. 3. num. 6. Sanchez lib. 8. diſp. 26. num. 6.* 24

Ad quintam: Negatur, diſpenſationem in eo caſu, fore validam; Cum enim concedatur, ſicut & reliqua priuilegia, ſub conditione, ſi acceptetur; nunquam cenſetur integra, efficax, & completa, niſi poſita acceptatione. In eo autem caſu nulla interceſſiſſet acceptatio. 25

COROL-

COROLLARIA.

26 Colligitur ex dictis primò; Geſta, quæ Priuilegiarius facit, poſtquam per Nuncium, vel Procuratorem, priuilegium acceptauit, eſſe valida, quamuis ipſe, priuilegij conceſſionem ignoret; quia priuilegium, ſtatim ac eſt acceptatum, incipit eſſe validum; Vnde ſi alicui exiſtenti in Galliâ impedimentum dirimens habenti, concederetur Romæ diſpenſatio, eiuſque Procurator illam acceptaret, & ipſe interim, ſub probabilitate obtentæ diſpenſationis, quamuis ignarus, Matrimonium contraheret, peccaret quidem, quia exponeret ſe periculo inualidè contrahendi; validè tamen contraheret, quia verè impedimentum eſſet ſublatum, ideoque nec afficeretur excommunicatione, ſi lata eſſet contra Matrimonium contrahentes in gradibus prohibitis: idemque dicendum eſt de iuriſdictione, Abſenti conceſſa, ad abſoluendum, & de quocumque alio priuilegio. *Sanchez lib. 2. ſum. cap. 48. num. 7. contra Vaſquez 1. 2. diſp. 156. cap. 4. n. 31. & Suarez lib. 8. cap. 25. num. 25.*

27 Secundò: Etiam priuilegia diſpenſatiua iuris communis, ab eiuſque obligatione eximentia, valere à tempore, quo à Nuncio, vel Procuratore fuerunt acceptata, quamuis Principalis, ante eius notitiam, per accidens, licitè eis vti non poſſit; ſicut Matrimonium contractum per Procuratorem, validum eſt, & ad licitum copulæ vſum ordinatur, quamuis Principalis, per accidens, eo licitè vti non poſſit, donec perfectam illius notitiam habeat; Et vniuerſaliter quælibet donatio per procuratorem acceptata, ius tribuit Donatario vtendi re donatâ, quamuis Donatarius, per accidens eâ licitè vti non poſſit, quandiu donationem ignorat. Quia Princeps, per priuilegiũ, intendit à legis obligatione eximere ſolùm per ſe, & ex vi priuilegij, ſicut per legem intendit obligare ſolùm per ſe, & ex vi legis; hoc autem totum fieri poteſt, etiamſi Priuilegiarius, per accidens, hanc exemptionem ignoret, & Subditus obligationem; ad ea enim, quæ ſequuntur per accidens, Princeps non attendit. Sicut ergo lex legitimè promulgata, quantum eſt ex ſe, ligare poteſt ignorantes, quamuis ipſi per accidens, ratione ignorantiæ, ab obligatione excuſentur; ita priuilegium legitimè intimatum, & acceptatum, à legis obligatione eximere poterit ignorantes, quantum eſt ex ſe, licet ipſi per accidens, ratione ignorantiæ, non eximantur. *Sanchez lib. 4, ſum. cap. 4. num. 9. Bonacina diſput. 1. quæſt. 3. pun. 3. num. 15.*

Tertiò: Non ſolùm validè, ſed etiam licitè aſſiſtere poſſe Matrimonio Sacerdotem, qui à viro fide digno cognouit, eius Procuratori ab Ordinario, vel Parocho, conceſſam eſſe aſſiſtendi licentiam. Tum, quia licentia fuit valida à tempore, quo illam eius Procurator acceptauit. Tum quia, ſic aſſiſtendo, nulli morali periculo irritationis matrimonium exponit. 28

Quartò: Non ſolùm priuilegia gratioſè conceſſa, ad ſui valorem requirere acceptationem, ſed etiam remuneratoria, & quæ conceduntur in præmium meritorum. Tum quia, ideo gratioſè conceſſa, ad ſui valorem requirunt acceptationem, ne priuilegia Principis vileſcant, repellantur, ac contemnantur; Hæc autem ratio, 29

ratio, æquè militat in priuilegijs remuneratorijs; Nam hæc etiam repelli poſſunt, ac contemni, tanquam ſibi non conuenientia, nec meritis digna; Si ergo, in illis requiritur acceptatio, requiretur etiam in iſtis. Tum quia, ſola acceptatio, quæ fundatur in dignitate, ac merito operis, eſt nimis remota, ac confuſa; ex illâ enim ad ſummum ſequitur, aliquem velle præmium opere dignum, non autem velle hoc potius, quam illud; alioquin acceptare cogeretur aliquando præmium meritis inæquale, nec illi fortè conueniens; Cum ergo illi tale determinatum præmium offertur, requiritur acceptatio. Tum denique, quia, ſicut Princeps, non cenſetur intentionem habere faciendi gratiam inuito ac nolenti, ita non præſumitur, velle inuitum, ac nolentem remunerari. *Suarez lib. 8. cap. 25. nu.* 18. *contra Bonac. num.* 15. & alij apud ipſum.

30 Quintò; Priuilegia, ante acceptationem, nullum prorſus habere effectum; Licet enim beneficium, à Superiore ſemel Abſenti collatum, etiam ante acceptationem reuocari amplius non poſſit, ſed expectari debeat conſenſus illius cui eſt collatum, vt habetur *cap. Si abſenti; de prabend. in 6.* Hoc tamen oritur, quia Superior, ex officio, beneficium conferre tenetur, ideoque poſtquam ſemel conferendo, functus eſt munere ſuo, collationem amplius reuocare non poteſt. At Princeps, non tenetur beneficia concedere, ſed conceſſio eſt quædam liberalis donatio; Hæc autem, quamdiu à Donatario acceptata non eſt, reuocari ſemper poteſt à Donatore. Adde, quod Princeps, reuocare poteſt Prouinciæ alicuius gubernationem etiam poſtacceptationem Gubernatoris, & Priuilegium, etiam poſtquam eſt à priuilegiario acceptatum. Ergo à fortiori reuocare hæc omnia poterit, ante eorum acceptationem. *Suarez num.* 7. *Bonacina num.* 12. *Sanchez. lib.* 3. *diſp.* 36. *num.* 4.

Sextò; Priuilegium, ad ſui valorem non requirere notitiam, & acceptationem eorum, in quorum damnum cedit; cum enim alicui priuilegium conceditur, ne ab Epiſcopo excommunicari poſſit, non requiritur, vt Epiſcopus, illius notitiam habeat, illudque acceptet, ſed ſatis eſt, quod à priuilegiario acceptetur. Ratio autem eſt, quia hoc non eſt priuilegium reſpectu Epiſcopi, ſed ſolùm reſpectu illius, cui conceditur. Si tamen, per illud, reuocaretur ius quæſitum Tertio; tunc requireretur notitia Tertij, quia Princeps non præſumitur velle priuare aliquem inſcium iure ſuo; hoc enim eſſet bono communi, ac ſuaui gubernationi contrarium. *Suar. cap.* 25. *num.* 28. 31

Septimò; Priuilegium, ad ſui valorem non requirere ſcientiam, & acceptationem eorum, in quorum cedit vtilitatem ſolùm indirectè; Cùm quis enim diſpenſationem obtinet in affinitate, aut alio impedimento communi cum puellâ quam ducere intendit, puella etiam cenſetur diſpenſata, quamuis ſit huius diſpenſationis omnino ignara, nec diſpenſationem acceptauerit. Ratio autem eſt; Tum quia, hoc priuilegium conceditur puellæ ſolùm indirectè; Tum quia, diſpenſatio puellæ, eſt 32

neceſſariò connexa cum diſpenſatione Titij. Ergo, eo ipſo, quod diſpenſatur Titius, ipſa etiam cenſetur diſpenſata; Diſpenſatio enim, ſemper extenditur ad neceſſario connexa; vnde non opus eſt, vt ipſa etiam conſentiat, & diſpenſationem acceptet. *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 26. *num.* 6.

QVAESTIO LI.

Quanam ſit cauſa Priuilegij executiua.

C A S V S.

1 TITIVS, Diœceſis Toloſanæ, cum Bertà in tertio gradu conſanguineà, Matrimonium contrahere volens, diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinuerat, Epiſcopi Vicario directam. Vix autem diſpenſationis literæ Toloſam venerant, cum Capitulum, mortuo Epiſcopo, more ſolito, proprium Vicarium conſtituit. Huic ergo Titius literas exhibuit, obtentáque ab eo diſpenſatione, Matrimonium contraxit. Quæritur; Vtrum diſpenſatio fuerit valida, & conſequenter Matrimonium inde ſecutum.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſatio à Vicario Capituli expedita, videtur nulla.*

3 *Solus Epiſcopi Vicarius eam expedire poterat.*

4 *Sicut commiſſiones factæ Legato, ab eo ſolo expediri poſſunt.*

5 *Vicarius Capituli, non eſt Vicarius Epiſcopi.*

6 *Quot modis, committi poſſit facultas diſpenſandi.*

7 *Ad quos dirigantur Commiſſiones, Sede vacante.*

8 *Diſpenſatio à Vicario Capituli expedita, fuit valida.*

9 *Dignitas Vicarij, ex mente Pontificis habet Succeſſorem.*

10 *Vicarius Capituli, eſt capax delegationis.*

11 *Hac diſpenſatio, conceditur in gratiam diſpenſandi.*

12 *Cur dignitas Vicarij Succeſſorem habeat.*

13 *Cur dignitas Legati Succeſſorem non habeat.*

14 *Vicarius Capituli, verè eſt Vicarius Epiſcopi.*

15 *A Vicario Capituli expediri poſſunt diſpenſationes Officiali Diœceſano commiſſæ.*

16 *Ex-*

Digitized by Google

16 *Expediri poſſunt etiam ab eius Succeſſore, ipſo mortuo.*
17 *Debet tamen eſſe Officialis principalior.*
18 *A quo expediri non poſſint.*
19 *Ab ipſo Epiſcopo expediri non poſſunt.*

RATIONES DVBITANDI.

2 DAntur aliqua priuilegia, quæ alicui committuntur executioni mandanda; ſic enim Pontifex regulariter diſpenſationes in votis Confeſſario committit expediendas. De his igitur eſt difficultas, cum alicui committuntur, expreſſo ſolo nomine dignitatis, cui verè committantur. Aliqui enim volunt committi certæ, ac determinatæ perſonæ, ita vt ab alijs executioni mandari omnino non poſſint. Et in hac ſententia, diſpenſatio à Vicario Capituli expedita, fuit omnino nulla; quia a non habente poteſtatem fuit expedita. Ita *Garzias par. 6. De benef. cap. 2. num. 41. Barboſa de poteſt. Epiſcop. par. 2. alleg. 54. nu. 142. Bonacina diſp. 1. qu. 3. pun. 8. §. 1. num. 8. Caſtropal. tr. 3. d. 4. pun. 16. §. 7. num. 11.*

3 Primò; Quia ſolus Epiſcopi Vicarius diſpenſationem illam validè expedire poterat, cum commiſſio ipſi ſoli eſſet à Pontifice perſonaliter directa, & non alteri; Quamuis enim, commiſſio ei facta fuerit, non expreſſo nomine proprio, ſed nomine Dignitatis, ac Vicarij; commiſſio tamen fuit perſonalis, ideoque ad Succeſſorem tranſire non potuit; Nam dignitas Vicarij, propriè Succeſſorem non habet; Tum quia Vicarius, eſt merus Epiſcopi delegatus, nec iuriſdictionem habet nomine proprio, ſed ſolùm nomine Epiſcopi, cum eoque vnum Tribunal conſtituit, *ex cap. 2. de conſuet. in 6.* Tum quia, dignitas Vicarij, non eſt neceſſariò perpetua, nec dicitur vacare, ſicut vacare dicuntur Epiſcopatus, Canonicatus &c. alioquin Epiſcopus, Vicarium conſtituere teneretur, ſicut creare tenetur, Canonicum, elapſoque termino legitimo, creandi poteſtas ad Pontificem deuolueretur; *cap. 1. de ſup. neg. Pral.* quod tamen eſt falſum, cum Epiſcopus, Vicarium conſtituere non teneatur, *ex cap. 1. & 2. de officio Vicarij. in 6.* Cum ergo, dignitas Vicarij, Succeſſorem non habeat, commiſſio facta Vicario Epiſcopi Toloſani, fuit perſonalis, ideoque ab eo ſolo expediri poterat, & non à Vicario Capituli, & conſequenter, eo ceſſante, ceſſauit.

Secundò; Quia Commiſſiones factæ 4
Legato, ſub nomine dignitatis, ab ipſo ſolo expediri poſſunt, & finito eius officio, extinguuntur. Ergo etiam commiſſiones factæ Vicario, ſub nomine Dignitatis, ab ipſo ſolo expediri poſſunt, & ipſo mortuo, vel remoto ab officio, extinguuntur; Ideo enim commiſſiones factæ Legato, ab ipſo ſolo expediri poſſunt, nec tranſeunt ad Succeſſorem, quia Dignitas Legati, ſucceſſorem non habet, cum non ſit Dignitas permanens, ſed ad voluntatem Pontificis conſtituta; Vnde beneficiorum prouiſiones, à Legato factæ, ſi effectum ſortitæ non ſint, finita legatione, expirant, vt habetur *cap. præſenti. de off. Legati in 6.* & docent *Sanch. lib. 8. d. 27. num. 11. & Bonac. diſp. 1. qu. 3 pun. 9. §. 1. num. 15.* Sed

etiam dignitas Vicarij, ſucceſſorem non habet, cum ipſa quoque permanens non ſit, ſed ab Epiſcopi voluntate dependens. Ergo commiſſiones Vicario factæ, ab ipſo ſolo expediri poterunt, nec ad Succeſſorem tranſibunt, ideoque commiſſio facta Vicario Epiſcopi Toloſani, à Vicario Capituli, expediri non potuit; cum non ad ipſum, ſed ad Epiſcopi Vicarium, eſſet directa.

5 Tertiò; Quia, quamuis dignitas Vicarij ſucceſſorem haberet, adhuc commiſſio facta Vicario Epiſcopi Toloſani, à Vicario Capituli, ſede vacante, expediri non potuit; Tum quia Vicarius Capituli, non eſt propriè Vicarius Epiſcopi; Tum quia Capitulum, ſede vacante, commiſſiones Vicario Epiſcopi demandatas, expedire non poteſt; Ergo à fortiori eaſdem expedire non poterit eius Vicarius; nemo enim plus iuris in alium transferre poteſt, quam ſibi competere dignoſcatur. *Ex reg. 79. de reg. iuris in 6.* Tum denique, quia, ex conſuetudine, ac ſtilo Curiæ conſtat, mentem Pontificis eſſe, vt huiuſmodi commiſſiones, per ſolos Epiſcoporum Vicarios expediantur, & non per alios; Mortuo enim Epiſcopo committuntur Epiſcopo viciniori, vel eius Vicario: vt docet *Garzias num.* 44. Commiſſio ergo facta Vicario Epiſcopi Toloſani, à Vicario Capituli, ſede vacante, expediri non potuit, ideoque expeditio fuit inualida.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; Tripliciter alicui committi poſſe à Pontifice facultatem diſpenſandi. Primò, expreſſo ſolo nomine perſonæ; vt, ſi dicatur; committimus Pompeio: & in hoc caſu commiſſio dicitur perſonalis, quia eſt facta perſonæ, illique adhæret, & ideo per eius mortem extinguitur. Secundò, expreſſo ſolo nomine Dignitatis; vt, ſit dicatur; committimus Epiſcopo Treuirenſi; & tunc commiſſio dicitur realis, quia eſt facta Dignitati, ideoque, mortuo Epiſcopo, tranſit ad Succeſſorem in illâ dignitate. Tertiò, expreſſo nomine perſonæ ſimul ac Dignitatis; vt, ſi dicatur, committimus Pompeio Epiſcopo Treuirenſi, vel Epiſcopo Treuirenſi, ob eius peculiarem ſcientiam, ac probitatem (huiuſmodi enim qualitates perſonam afficiunt, non dignitatem;) & in hoc etiam caſu, commiſſio cenſetur perſonalis, ne nomen perſonæ inutiliter, ac fruſtra dicatur appoſitum; & conſequenter per mortem perſonæ extinguitur. Difficultas tamen adhuc peculiaris eſt de Vicario; an commiſſio illi facta ſub nomine Dignitatis, ac Vicarij, tranſeat ad Succeſſorem, & præſertim ad Vicarium Capituli, ſede vacante.

Aduertendum eſt ſecundò; Aliquos 7 contendere, quod ex conſuetudine, ac ſtilo Romanæ Curiæ, & Cancellariæ, Epiſcopali ſede vacante, diſpenſationes dirigantur, non Vicario Capituli, ſed Epiſcopo viciniori, aut eius Vicario, de quo ſtilo teſtantur *Hier. Paulus in pract. Cancell. in principio v. circa qualitates perſonarum, & alij apud Bonacinam num.* 8. imo *Barboſa de iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 57. addit; à Sa-

Digitized by Google

à Sacrà Card. Congreg. declaratum eſſe *ſub die* 24. *Maij* 1621. & nouiſſimè *ſub die* 2. *Auguſti* 1631. Diſpenſationes matrimoniales directas Epiſcopo, & eius Vicario generali, ſi ſedes vacare contingat, per Vicarium Capitularem expediri non poſſe; quo poſito, diſpenſationes matrimoniales, & reſcripta; quæ dantur in forma Dignum, & Epiſcopo Vicarij committuntur, à Vicario Capitulari validè expediri non poſſent, quia conſuetudo, ac curiæ ſtilus obſtaret. *Gauantus* tamen, è contra *in Enchir. Epiſc. v. Capitulum ſede vacante n.* 55. teſtatur, S. Card. Congregationem Epiſcoporum, *ſub die* 5. *Februarij* 1601. Declaraſſe, Vicarium Capituli, ſede vacante, exequi poſſe literas ad Vicarium Epiſcopalem, ſub nomine Vicarij, directas; & ſub *die* 10. *Aprilis* 1615. Eumdem Vicarium exequi poſſe literas, Epiſco defuncto per Sacram Congregationem directas, & ab eo non expeditas. Ex his autem conſtat, hunc Curiæ ſtilum diuerſis temporibus fuiſſe diuerſum, ideoque de illo nunc etiam merito dubitari poſſe; cum præſertim omnes fateantur, huiusmodi commiſſiones, etiam à Vicarijs Prælatorum, qui Epiſcopi non ſunt, ſed ſolùm iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent, in ſuâ Diœceſi nulli Epiſcopo ſubiecta, expediri poſſe; vt ſunt Vicarij Abbatum iuriſdictionem Epiſcopalem habentium. His poſitis,

RESOLVTIO.

8 Reſpondetur, Diſpenſationem à Vicario Capituli Toloſani; ſede vacante, expeditam (per ſe loquendo) fuiſſe validam. Dixi (per ſe loquendo) vt præſcinderem à ſtilo curiæ, de quo adhuc ſatis conſtare non videtur; Ita *Salas diſp.* 20. *de legib. ſect.* 17. *nu.* 124. *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 33. *Baſilius Pontius de matrim. lib.* 8. *cap.* 18. §. 1. *num.* 13. *Petrus Ocbania de Sacr. tr.* 4. *de matrim. quæſt.* 11. *nu.* 23. *Gutierez de matrim. cap.* 125. *n.* 14. & alij apud iſtos.

9 Primò; Quia, quamuis dignitas Vicarij, de rigore iuris, Succeſſorem non habeat, illum tamen in ordine ad commiſſiones Pontificias expediendas, habet ex mente Pontificis, qui, ne reſcripta, Epiſcoporum Vicarijs commiſſa, paſſim pereant; & noui, ac magni ſumptus in nouis obtinendis, contra ſuauem Eccleſiæ gubernationem multiplicentur; ac denique ne multorum conſcientiæ, nouæ expeditionis dilatione, diu vinculis alligatæ, ac grauatæ manere cogantur; dum ea Vicario committit ſub nomine dignitatis, ſolùm Vicarij Tribunal conſiderare videtur, ſicque intendere, vt eorum expeditiones ad Succeſſorem tranſeant, non minus, quam, dum committuntur Epiſcopo; ſic enim omnia vitantur incommoda, nec vllum ſequitur inconueniens; vt docent *Ponacina num.* 5. *Sanch. num.* 10. *Gutierez, Salas, Garzias loco citato*, & alij communiter. Vicarius autem Capituli non minus in dignitate, ac iuriſdictione ſuccedit Vicario Epiſcopi, quam ipſum

Capitulum in iuriſdictione ſuccedat Epiſcopo, ideoque dici poteſt Vicarius Epiſcopi, ſiue habentis iuriſdictionem Epiſcopalem; ſic enim *in Clem.* 2. *de reſcript.* nomine Officialis Epiſcopi intelligitur Officialis habentis iuriſdictionem Epiſcopalem; vt docent *Salas ſect.* 17. *Sanchez num.* 10. *&* 32. & alij apud ipſum. Ergo Vicarius Capituli commiſſiones, Epiſcopi Vicario factas expedire potuit, ſicque diſpenſatio à Vicario Capituli Toloſani, ſede vacante, expedita fuit valida.

10 Secundò; Quia Vicarius Capituli Toloſani, ſede vacante, erat capax delegationis à Pontifice conceſſæ; quamuis enim *in Clem. 2. de reſcriptis* dicatur: Epiſcoporum Vicarios eſſe capaces delegationis à Papa, vel eius Legato conceſſæ; (quæ ſolis in dignitate conſtitutis committi poteſt *ex cap. Statutum in principio de reſcriptis in 6.*) ibi tamen, nomine Vicarij Epiſcopi, intelligitur generaliter Vicarius cuiuſcumque Epiſcopalem iuriſdictionem habentis, ſiue ſit Epiſcopus conſecratus, ſiue ſolùm electus, & à Pontifice confirmatus, ſiue Abbas, aut alius ſimilis Prælatus, qui licet Epiſcopus non ſit, iuriſdictionem tamen habet Epiſcopalem, in ſuà Diœceſi nulli Epiſcopo ſubiectà, vt tenent multi relati *ab Imola in eà Clem. num.* 19. *& à Sanch. num.* 34. Alioqui, ſi Epiſcopi Vicarius, hoc modo non acciperetur, non vitarentur incommoda ſuperiùs adducta, propter quæ Pontifex rationabiliter præſumitur voluiſſe, vt dignitas Vicarij Epiſcopalis ſucceſſorem haberet; ſic enim etiam multæ diſpenſationes, Epiſcopi Vicario directæ, perirent; ſumptusque, in nouis obtinendis multiplicarentur; & conſcientiæ diu vinculis ligatæ manere cogerentur. Si ergo ſub nomine Vicarij Epiſcopi comprehenditur etiam Vicarius Abbatis, Epiſcopalem iuriſdictionem habentis; à fortiori comprehendetur Vicarius Capituli, ſede vacante; ideoque, ſi diſpenſationes validè ab eo expediri poſſunt, à fortiori expediri poterunt etiam ab hoc.

11 Tertiò; Quia huiuſmodi commiſſiones, conceduntur à Pontifice principaliter in gratiam non Diſpenſaturi, ſed Diſpenſandi; finis enim Pontificis, in huiuſmodi commiſſionibus eſt, vt qui diſpenſationem petijt, & obtinuit, efficaciter diſpenſetur; Ergo mens Pontificis, dam Epiſcopi Vicario huiuſmodi diſpenſationem committit, eſt, vt expediri poſſit à quocumque, qui quomodocumque ſub illo nomine venire poteſt; ſic enim certiùs conſequitur finem, quem intendit; Imo aliter conuinceretur, illum efficaciter non intendere; non enim adhiberet media ad illum efficaciter obtinendum, cum poſſet. Cum ergo, ſub nomine Vicarij Epiſcopi, venire poſſit Vicarius Capituli, ſede vacante, non minus quam Vicarius Abbatis, vel alterius Prælati iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis in ſuà Diœceſi nulli Epiſcopo ſubiecta; ſequitur, etiam à Vicario Capituli, ſede vacante, expediri poſſe commiſſiones à Pontifice conceſſas, ſicque diſpenſationem, à Vicario Capituli Toloſani, ſede vacante expeditam, fuiſſe validam.

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIONUM SOLVTIO.

12 NEque obſtant rationes in contrarium adductæ. Nam ad primam Reſpondetur; Dignitatem Vicarij, licet per ſe, & de rigore, Succeſſorem non habeat, illam tamen habere, ex Pontificis mente rationabiliter præſumptâ, ad vitanda incommoda, quæ alias ſequerentur, ſi commiſſiones alligatæ eſſent perſonæ, & non officio, vt dictum eſt.

13 Ad ſecundam; Negatur conſequentia; Diſparitas autem eſt, quia, cum valdè raræ ſint delegationes, quæ committuntur Legato; quamuis Succeſſorem non habeat, ea non ſequuntur inconuenientia, quæ ſequerentur, ſi dignitas Vicarij, Succeſſorem non haberet; huic enim omnes ferè delegationes à Pontifice committuntur; & aliunde Vicarius, cum ab Epiſcopo conſtituatur, & non à Pontifice, ſicut Legatus; non præſumitur Pontifici notus, ſicut præſumitur Legatus; Ex hoc autem fit, vt longè faciliùs ſit, vt pereant diſpenſationes directæ Vicario, quam directæ Legato.

14 Ad tertiam; Negatur Antecedens; Vicarius enim Capitularis, verè eſt Vicarius Epiſcopi, hoc eſt, habentis iuriſdictionem Epiſcopalem non minus, quam Vicarius Abbatis, aut alterius Prælati iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis in ſuâ Diœceſi nulli Epiſcopo ſubiectâ. Cùm ergo ab hoc in omnium ſententiâ, commiſſiones, Epiſcopi Vicario directæ, expediri poſſint, eo quod in illâ Diœceſi, nullus ſit alius Officialis, præter illum, qui eas expedire poſſit; nulla eſt ratio, cur etiam à Vicario Capitulari, expediri non poſſint; cum tunc etiam, in illâ Diœceſi, non ſit alius Officialis, qui eas expedire poſſit, præter illum. Adde, quod, ſicut nomine Ordinarij, in ordine ad plures effectus non ſolùm venit proprius Epiſcopus, ſed etiam quilibet Prælatus iuriſdictionem habens Epiſcopalem in ſuâ Diœceſi nulli Epiſcopo ſubiectâ. Ita non eſt, cur nomine Vicarij Epiſcopalis, venire non poſſit etiam Vicarius capitularis. Denique, ſicut Capitulum Epiſcopo ſuccedit in omni iuriſdictione ordinariâ, & in omni iuriſdictionis commiſſione, Epiſcopali dignitati facta, cur etiam Vicarius Capitularis eodem modo, Vicario Epiſcopali non ſuccedet?

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò; Commiſſio- 15
nes et executiones, non in formâ *Dignũ*, ſed in formâ gratioſâ; Penſionum executiones; delegationes cauſarum; & alia ſimilia; per Vicarium Capitularem, ſede vacante, expediri poſſe; ſi Vicario, aut Officiali Diœceſano commiſſæ fuerint. Tum quia in his ſtilus Curiæ non obſtat; Tum quia, nomine Vicarij, ſeu Officialis Diœceſani, intelligitur etiam Vicarius Capitularis, vbi ſtilus Curiæ non obſtat, vt docent plures, quos referunt, & ſequuntur *Sanchez. lib. 8. diſp. 27. n. 32. & Garzias par. 6. de benef. cap. 2. num. 58.*

Secundò; Commiſſiones factas Vica- 16
rio Epiſcopi, ſiue Officiali talis Diœceſis, expediri poſſe, non ſolùm per Vicarium Prælati, Epiſcopalem iuriſdictionem habentis, ſed etiam per eius Succeſſorem, ipſo mortuo, vel remoto ab officio; Tum quia, nullus eſt alius Officialis in eâ Diœceſi, qui illas expedire poſſit, præter huiuſmodi Vicarium, eiuſque Succeſſorem, Tum quia hic etiam, eſt Ordinarius, ſicut eſt Vicarius Epiſcopi. Tum denique, quia

vſu

vſu ita receptum eſt, vt teſtatur *Sanchez diſp.* 27. *n.* 34. & in hoc conueniunt etiam Auctores initio relati, qui propterea ſibi cohærere non videntur, dum Vicario Capitulari hoc negant; hinc enim deſumitur valida præſumptio contra ſtilum Curiæ, quam ipſi afferunt.

17 Tertiò; Si Epiſcopus duos habeat Officiales, quorum vnus ſit principalior; per hunc, & non per alium, huiuſmodi commiſſiones, & diſpenſationes eſſe expediendas; Tum quia *in Clem.* 2. *de reſcriptis*; Officialis Epiſcopi principalis dicitur capax iſtius delegationis. Tum quia hic ſolus, in reſcriptis Pontificijs, nomine Officialis Diœceſani, intelligitur; Cum nomen dignitatis, abſolutè prolatum, accipiatur communiter pro principali. Si verò vterque ſit æquè principalis, & neuter in reſcripto deſignetur, tunc quiuis eligi poterit, cum quilibet æqualem habeat auctoritatem, nec vlli fiat iniuria, *Gutierez num.* 14.

18 Quartò; Huiuſmodi delegationes expediri non poſſe ab eo, qui ab Epiſcopo ad commiſſiones ſolùm Pontificias expediendas ſpecialiter eligeretur. Quia hic non eſſet Vicarius, nec ordinariam Vicarij iuriſdictionem haberet, quod tamen requiritur, vt harum delegationum ſit capax. *Sanchez num.* 42.

Quintò; Commiſſiones factas Vicario, expediri nullatenus poſſe ab Epiſcopo, etiam ſi ipſemet Vicarius, in Epiſcopum aſſumatur; quia dignitas Vicarij, ab Epiſcopi dignitate, eſt omnino diuerſa, vt patet *ex cap. Venerabilibus*; *de ſent. excomm. in* 6. Et quamuis Epiſcopi, ac Vicarij Tribunal idem ſit in ijs, quæ ſunt de iure ordinario, non eſt tamen idem in ijs, quæ ſpecialiter committuntur; In his enim, Vicarius ab Epiſcopo non pendet, ſed à Pontifice. Atque hinc eſt etiam Capitulum ſede vacante, diſpenſationes Epiſcopi Vicario commiſſas, expedire non poſſe, eius verò Vicarium poſſe; quia ſcilicet, Capitulum ſuccedit Epiſcopo, non Vicario. *Sanchez n.* 30. *Gutierez de matr. cap.* 125. *num.* 11. 19

QVAESTIO LII.

An Priuilegium ſtrictè ſit interpretandum.

CASVS.

1 TITIVS, cùm eſſet illegitimus, & ad Sacros Ordines promoueri cuperet, diſpenſationem petijt, & obtinuit ad Ordines ſuſcipiendos. Quatuor autem minoribus ſuſceptis, dubitare cœpit, an ſuſcipere poſſet etiam maiores. Quæritur; Vtrum, ex vi obtentæ diſpenſationis, ad eos promoueri poſſit.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſatus ad Ordines, videtur promoueri poſſe etiam ad Sacros.*
3 *Hæc diſpenſatio, eſt Principis beneficium.*
4 *Conceſſio indefinita, æquipollet vniuerſali.*
5 *Præſumitur amplè conceſſa.*
6 *Priuilegium, aliud eſt fauorabile, aliud odioſum.*
7 *Eſt explicandum ſolium, cum eius verba ſunt obſcura.*
8 *Diſpenſatus ad Ordines, ad Sacros promoueri non poteſt.*
9 *Eſt priuilegium odioſum.*
10 *Eſt iuri communi contrarium.*
11 *Ideoque reſtringendum.*
12 *Et ſi ſit indefinitum, non æquipollet vniuerſali.*
13 *Neque eius conceſſio, eſt ampla.*
14 *Diſpenſatus ab oneribus, intelligendus eſt ab extraordinarijs.*
15 *Priuilegium conceſſum ad beneficia, intelligitur ad ſimplicia.*
16 *Priuilegium ad lites, eſt reſtringendum.*
17 *Si tamen redundet in fauorem Religionis, eſt ampliandum.*
18 *Priuilegium in iure communi contentum, latè eſt interpretandum.*
19 *Sicut etiam, motu proprio conceſſum.*
20 *Derogans verò iuri alterius, eſt reſtringendum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVemadmodum non omnes leges eodem modo ſunt interpretandæ; ita nec omnia priuilegia. Quæritur igitur, latè, ne, an ſtrictè ſit explicandum priuilegium. Videtur enim latè eſſe interpretandum; ideoque Titium diſpenſatum ad Ordines; ex vi talis diſpenſationis, promoueri poſſe etiam ad Sacros. Ita *Rodriquez tom. 1. quæſt. 11. ar. 6. Henriq. de indulg. lib. 7. cap. 22. num. 3. & cap. 24. num. 4. Couaru. decr. 4. par. 2. cap. 8. §. 8. Salas diſp. 20. nu. 90. Azor. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2. Suarez diſp. 41. de cenſ. ſect. 3. num. 30.*

Primò; Quia priuilegium Ordines ſuſcipiendi, eſt Principis beneficium; ergo ad omnes extendendum videtur, ita vt comprehendat etiam maiores; Principis enim gratia, & beneficium latè eſt explicandum; *cap. Olim; de verborum ſignificatione, & L. benef. de conſt. Principum.* 3

Secundò; Quia in materiâ priuilegiorum, conceſſio indefinita, æquipollet vniuerſali; Cum enim non ſit maior ratio concedendi potius aliqua, quàm omnia, cenſetur vniuerſaliter concedere omnia, vt docet *Suarez loc. cit.* Sed priuilegium conceſſum eſt Titio, ad ſuſcipiendos Ordines indefinitè. Ergo æquiualet priuilegio conceſſo ad omnes Ordines ſuſcipiendos; Sicut ergo, ex vi huius, Titius ad Sacros Ordines promoueri poſſet, ita promoueri poterit ex vi illius. 4

Tertiò; Quia Princeps, eo ipſo, quod beneficium concedit, & ſuam mentem clarè non explicat, præſumitur amplè concedere; Tum quia hoc eſt eius liberalitati conforme, Tum quia, ſi beneficium limitare vellet, apponeret limitatio- 5

Digitized by Google

tionem; Dum ergo non apponit, ſignum eſt, ipſum amplè, & ſine limitatione, beneficium concedere. Sed, dum Titio priuilegium conceditur ad Ordines ſuſcipiendos; nulla apponitur limitatio. Ergo rationabiliter præſumitur, amplè concedi, & conſequenter ad omnes etiam maiores.

NOTABILIA.

6 ADuertendum eſt primò; Duplex dari priuilegium; Aliud derogans iuri communi, vel alicuius Tertij, vt eſt exemptio à lege ieiunij, vel à ſolutione decimarum; & hoc odioſum eſt, quia legis, vel alicuius Tertij nocumentum continet, & grauamen; Aliud nemini nocens, vt facultas confeſſiones audiendi, vel lucrandi Indulgentias; & hoc fauorabile eſt, quia gratiam, & fauorem, ſine vllo nocumento, ac grauamine continet. Quod ſi priuilegium vni faueat, & alteri noceat, vt eſt exemptio à decimarum ſolutione, eſt mixtum ex odio, ac fauore, ita vt à cauſa, ob quam conceditur, colligi poſſit, àn abſolutè ſit fauorabile, an odioſum; Si enim cauſa, bono communi, aut Religioni faueat, cenſetur abſolutè fauorabile; Si verò cauſa ſit, ſolùm bonum priuatum Priuilegiarij, cenſetur abſolutè odioſum, quia damnum commune præponderat bono particulari.

7 Aduertendum eſt ſecundò; Priuilegium, tunc ſolùm eſſe explicandum, cum eius verba ſint obſcura, nec conſtat de mente Concedentis. Nam, quando de hac conſtat, tunc illi ſtandum omnino eſt, cum priuilegium, totam ſuam vim habeat à mente Concedentis. Cum verò de hac dubitatur, tunc ad coniecturas recurrendum eſt; vt ad ſupplicationem, cum precibus in illâ contentis Princeps accommodare ſe ſoleat. *L. Si preces. ff. de legib.* & *cap. Inter dilectos, §. Cæteri de fide inſtrum.* ad rem quæ conceditur; & ad ſubiectam materiam; ad aliud ſimile priuilegium; vel ad iudicium prudentum pro loco, & tempore; quando periculum eſt in mora, nec patet aditus ad Principem, nec eius animus aliunde colligi poteſt, aut inueniri. His poſitis,

RESOLVTIO.

REſpondetur; Titium, ex vi diſpenſationis obtentæ, ad Sacros Ordines promoueri non poſſe. *Silueſter cap. Clericus, 1. quæſt. 4. & v. Priuilegium qu. 3. Salas diſp. 17. ſect. 8. n. 49. Azor. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2. Suar. lib. 8. de legibus cap. 28. num. 16. Sanchez. lib. 8. matr. diſp. 1. num. 26. Bonac. diſp. 1. qu. 3. pun. 7. §. 1. num. 10. Nauarrus cap. 12. nu. 9.* & alij apud iſtos. 8

9 Primò; Quia, Diſpenſatio à Titio obtenta, cum ſit iuris communis derogatiua, eumque eximat à lege irregularitatis, eſt priuilegium odioſum. Hoc autem, quantum fieri poteſt, eſt reſtringendum; ita enim habetur; *cap. Sanè; de priuilegijs*, & in regulis iuris, *odia reſtringi, fauores conuenit ampliari.*

10 Secundò, Quia Princeps, cum ſit iuris communis auctor, & defenſor, illud per ſuum priuilegium, quam minimè fieri poſſit, lædere velle cenſetur, ideoque

illi

illi derogare, ſolùm quatenus expreſsè, per verba declarat, & non amplius. *L. Quod auſus. ff. de emancip. liberorum.* Et conſequenter illud quantum fieri poteſt reſtringi. Sed priuilegium Ordines ſuſcipiendi, obtentum à Titio, eſt iuri communi contrarium, eius enim diſpenſationem, ac derogationem continet. Ergo Pontifex cenſetur, per illud voluiſſe, quam minimè potuit, ius commune vulnerare, ideoque illud, quantum fieri poteſt, reſtringi, ſicque intelligi conceſſum ſolùm quoad Ordines minores. Si tamen Titius minores Ordines habuiſſet, dum priuilegium obtinuit, tunc, ne priuilegium eſſet fruſtraneum ac inutile, ſed aliquem haberet effectum ad maiores ordines eſſet extendendum, &, ſi Pontifex illum abſolutè diſpenſaſſet in irregularitate, tunc omne vinculum abſtuliſſet, ac proinde ad omnes Ordines, ac beneficia habilem reddidiſſet. Tum quia, verba abſolutè prolata abſolutè ſunt intelligenda. Tum quia non eſſet maior ratio, cur priuilegium, ad vnum potius, quam ad alium effectum extenderetur.

OBIECTIONUM SOLVTIO.

11 AD rationes autem in contrarium adductas, facilis eſt reſponſio. Ad primam: Priuilegium Ordines ſuſcipiendi, eſſe quidem Principis beneficium, ſed iuri communi contrarium, illudque lædens, & conſequenter odioſum, priuilegium autem odioſum, quantum fieri poteſt, eſt reſtringendum.

12 Ad ſecundam, Priuilegium indefinitum, æquipollere vniuerſali, in priuilegijs fauorabilibus, non verò in odioſis: Quia Principis intentio eſt, ius commune per ſuum priuilegium, quam minimè poteſt, vulnerare. Priuilegium, autem à Titio obtentum, eſt odioſum, cum ſit iuris communis derogatiuum.

Ad tertiam ſimiliter, Principis mentem eſſe, vt ampla ſit conceſſio in priuilegijs fauorabilibus, cum nemini noceant, non verò in derogatiuis iuris communis, quale eſt obtentum à Titio, cum illud lædant ac vulnerent. 13

COROLLARIA.

COlligitur ex dictis primò: Diſpenſatum ab oneribus, intelligendum eſſe de oneribus extraordinarijs, non ordinarijs, quia eſt priuilegium, quod ſecum trahit diſpenſationem in iure communi; Hoc autem, ſtrictè eſt interpretandum, vt minus, quam fieri poſſit, ius commune lædatur. *c. Cum dilectus, de conſuet.* Idemque dicendum eſt, etiam de ſtatuto, vel conſuetudine ſpeciali alicuius loci, quia huiuſmodi ſtatutum, & conſuetudo, eſt inſtar iuris communis, quod iuri priuilegij ſpecialis præferendum eſt. *Silueſter v. Priuilegium quæſt. 9. Suarez. lib. 8. cap. 28. num. 16.* 14

Secundò; Priuilegium conceſſum Irregulari ad beneficia, cenſeri conceſſum ſolùm ad beneficia ſimplicia, non verò ad curata, vel dignitates, quia, cum ſit priuilegium odioſum, ac iuris communis diſpenſationem continens, quantum fieri poteſt, eſt reſtringendum; talis enim rationabiliter præſumitur eſſe 15

voluntas Concedentis. *Azor. lib. 5. cap. 23. quaſt. 2.*

16 Tertiò; Priuilegium ad lites conceſſum, quantum fieri poteſt, eſſe reſtringendum, quia Priuilegiario occaſionem litigandi, & alios vexandi præbet. Similiter priuilegium Epiſcopo pro ſuis familiaribus conceſſum, vt conceditur *in Trid.* intelligi debere de familiaribus, qui actu famulantur, non verò de illis, qui per literas ad famulatum recepti ſunt; quia hi propriè & in rigore, non ſunt famuli, ſed ad famulatum electi; Priuilegium autem, cum iuris communis diſpenſationem continet, ſtrictè eſt interpretandum. *Salas diſp. 17. ſect. 8. num. 49. & 51.*

17 Quartò; Priuilegium, quamuis derogет iuri communi, eſſe tamen ampliandum, ſi redundet in fauorem cauſæ piæ, aut Religionis; quia ius Religionis præualet omni iuri, & cenſetur ſummum ius. *L. ſunt perſonæ. ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum.* Propterea priuilegium Militibus, Religioſis, ac alijs ſimilibus Communitatibus conceſſum ampliandum eſt, quia Reipublicæ, Religioni, ac bono communi maximè expedit, huiuſmodi Communitatibus fauere; & hoc præponderat læſioni, quæ iuri communi, per eius derogationem infertur, *Sanchez. lib. 8. diſp. 1. n. 23.*

18 Quintò; Priuilegia, quæ in iure communi continentur; Vt priuilegium, quo Clerici à poteſtate laicâ eximuntur, eſſe amplianda, ac latè interpretanda; quoniam vim legis habere cenſentur; nec abſolutè ſunt iuri contraria, ſed potius conformia, cùm conſtituant ius commune. Idemque dicendum eſt, de diſpenſationibus, quæ in corpore iuris continentur, ſiue, quæ per leges, aut Canones conceduntur; Hæ enim, ſunt quaſi leges. Denique idem dicendum videtur de priuilegiis, quæ toti alicui Religioni, vel Communitati, in perpetuum conceduntur; quia hæc etiam, vim habent legis, ac ſi eſſent in iure expreſſa, cum ſint conſtitutiones perpetuæ, & Communitati, quæ perpetua eſt, conceſſæ, *Salas d. 20. ſ. 10. n. 90.*

Sextò; Priuilegia, motu proprio 19
conceſſa, quamuis ſint contra ius commune, eſſe amplianda, vt colligitur *ex cap. Si motu proprio: de præb. in 6.* Quia Priuilegia ſic conceſſa, cenſentur proprium beneficium Principis, cuius honor, ac liberalitas latam interpretationem exigere videtur. *Suarez lib. 8. cap. 27. num. 8.*

Septimò; Priuilegium iuri alterius 20
derogans, eſſe reſtringendum, quantum verborum proprietas patitur; Quia Princeps non præſumitur velle alteri præiudicium afferre, niſi exprimat. *L. nec auus; cap. De emancip. liberorum.* Imo Princeps, ius alteri iam quæſitum, ſine graui, ac manifeſtà causâ, auferre non
poteſt, etiam ſi priuilegium, motu pro- 21
prio concedat; quia neminem ſine causâ rebus ſuis ſpoliare poteſt. Vnde priuilegium ad plura beneficia obtinenda, & ad beneficia vacantia conferenda, ſtrictè eſt interpretandum, quia cedit in præiudicium Tertij, & Ordinarij, ad quem prouiſio, de iure ordinario, competit *Sanch. lib. 9. diſp. 2. num. 3.*

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO LIII.

An quodlibet priuilegium ſtrictè ſit interpretandum.

CASVS.

1 EPISCOPVS Ternacenſ. priuilegium à Pontifice obtinuerat, ſuorum Subditorum filios diſpenſandi in irregularitatibus ex defectu, Titius autem Vir nobilis, cum Iuuenem quendam illegitimum, ſibi in filium adoptaſſet, eumque ad Sacros Ordines promouere vellet, Irregularitatis ex defectu natalium ortæ diſpenſationem ab Epiſcopo petiit, ac obtinuit; Iuuenis tamen, quia erat extraneus, dubitans de valore diſpenſationis, eos ſuſcipere recuſauit. Quæritur; Vtrum diſpenſatio fuerit valida.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſatio Iuueni ab Epiſcopo conceſſa, non videtur valida.*

3 *Priuilegium diſpenſandi, non eſt magis extendendum, quam ipſa diſpenſatio.*

4 *Eſt odioſum.*

5 *Sine Concedentis præiudicio, concedi non poteſt.*

6 *Opponitur Iuri communi.*

7 *Eſt quaſi virtualis quædam diſpenſatio.*

8 *Priuilegium diſpenſandi, quot modis concedi poſſit.*

9 *Pendet à voluntate Concedentis, etiam quo ad extenſionem.*

10 *Diſpenſatio Iuueni conceſſa fuit valida.*

11 *Erat Filius adoptiuus Titij.*

12 *Priuilegium diſpenſandi eſt purum Principis beneficium.*

13 *Principis intentio principalis eſt fauorem conferre Priuilegiato.*

14 *Lex fauorabilis eſt latè explicanda.*

15 *Priuilegium diſpenſandi nulli iuri eſt contrarium.*

16 *Nemini nocumentum affert.*

17 *Et poteſtas ordinaria diſpenſandi latè eſt interpretanda.*

18 *Poteſtas diſpenſandi ius commune non vulnerat.*

19 *Delegatio poteſtatis ordinatur ad Principis liberalitatem oſtendendam.*

21 *Dum datur, nullà expreſsà perſonà diſpenſandà, datur in gratiam Diſpenſaturi.*

22 *Priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus occultis, Epiſcopis à Tridentino conceſſum, latè eſt explicandum.*

23 *Sicut eſt priuilegium abſoluendi à reſeruatis.*

24 *Priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus occultis, ſi alicui Religioni concederetur, eſſet ſtrictè interpretandum.*

25 *Priuilegium eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, aut votis, latè eſt explicandum.*

26 *Sicut etiam idem priuilegium, alicui ſpecialiter conceſſum.*

27 *Priuilegium relaxandi vota, extenditur etiam ad iurata.*

28 *Priuilegium legitimandi, quando eſt latè accipiendum.*

29 *Priuilegium beneficia conferendi, extenditur ad penſiones.*

RATIONES DUBITANDI.

2 CVm ex dictis conſtet, Diſpenſationem, eo quod ſit iuris derogatiua, ſtrictè eſſe interpretandam, oritur difficultas; an etiam priuilegium, ſiue poteſtas diſpenſandi, ſtrictè ſit accipienda. Sic enim ipſa quoque explicanda videtur; quo poſito, inualida cenſenda, erit diſpenſatio Iuueni ab Epiſcopo conceſſa, cum ipſe, Titij verè non ſit filius. Ita *Nauarrus lib. 2. conſil. tit. de iure conſ. 1. num. 6.* Vbi agens de iubilæo, huiuſmodi poteſtates vocat odioſas. *Henriqu. lib. 7. de Indulg. cap. 30. num. 1. Angel. v. diſpenſ. num. 9. Couarr. 4. decr. par. 2. cap. 8. §. 8. num. 9.*

3 Primò; Quia, Priuilegium diſpenſandi, non eſt magis extendendum, quam ipſum exercitium diſpenſandi, cum concedatur propter illud, tanquam propter finem; quo ſublato, remaneret omnino inutile; ſed exercitium diſpenſandi extendendum non eſt, cum ſit odioſum. Ergo neque poteſtas diſpenſandi; quoties enim vnum conceditur propter aliud, conceſſio ſortitur naturam illius propter quod conceditur, cum hoc, ipſius conceſſionis ſit regula, ac menſura, vnde in iure ſtatuta dicuntur eſſe ſtricti iuris, quia actio ad quam ordinantur, eſt ſtricti iuris.

Secundò; Quia Priuilegium diſpenſandi eſt odioſum, cum ordinetur ad exercitium diſpenſandi, quod eſt odioſum, tanquam cauſa ad ſuum effectum, & ex effectu colligatur, an res aliqua ſit fauorabilis, an odioſa; Vnde *L. 1. ff. ſolut. matr.* Dos fauorabilis appellatur, quia Sobolis procreatio, quæ eſt effectus inde reſultans, eſt fauorabilis. Cum ergo odia ſint reſtringenda, non amplianda, *iuxta regulam illam iuris in 6.* odia reſtringi, fauores conuenit ampliari, conſequenter priuilegium diſpenſandi, erit reſtringendum. 4

Tertiò; Quia, priuilegium diſpenſandi concedi alteri non poteſt, ſine ipſius Concedentis præiudicio; Princeps enim, per eius conceſſionem priuatur poteſtate, illud alteri donandi; quoties autem poteſtas in alterius præiudicium cedit, reſtringenda eſt, ac ſtrictè interpretanda; Princeps enim, per eius conceſſionem, cenſetur velle, quam minimum poteſt damnum alteri afferre. Sicut ergo, cum cedit in præiudicium Tertij, reſtringendum eſt, ita cum cedit in præiudicium ipſius Principis concedentis; Princeps enim, per conceſſionem talis priuilegij, ſicut intendit, quam minimum 5

mum damnum Tertij, ita præſumitur intendere, quàm minimum damnum ſuum.

6 Quartò; Quia, Priuilegium diſpenſandi opponitur iuri communi, illudque vulnerat non minus, quàm ipſa diſpenſatio; ei enim remotè derogat per diſpenſationem, ab eiusque eximit obligatione non minus, quam diſpenſatio deroget proximè. Sicut ergo diſpenſatio, quia vulnerat ius commune, illique derogat, eſt odioſa, ac proinde, quantum fieri poteſt, reſtringenda, ita propter eandem rationem, odioſa erit poteſtas diſpenſandi, ideoque reſtringenda.

7 Quintò; Quia priuilegium diſpenſandi cum perſonâ determinatâ, quantum fieri poteſt, eſt reſtringendum; *ex cap. Cui nulla*; *de prabendis in 6.* Quia eſt quaſi virtualis quædam diſpenſatio, quæ ſtrictè eſt interpretanda; ſed etiam quando nulla exprimitur perſona, eſt quaſi virtualis quædam diſpenſatio; eſt enim cauſa diſpenſationis; Ergo tunc etiam eſt reſtringendum, & non ampliandum. Ex his ergo omnibus clarè infertur, priuilegium, ſiue poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus ex defectu, Epiſcopo à Pontifice conceſſam, ad filios adoptiuos non ſe extendere, & conſequenter diſpenſationem Iuueni ab Epiſcopo conceſſam in irregularitate ex defectu natalium, validam non fuiſſe.

NOTABILIA.

8 ADuertendum eſt primò; Priuilegium diſpenſandi tripliciter concedi poſſe; primò abſolutè, hoc eſt, nulla expreſſâ perſonâ diſpenſanda; vt cum Epiſcopus alicui abſolutè facultatem concedit abſoluendi à reſeruatis. Secundò; Limitatè, hoc eſt, expreſſo certo numero perſonarum; vt ſi facultatem concedat abſoluendi à reſeruatis ſolùm incolas Ciuitatis, non verò omnes Diœceſanos; vel etiam vnam tantùm perſonam, modo non nominetur. Tertiò denique, expreſſis determinatis perſonis diſpenſandis; vt ſi facultatem concedat abſoluendi à cenſuris Titium, vel Caium &c. Cum primo, aut ſecundo modo conceditur, cenſetur priuilegium, & beneficium primo & per ſe conceſſum illi, qui debet diſpenſare, illi enim determinatè conceditur. Cum verò conceditur tertio modo, cenſetur fauor conceſſus non ei, qui debet diſpenſare, ſed ei, qui debet diſpenſari; illi enim determinatè, directè; ac primariò conceditur. Hoc autem tertio modo committit regulariter Pontifex Epiſcopo, vel Confeſſario diſpenſationes, in votis, aut impedimentis, expediendas.

Aduertendum eſt ſecundò; Priuilegium, ſicut pendet à voluntate Concedentis, quoad valorem, & efficaciam; ita ab eadem pendere, quoad extenſionem. Voluntas autem Concedentis, cum priuilegium eſt purus fauor, ac beneficium, cenſetur eſſe, vt extendatur quantum extendi poteſt; Concedens enim cenſetur velle, per hoc, ſuam liberalitatem priuilegiario oſtendere, & conſequenter illi beneficium concedere tota amplitudine, qua poteſt, vt ſic illi ſit vtilius, & ad hanc liberalitatem manifeſtandam aptius. Hinc ergo fit, vt priuilegium, quando eſt purum Prin- 9

cipis

cipis beneficium, extendendum ſit, quantum patiuntur verba, non ſolùm iuxta ſignificationem naturalem, quam ex communi loquendi vſu, & ex primâ eorum institutione habent; in quo ſenſu nomen, *mors*, ſignificat mortem naturalem; ſed etiam iuxta ciuilem, & metaphoricam, quà à iure ob ſimilitudinem, extenduntur ad aliud ſignificandum, in quo ſenſu *profeſſio* dicitur mors ciuilis; Cum enim vnaquæque ars habeat verba, & instrumenta ſibi propria, quibus iuxta propriam inſtitutionem vtitur; hoc idem habere debuit etiam lex, quæ propterea vti poterit verbis, non ſolùm iuxta proprietatem naturalem, ſed etiam iuxta ciuilem: atque ita lex fauorabilis, loquens de filijs, extenditur ad filios adoptiuos, quia iuxta proprietatem ciuilem à iure inſtitutam, adoptatus venit nomine Filij. Similiter nomine legitimi venit legitimatus; nomine Fratrum veniunt etiam Sorores; nomine Filiorum, etiam Fœminæ; & nomine Religioſorum, etiam Mulieres, ac Nouitij; nomine Vxoris Sponſa; & nomine mortui, Religioſus profeſſus. His poſitis,

RESOLVTIO.

10 AD Caſum Reſpondetur, diſpenſationem in irregularitate Iuueni ab Epiſcopo conceſſam, fuiſſe validam.

11 Probatur; Quia Iuuenis à Titio fuerat in Filium adoptatus; Et in fauorabilibus Adoptiuus venit nomine Filij; ſicut legitimatus venit nomine legitimi, & Sponſa nomine Vxoris. Poteſtas autem diſpenſandi extenditur ad caſus ſub latâ verborum ſignificatione comprehenſos, Ita *Molina tract.* 2. *diſt.* 173. *Suarez lib.* 8. *de legibus cap.* 17. *num.* 111. *Sanchez lib.* 8. *matr. diſp.* 2. *num.* 1. *Salas de legib. diſp.* 20. *ſect.* 11. *nu.* 110. *Bonacina diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 7. §. 1. *num.* 14. *Caſtropal. tract.* 3. *diſ.* 4. *pun.* 11. *num.* 2. *Emanuel Sà*; *v. Diſpenſatio num.* 7. & alij plures apud iſtos.

Primò; Quia priuilegium diſpenſandi, eſt purum Principis beneficium; Priuilegiario enim conceditur, vt ſpeciali fauore, ac gratia afficiatur. Principis autem beneficium, latiſſimè interpretandum eſt, vt conſtat, tum *ex reg. Iuris*; Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari; tum *ex cap. olim. De verbor. ſignific. & L. Hoc modo ff. de condit. & demonſtrat. & L. Cum quidam ff. de liberis, & poſthumis.* 12

Secundò; Quia Principis intentio Principalis, dum alicui facultatem diſpenſandi concedit, non eſt vulnerare ius commune, quamuis hoc indirectè, & ex neceſſitate quadam conſequendi ſequatur, ſed fauorem conferre illi, cui diſpenſandi facultatem concedit; ideo enim illam concedit, vt eum ſpeciali fauore afficiat, eique ſuam beneuolentiam, ac liberalitatem oſtendat; Principale autem propoſitum, ac intentum inſpiciendum eſt. *L. Si quis. ff. Si certum petatur*, & fusè probat *Sanchez lib. 6. diſp.* 1. *num.* 11. Cum ergo propoſitum principale Pontificis fuerit, Epiſcopo fauorem conferre, explicanda, & extendenda eſt hæc poteſtas tanquam fauor, quantùm patitur lata verborum ſignificatio; talis enim rationabiliter præſumitur eſſe voluntas concedentis. 13

Ter-

Digitized by Google

14 Tertiò; Quia Lex fauorabilis explicanda, & extendenda eſt, quantùm patiuntur verba non ſolùm iuxta proprietatem naturalem, ſed etiam iuxta ciuilem à iure inſtitutam; ſi enim aliæ artes vtuntur verbis, iuxta propriam inſtitutionem, negari hoc non poteſt etiam iuri; vt probat *Suarez lib. 6. cap. 2. num. 5. Sà v. Interpreti num. 1. Salas diſp. 21. ſect. 3. & Menochius lib. 4. præſumpt. 89. num. 86.* & alij Doctores communiter. Poteſtas autem diſpenſandi, cum ſit priuilegium, eſt quædam lex particularis, & priuata; vt ex ipsâ priuilegij definitione, conſtat.

15 Quartò; Quia Priuilegium diſpenſandi ſimpliciter, nulla expreſſa perſona diſpenſanda, nulli iuri eſt contrarium; Nullum enim datur ius Ordinario prohibens, ne facultatem, quam habet, alteri deleget; Imo hæc delegatio, eſt potius iuri valde conformis; ſic enim occurrentibus neceſſitatibus faciliùs ſubuenitur, quàm ſi ſemper recurrendum eſſet ad Principem. Priuilegium autem iuri non derogans, nec contrarium, in omninm ſententiâ, eſt latiſſimè explicandum, & extendendum.

16 Quintò; Quia poteſtas hæc delegata, nemini nocumentum affert; ſi enim alicui afferret, afferret ipſi Principi concedenti; huic autem non affert; Cum enim eius nomine à Delegato exerceatur, eius eſſe cenſetur; imo, quamuis aliquod ei nocumentum afferret, hoc adhuc nullius eſſet conſiderationis, ac momenti, quia eſſet voluntarium; Pontifex enim, Epiſcopo hanc poteſtatem delegando, voluntariè ceſſit iuri ſuo. Cum ergo nullum afferat nocumentum, non eſt, cur amplianda, & extendenda non ſit, quantum, ſaluâ verborum ſignificatione, fieri poteſt.

Sextò; Quia poteſtas ordinaria diſpenſandi, extendenda eſt, & latè interpretanda; *ex cap. fin. De Simonia, & cap. Per venerabilem; qui filij ſint legitimi.* Ergo etiam delegata. Ideo enim ordinaria extenditur, & ampliatur, quia non reſpicit perſonam vllam diſpenſandam in particulari; ſed ſolùm Communitatem, cui hæc poteſtas vtilis eſt, at neceſſaria. Sed etiam poteſtas delegata, nullâ expreſsâ perſonâ diſpenſandâ, reſpicit Communitatem, cuius gubernationi eſt valdè vtilis; Ergo etiam poteſtas delegata amplianda erit, ac extendenda. Ex his ergo omnibus rationibus colligi videtur; poteſtatem Subditorum Filios diſpenſandi in irregularitate ex defectu, Epiſcopo à Pontifice conceſſam, etiam ad Adoptiuos ſe extendere; & conſequenter diſpenſationem Iuueni ab Epiſcopo conceſſam, fuiſſe validam. 17

OBIECTIONVM SOLVTIO.

Neque rationes initio propoſitæ obſtant. Ad primam; Negatur Antecedens. Quamuis enim diſpenſatio ipſa extendenda non ſit, quia vulnerat ius commune, poteſtas tamen diſpenſandi, illud non vulnerat, nec principaliter datur propter diſpenſationem aliquam determinatam, ſed ſolùm propter omnes illas, quæ communi bono, viſæ fuerint expedire, quod potius Reipublicæ neceſſarium eſt, ac iuri conforme. Quamuis ergo diſpenſatio reſtringenda ſit, non tamen eſt reſtringenda poteſtas delegata diſpenſandi; Alioquin 18

quin reſtringenda etiam eſſet poteſtas ordinaria, cum ipſa etiam ſit propter diſpenſationem, quod tamen ab omnibus negatur.

19 Ad ſecundam; Negatur; Conceſſionem, ſiue delegationem poteſtatis, ordinari principaliter ad diſpenſationem; principaliter enim ordinatur ad Principis liberalitatem Priuilegiario oſtendendam; vt dictum eſt. Hoc autem, non eſt odioſum, ſed potius fauorabile; ideoque extendendum; eſto finis, & effectus ſecundarius, ſit diſpenſatio; in conceſſione enim attenditur finis principalis, primarius, ac per ſe, non verò ſecundarius, & quaſi per accidens, & ex neceſſitate conſequenti, vt patet ex dictis.

20 Ad tertiam, Negatur, poteſtatem diſpenſandi, eſſe Iuri communi contrariam, illudque vulnerare; ius enim commune dictat, neminem diſpenſari poſſe, niſi à proprio Iudice, vel ab alio, qui vices gerat. Delegatus autem, dum diſpenſat, ipſius Iudicis vices gerit.

21 Ad quintam: Negatur minor; Cum enim poteſtas ſimpliciter conceditur, nullà expreſſà perſonà diſpenſandà, datur principaliter in gratiam Diſpenſaturi, ſicque habet rationem beneficij, fauoris ac gratiæ, quæ amplianda eſt. Cum verò conceditur expreſſà perſonà diſpenſandà, in huius gratiam principaliter datur, ſicque habet rationem inchoatæ diſpenſationis, & ideo eſt reſtringenda; datur enim in ordine ad talem actum diſpenſationis, tanquam propter finem, & cauſam principalem.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò, Priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus, ac diſpenſationibus occultis, & abſoluendi à caſibus papalibus ſimiliter occultis, quæ Epiſcopis conceditur *à Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. reform.* eſſe extendendam, ac latè interpretandam; quia datur ſimpliciter, nullà expreſſà perſonà diſpenſandà, aut abſoluendà, & ordinatur ad commune bonum Eccleſiæ, & includitur in corpore iuris, non ſolùm autem poteſtas diſpenſandi, ſed ipſa etiam diſpenſatio, cum in iure continetur, latè eſt explicanda, *Sanchez lib. 4. ſum. cap. 54. nu. 7. Bonacina num. 19.* 22

Secundò, Priuilegium abſoluendi à reſeruatis, quæ communiter conceditur ab Epiſcopis, eſſe latè interpretandam: Tum quia, cum dirigatur ad commune bonum Eccleſiæ, eſt fauorabilis, Tum quia, cum concedatur ſimpliciter, conceditur principaliter in gratiam Abſoluturi, ideoque reſpectu illius, eſt fauor, ac beneficium: Tum denique, quia poteſtas ordinaria, latam admittit explicationem. Ergo etiam delegata, qualis eſt poteſtas abſoluendi à reſeruatis, Confeſſario ab Epiſcopo delegata. Hæc enim, ad eumdem finem ordinatur, ac illa. *Suarez lib. 8. cap. 17. num. 11.* 23

Tertiò, Priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus occultis, & abſoluendi à caſibus papalibus occultis, & ab Epiſcopalibus, ſi alicui Religioni ſpecialiter à Pontifice concederetur, forè ſtrictè interpretandam, quia cederet in præiudicium Ordinarij, cui hæc facultas competit de iure ordinario; Quoties autem poteſtas 24

teſtas

teſtas diſpenſandi, vergit in præiudicium Tertij, ſtrictè eſt interpretanda, quia Superior non præſumitur velle, per ſuam conceſſionem, alteri notabile præiudicium afferre. Idemque dicendum eſt etiam de poteſtate legitimandi; Nam hæc etiam ſtrictè videtur explicanda, cum vergit in præiudicium Tertij, qui futurus eſſet hæres; Princeps enim cenſetur, velle quam minimum præiudicium alteri afferre. *Sanchez lib. 8. diſp. 2. num. 3.*

25 Quartò, Priuilegium eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis, vel diſpenſet in votis, alijſque canonicis impedimentis, quæ per Iubileum, aut Bullam Cruciatæ, conceditur, ob fines, & circumſtantias, propter quas conceditur probabilius videri latè explicandam, ita vt extendatur, non ſolùm ad peccata facultatem præcedentia, ſed etiam ad ſubſequentia. Tum quia finis præcipuus huius facultatis, non eſt, priuatum commodum ſumentis bullam, aut obtinentis Iubilæum; ſed eſt commune Eccleſiæ bonum, eiuſque ſubuentio in aliquâ publicà neceſſitate. Tum quia diſpenſatio in fauorem piæ cauſæ, aut Religionis conceſſa, latam admittit interpretationem; Ergo à fortiori, etiam hæc facultas, cum in fauorem Eccleſiæ principaliter concedatur. Tum denique, quia hæc poteſtas, ad Indulgentiam efficaciùs lucrandam, & ad peccatorum remiſſionem, ac animæ ſalutem ordinatur, Indulgentia autem, ac remiſſio, cum ſit Principis beneficium, nemini nocens, nec iuri contrarium, latè eſt explicanda. *Suarez lib. 6. de voto cap. 16. n. 3.* & alij apud *Bonac. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 7. §. 1. num. 17.* contra *Sanchez lib. 8. matr. diſp. 2. num. 7.*

Quintò: Priuilegium alicui ſpecialiter conceſſum, eligendi Confeſſarium, à quo abſolui poſſit à cenſuris, ac caſibus reſeruatis, probabilius videri latè interpretandam, ita vt comprehendat non ſolùm peccata antecedenter commiſſa, ſed etiam committenda. Tum quia verba generalia, generaliter ſunt intelligenda, niſi aliter conſtet de mente Concedentis. Tum quia, hoc priuilegium, videtur eſſe in fauorem ſalutis animarum, ne in peccatis ſordeſcant; Priuilegium autem ordinatum ad bonum ſalutis, videtur latè interpretandum. *Bonac. num. 11. Salas diſp. 17. ſect. 8. num. 41.* Si tamen hæc facultas, ob bonum priuatum ipſius abſoluendi principaliter concederetur, tunc videretur ſtrictè interpretanda. Quia eſſet inchoata diſpenſatio, ac fauor ſingularis perſonæ derogans legi communi reſeruationis; illum enim eximeret ab onere, quo cæteri, Superiorem adire tenentur pro abſolutione: Hæc autem ſtrictè eſt interpretanda. 26

Sextò, Priuilegium relaxandi vota, extendi etiam ad vota iurata. Tum quia, ſolum votum diſpenſatione indiget, eoque ſublato, ceſſat etiam iuramentum. Ergo poteſtas diſpenſandi in voto, ſe extendit etiam ad iuramentum, tanquam ad aliquid ei acceſſorium. Tum quia, dum conceditur poteſtas vota relaxandi, conceditur facultas remittendi obligationem, virtute Religionis, ſoli Deo tanquam Creditori acquiſitam. Sed obligatio, non ſolùm voti, ſed etiam 27

iuramenti, ſoli DEO præſtiti, acquiritur DEO tanquam Creditori; Ergo facultas circa vota, extenditur etiam ad iuramenta *Sanchez lib. 8. diſ. 2. n. 18.*

28 Septimò; Priuilegium legitimandi, quando non redundat in præiudicium Filiorum legitimorum, eſſe latè interpretandam, & conſequenter extendendam, & conſequenter extendendam, non ſolùm ad Natum ex adulterio, ſed etiam ad Natum ex adulterio ſimul, & inceſtu. Quia poteſtas legitimandi, tunc eſt purum Principis beneficium. Hoc autem eſt largiſſimè interpretandum. Quod ſi poteſtas legitimandi loqueretur de Spurijs, nulla appoſita limitatione; Cum Spurius ſit terminus generalis, omnes Spurij ſpecies, ſub ſe comprehendens, extenderetur etiam ad caſum mixtum, cum hæc poteſtas ſit fauorabili, ac latè interpretanda. *Sanchez num. 28. & 30.*

29 Octauò; Priuilegium Beneficia conferendi, extendi etiam ad Penſiones. Penſio enim venit nomine Beneficij Eccleſiaſtici; Tum quia tunc non eſt quid mere temporale, ſed potius ſpirituale, aut ſpirituali annexum, cum ex Bullâ Pij V. Penſio habeat annexum onus recitandi Officium ſaltem B. V. & in Cancellaria, Penſionarius cenſeatur beneficiarius ad effectum gaudendi priuilegio fori Eccleſiaſtici. Tum quia Penſio ex ſtylo Curiæ, & ex Bullâ Pij V. quæ incipit; *Sacroſanctum*; Clericatum requirit ſicut beneficium. Tum quia Penſionarius ex conſtitutione Sixti V. quæ incipit: *Cum Sacroſanctum*, tonſuram, & habitum Clericalem iugiter deferre tenetur, ſub pœnâ priuationis ipſius Penſionis, ipſo facto incurrenda. Tum quia de Penſione, quæ Clerico aſſignatur loco beneficij, fieri debet in literis mentio, ſicut de beneficio. Tum quia fructus penſionis, nec vendi, nec locari poſſunt ad vitam, ſicut nec fructus beneficij. Tum denique, quia Simoniacum eſt, pecuniam dare pro penſione obtinenda, ſicut pro obtinendo beneficio, ideoque *in cap. Conquerente; de Cleric. non reſidente*; de eâ ſit mentio, ſicut de beneficio, eo quod non detur in ſtipendium, ſicut dantur penſiones merè temporales, ſed aſſignetur communiter loco beneficij. *Gigas de penſ. quæſt. 67. concl. 2.*

QVAE-

QVAESTIO LIV.

An Priuilegium ad res, vel perſonas in eo non expreſſas, extendi poſſit.

CASUS.

1 BENEFICIARIVS quidam, facultatem obtinuerat Matutinum diei ſequentis, ſtatim poſt meridiem, recitandi. Cum autem ei graue eſſet, illud ſe ſolo recitare, Sacerdotem ſibi familiarem ſocium adhibuit; Hic tamen poſtea dubitauit, an per illam recitationem propriæ obligationi ſatisfeciſſet. Quæritur; an ſatisfecerit.

SUMMARIUM.

2 *Sacerdos, ſuæ obligationi non videtur ſatisfeciſſe.*

3 *Priuilegium concedens, alios non vult comprehendere, quam in priuilegio expreſſos.*

4 *Priuilegium tantum valet, quantum ſonat.*

5 *Præſertim perſonale.*

6 *Et quando à Iure alteri non communicatur.*

7 *Sacerdos ſatisfecit obligationi.*

8 *Priuilegium extenditur ad omnia cum expreſſis connexa.*

9 *Et ad omnia, quæ ad commodum Priuilegii vſum ſunt neceſſaria.*

10 *Intentio concedentis, ſe extendit ad omnia virtualiter expreſſa.*

11 *Ne priuilegium ſit inutile.*

12 *Etiam priuilegium perſonale ſe extendit ad eos, qui ad eius vſum ſunt neceſſarij.*

13 *Neque hoc à Iure exprimi debet.*

14 *Diſpenſatio ad actus ſpirituales, extenditur etiam ad temporales.*

15 *Priuilegium diſpenſandi in votis, extenditur etiam ad iurata.*

16 *Priuilegium teſtandi extenditur ad Codicillum.*

17 *Priuilegium carnes comedendi, extenditur ad lacticinia.*

18 *Diſpenſatio ad plura beneficia, extenditur etiam ad reſidentiam.*

RATIONES DVBITANDI.

QVamuis priuilegium fauorabile, 2
latè ſit interpretandum, & extendendum, quantum patitur verborum ſignificatio; Adhuc tamen ſupereſt difficultas; An extendi etiam poſſit ad res, vel perſonas in ipſo priuilegio non expreſſas. Aliqui enim nolunt extendi, & conſequenter cenſent, Sacerdotem, per eam recitationem ſuæ obligationi non ſatisfeciſſe. Ita ſentire videntur: *Azor. lib. 5. cap. 23. quæſt. 9. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 47. & lib. 8. diſp. 1. num. 30. Salas diſput. 17. ſect. 8. Henriqu. lib. 7. de Indulg. c. 30. num. 7. Molina tom. 3. diſp. 591. num. 2.*

Primò; Quia, priuilegium ad il- 3
los ſolos extenditur, ad quos extenditur

intentio Concedentis; ab hac enim intentione non minus pendet, quoad extenſionem, quam quoad efficaciam, ac valorem. Intentio autem Concedentis, non cenſetur ad alios extendi, quam ad eos, qui in priuilegio, aliquo modo, exprimuntur, vel propter vocis ſignificationem comprehenduntur; Principis enim voluntas nihil operatur, niſi aliqua ratione nobis exteriùs manifeſtetur. Cum ergo priuilegium Beneficiario conceſſum, ſocium nullo modo exprimat, ad illum extendi non poterit; ideoque Socius, per illam recitationem, propriæ obligationi non ſatisfecit.

4 Secundò; Quia priuilegium tantùm valet, quantum ſonat, ſiue quantum eius verba ſignificant, & non amplius. In priuilegio autem, quod Beneficiario conceſſum eſt, nullum eſt verbum, ex vi cuius ſignificari, & conſequenter comprehendi poſſit Socius. Ergo priuilegium pro eo non valet, & conſequenter eum ab obligatione matutinum repetendi non eximit.

5 Tertiò; Quia priuilegium Beneficiario conceſſum, eſt priuilegium perſonale. Hoc autem non extenditur ad alios; alioquin nulla eſſet ratio, cur etiam priuilegium conceſſum Patri, non tranſiret ad Filios; & priuilegia vni Religioni conceſſa, non participarentur ab alijs; & Vxor Clerici coniugati, eius priuilegijs non gauderet. Sicut ergo hæc priuilegia ad alios non extenduntur, ita nec priuilegium Beneficiario conceſſum, extenditur ad Socium, illique fauet.

6 Quartò; Quia, quando iura volunt, hæc priuilegia extendi ad alios præter expreſſos, hoc ipſum explicant. Sic enim Vxor, & Filij, gaudent priuilegio nobilitatis obtentæ à Marito, ac Patre; quia iura ita diſponunt, eamque illis communicant. *L. Cum Religione, ff. De ſtatu hominum.* Nullum autem datur ius, quod priuilegium anticipandi matutinum communicet Socio.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen; Priuilegium Beneficiario conceſſum, extendi etiam ad Socium; & conſequenter illum, per eam matutini recitationem, ſuæ obligationi ſatisfeciſſe. *Suarez lib. 8. de legibus cap. 11. num. 7. Azor. cap. 23. queſt. 7. Salas diſp. 17. ſ. 8. num. 48. Nauarrus cap. 22. n. 74. Bonacina diſp. 1. queſt. 3. pun. 7. §. 1. num. 6. Eman. Sà v. gratia num. 30. Sanchez lib. 8. diſp. 1. num. 38. Molina tom. 1. tract. 2. diſp. 141. ad finem.* & alij communiter. 7

Primò; Quia priuilegium, virtualiter extenditur ad ea omnia, quæ connexionem habent cum re, vel actione, per priuilegium conceſſa; Superior enim, eo ipſo, quod vnum concedit, aliud etiam concedere cenſetur. Sic Prælatus concedens vni facultatem aliquid donandi, cenſetur, eo ipſo, alteri etiam facultatem concedere accipiendi, cum dare, & accipere ſint relatiua; & Pontifex facultatem concedens Sacerdoti, celebrandi, tempore interdicti, cenſetur etiam Miniſtro facultatem concedere inſeruiendi; cum Miniſter connexionem habeat cum celebratione, eo quod, ex Eccleſiæ præcepto, ſine Miniſtro celebrari 8

brari non poſſit. Cum ergo, vſu etiam in Eccleſiâ receptum ſit, vt Diuinum Officium perſoluatur cum Socio, ratione iſtius connexionis, priuilegium Beneficiario conceſſum, cenſetur etiam virtualiter conceſſum Socio; alioqui priuilegium Beneficiario oneri potius eſſet, quam leuamini, illum enim ſæpe cogeret officium recitare ſine Socio, cum difficile ſit inuenire, qui velit Officium recitare, dum ſcit, ſe propriæ obligationi non ſatisfacere. Ad hoc autem cogere, eſt onus potius, quam leuamen afferre.

Secundò; Quia, priuilegium conce-
9 dens, commodum eius vſum concedere intendit, cum in Priuilegiarij commodum, ac vtilitatem illud concedat. Ergo, eo ipſo virtualiter intendit, ea omnia concedere, quæ ad talem vſum neceſſaria ſunt, vel vtilia, aut cum eo vel ex præcepto, vel ex conſuetudine ſunt connexa; alioquin invtilis redderetur conceſſio. Sed commodus vſus priuilegij Beneficiario conceſſi, eſt, poſſe Officium recitare cum Socio. Ergo priuilegium concedens cenſetur ei concedere, vt matutinum immediatè poſt meridiem recitare poſſit cum Socio; cum præſertim hæc ſit conſuetudo ab Eccleſiâ iam recepta; per hoc autem cenſetur, idem priuilegium etiam Socio concedere.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 NEque obſtant rationes in contrarium adductæ. Nam ad primam Reſpondetur; Intentionem Concedentis ad eos omnes, & ad ea omnia extendi, quæ in priuilegio, vel formaliter, vel virtualiter exprimuntur; In priuilegio autem, ea omnia virtualiter exprimuntur, ſine quibus vſus priuilegij redderetur difficilis, vel minus commodus. Talis autem eſſet, in vſu priuilegij Beneficiario conceſſi, Socij defectus.

Ad ſecundam Reſpondetur; priui- 11
legium, tantùm valere, quantùm verba ſonant, vel formaliter, vel virtualiter; alioqui plura priuilegia eſſent omnino inutilia; priuilegium enim audiendi diuina tempore interdicti, ſi comprehenderet ſolùm Dominum, & non etiam Domeſticos, ac familiares, qui eum comitari ſolent, inutile redderetur; Siquidem vſu, ac conſuetudine iam receptum eſt, vt, cum Dominus pergit ad diuina audienda, famulos, & comitatum ſecum deferat.

Ad tertiam Reſpondetur; priuilegium 12
perſonale non extendi ad alios, qui ad commodum eius vſum neceſſarij, vel vtiles non ſunt, neque cum eo vllam habent connexionem, vt ſunt priuilegia perſonalia conceſſa Patri, vel vni Religioni, vel Clerico coniugato; Ad horum enim vſum neceſſe non eſt, vt ad illos etiam extendantur. At ad commodum vſum priuilegij Beneficiario conceſſi, neceſſaria eſt eius extenſio etiam ad Socium, vt dictum eſt.

Ad quartam Reſpondetur; Iura ex- 13
tenſionem priuilegij ad alios, quam ad expreſſos ſpecialiter exprimere, quando illi alij, ad quos priuilegium à iure extenditur, ad commodum eius uſum neceſſarij non ſunt; tunc enim priuilegium, ex ſe, ad illos nec formaliter, nec virtualiter extenditur. At, cum connexionem habet cum commodo vſu priuilegij, tunc non requiritur iuris expreſſio, quia

iam

Digitized by Google

iam priuilegium, ex ſe, ad illos virtualiter extenditur, eoſque exprimit.

COROLLARIA.

14 Colligitur ex dictis primò; Priuilegium, ſiue diſpenſationem illegitimo conceſſam ad actus ſpirituales, extendi etiam ad temporales, iuxta *cap. Per venerabilem. qui filij ſint legitimi.* Quia iſti duo actus ita ſunt inter ſe connexi, vt ex decentia, & æquitate, ſeparari non poſſint, ſed vnius conceſſio aliam ſecum trahat; ideoque vna virtualiter continet aliam eo modo, quo dictum eſt, priuilegium alicui conceſſum audiendi diuina tempore interdicti, ad eius familiares virtualiter extendi.

15 Secundò; Priuilegium diſpenſandi in votis, extendi ad vota iurata, quia iuramentum cum ſit acceſſorium, eſt connexum cum Voto. Similiter extendi etiam ad ea commutanda, quia commutatio, quatenus deficit ab æqualitate, eſt quædam partialis, ac imperfecta diſpenſatio.

16 Tertiò; Priuilegium teſtandi, extendi ad codicillum, quia codicillus, vel eſt aliquid acceſſorium teſtamento, vel ſub nomine teſtamenti comprehenditur; ex recepto enim vſu, & ex vulgari ſignificatione, quælibet diſpoſitio, causâ mortis, teſtamentum vocatur. *L. Marcellus, ff. De donat. cauſa mortis.* Hoc autem poſito, Priuilegium teſtandi, non extenditur ad alium caſum in priuilegio non expreſſum, ſed ad caſum in priuilegio comprehenſum. *Suarez. lib.* 8. *cap.* 28. *n.* 15.

17 Quartò; Priuilegium carnes comedendi die ieiunij; extendi ad lacticinia; quia horum prohibitio, eſt ſolùm acceſſoria; Vnde diſpenſatione facta in principali, cenſetur facta etiam in acceſſorio. Similiter, priuilegium comedendi oua, extendi etiam ad lacticinia; quia neque oua, neque lacticinia prohibentur, vt talia ſunt, ſed quatenus à carnibus ſementinam trahunt originem, vt habetur *cap. denique diſt.* 4. Quare, conceſſa diſpenſatione in vno, cenſetur conceſſa in omnibus.

Quintò; Diſpenſationem ad plura beneficia diſpenſare etiam in vtriusque reſidentiâ; quia hæc diſpenſatio, eſt neceſſariò connexa cum illâ; alioquin prima eſſet omnino inutilis. Dans autem formam, dat etiam conſequenter, quæ ad illam ſunt neceſſaria; Hinc primò; Diſpenſatus, vt in minori ætate beneficium parochiale habeat, cenſetur ſimul diſpenſatus ab obligatione ſumendi Sacerdotium intra annum. Secundò; Parochus diſpenſatus, ne intra annum ordinetur, & Epiſcopus ne intra tres menſes conſecretur, cenſentur etiam diſpenſati, ne beneficium, & Epiſcopatus vacent; Non enim vacant, niſi ob culpam; Hæc autem, poſita diſpenſatione, non datur; Tertiò denique, illegitimus, vel alias Irregularis, ad omnes, vel ad Sacros Ordines diſpenſatus, cenſetur ſimul diſpenſatus ad beneficium aliquod ſimplex, quò poſſit ad Ordines promoueri; quia ſine huiuſmodi titulo, Sacris Ordinibus initiari non poteſt; *ex Trid. ſeſſ.* 21. *de reform.* Penſio enim, aut patrimonium, per ſe, ad hoc non ſufficiunt, niſi adſit Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 19. & 27. 18

QVAE-

QVAESTIO LV.

An Priuilegium, ob falſi narrationem ſit inualidum.

CASUS.

1 TITIVS, ex Oppido, quod ſupponitur eſſe nullius Diœceſis, volens matrimonium contrahere cum Bertà conſanguineà in quarto gradu, diſpenſationem à Pontifice petijt; & ne diſpenſatio dirigeretur expedienda Ordinario Recinetenſi, ſed Maceratenſi, in ſupplicatione, falſo aſſeruit, Ordinarium Maceratenſem eſſe viciniorem. Quæritur, an diſpenſatio ab Ordinario Maceratenſi expedita, ſit valida; & an Titius, qui bona fide contraxit, credens eſſe validam, validè contraxerit.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſatio ab Epiſcopo Maceratenſi expedita, videtur valida.*
3 *Mendacium circa Ordinarium non pertinet ad cauſam finalem.*
4 *Error in nomine Diſpenſati, non tollit valorem diſpenſationis.*
5 *Diſpenſatio ſic expedita, fuit inualida.*
6 *Epiſcopus Macerat. non erat vicinior.*
7 *Mendacium circa Diœceſim, diſpenſationem reddit inualidam.*
8 *Sicut etiam error circa Perſonam Impetrantis.*
9 *Et error circa modum vacationis beneficij.*
10 *Et circa Perſonam delegatam.*
11 *Quando non eſt error ſolùm in nomine.*
12 *Cum errore circa Diœceſim, poteſt eſſe valida diſpenſatio.*
13 *Diſpenſatio voti certi, eſt irrita, ſi exprimatur votum dubium.*
14 *Et ſi exprimatur cauſa, quæ verè non detur.*
15 *Eſt valida collatio beneficij ſimplicis, quamuis exprimatur, eſſe curatum.*
16 *Et diſpenſatio in irregularitate ob homicidium, quamuis non exprimatur circunſtantia perſonæ occiſæ.*

RATIONES DVBITANDI.

NOn quodlibet priuilegium, à Superiore, motu proprio conceditur, 2
ſed aliquod etiam ad inſtantiam partis, hoc eſt, ipſius Priuilegiati, vel alterius, qui eius partes gerit. De hoc ergo quæritur; An ſicut ad ſui valorem ex parte Priuilegiati, requirit acceptationem; ita ex parte rei in ſupplicatione narratæ, requirat veritatem; Aliqui enim putant, non

non requiri; ſicque validam eſſe diſpenſationem ab Ordinario Maceratenſi expeditam. Ita *Baſilius Pontius de matrim. lib. 8. cap. 15. §. vlt. num. 43. Laymannus lib. 1. tract. 40. cap. 22. num. 27. Sanctarellus vac. reſol. par. 1. qu. 63. Diana par. 1. tract. 10. reſ. 36.*

3 Primò; Quia non ſemper eſt inualida diſpenſatio, quoties in ſupplicatione aliquid fingitur, vel tacetur, quo cognito, Superior, vel abſolutè non diſpenſaſſet vel ſaltem non diſpenſaſſet eodem modo, ſed ſolùm quando fingitur, vel tacetur aliquid pertinens ad finem diſpenſationis, vel faciens ad hoc, vt diſpenſatio conuenienter, & melius concedatur; Hinc enim eſt, vt valida ſit Voti diſpenſatio obtenta ab eo, qui ſe finxit Virum doctum, vel ſtudioſum, quia ſcilicet fictio iſta non habet connexionem cum cauſa diſpenſationis. Sed neque mendacium circa Ordinarium, cui committitur diſpenſatio, pertinet ad cauſam finalem, vel ad materiam diſpenſationis; Cauſa enim finalis eſt, ad vitandum ſcandalum, vel incontinentiam, vel quid ſimile; & materia, eſt impedimentum conſanguinitatis; cum quorum neutro connexionem habet Ordinarius: Ergo etiam diſpenſatio, cum tali mendacio obtenta, erit valida.

4 Secundò; Quia error in nomine Perſonæ, cui conceditur diſpenſatio, non tollit valorem diſpenſationis; Tum quia non pertinet ad cauſam diſpenſationis; Tum quia non mutat intentionem Diſpenſantis: Ergo neque error in nomine Ordinarij, cui committitur diſpenſatio, vitiabit diſpenſationem; Ordinarius enim multò minus pertinet ad cauſam diſpenſationis, quam is, cui conceditur diſpenſatio, & conſequenter etiam multò minus mutat voluntatem Diſpenſantis.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen; diſpenſationem à Titio ſic obtentam fuiſſe inualidam. *Salas de legibus diſp. 20. ſect. 17. num. 123. Sanchez lib. 8. matrim. diſp. 21. n. 39. Rebellius par. 2. lib. 3. quæſt. 5. num. 24. Bonac. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 4. num. 6.* & alij apud iſtos. 5

Primò; Quia, Ad valorem diſpenſationis, attenditur intentio Diſpenſantis; ab hac enim diſpenſatio totaliter pendet; Intentio autem Pontificis diſpenſationem concedentis eſt, illam committere Epiſcopo viciniori, vt colligitur apertè ex praxi, & ex ſtilo Curiæ; Pontifex enim, nunquam dirigit diſpenſationem expediendam, niſi Epiſcopo viciniori. Cum ergo Epiſcopus Maceratenſis, non eſſet vicinior, Pontifex non cenſetur voluiſſe illi committere diſpenſationem expediendam, ideoque diſpenſatio fuit inualida ex defectu poteſtatis in Epiſcopo. 6

Secundò; Quia, ſi Titius fuiſſet Diœceſis Recinetenſis, & in ſupplicatione expreſſiſſet, ſe eſſe Diœceſis Maceratenſis, ſicque expeditio, commiſſa fuiſſet Epiſcopo Maceratenſi, diſpenſatio ab illo expedita, fuiſſet inualida, ex defectu voluntatis, ac intentionis in Pontifice; Pontifex enim ſemper intendit, mandatum diſpenſandi committere Ordinario Impetrantis, cum hic in ipsâ commiſſione exprimatur, & hic ſit Curiæ ſtilus: Sed etiam, in caſu præſenti, 7

ti, Pontifex non intendit diſpenſationem committere Epiſcopo Maceratenſi, ſed Epiſcopo viciniori: Ergo etiam in caſu præſenti, inualida eſt diſpenſatio, ex defectu voluntatis in Pontifice, ac poteſtatis in Epiſcopo Maceratenſi.

8 Tertiò; Quia error circa perſonam Impetrantis, vitiat diſpenſationem; reddit enim illam inuoluntariam, cum Pontifex non intendat illam dare Petro, ſed Paulo; ſicut error circa perſonam Donatarij vitiat donationem, quia reddit illam inuoluntariam, iuxta ea, quæ diximus, *lib. 1. quæſt. 23.* Sed etiam error circa perſonam Ordinarij, cui delegatur poteſtas diſpenſandi, reddit huiuſmodi delegationem inuoluntariam; Pontifex enim intendit, illam delegare ei, qui eſt vicinior; Ergo etiam error circa perſonam Epiſcopi delegati, reddit inualidam delegationem, & conſequenter diſpenſationem ab huiuſmodi Epiſcopo expeditam. In caſu autem præſenti, interuenit error circa perſonam Epiſcopi delegati; cum Pontifex intendat diſpenſationem committere viciniori, & Epiſcopus Maceratenſis, ad quem dirigitur diſpenſatio expedienda, non ſit vicinior.

9 Quartò; Quia, ſi quis, petens beneficium, in ſupplicatione falsò narret, illud vacare per reſignationem, cum vacet per mortem, collatio eſt nulla; *ex cap. Suſceptum, de reſer. in 6.* vbi habetur; mandato dato de conferendo beneficio vacante per reſignationem nequit conferri, ſi vacet per mortem. Ergo ſimiliter, ſi quis petens diſpenſationem, eiuſque commiſſionem, falsò narret, Epiſcopum Maceratenſem eſſe viciniorem, cùm tamen ſit remotior, diſpenſatio illi commiſſa erit inualida; Non minùs enim, intentio Pontificis eſt, delegare facultatem Epiſcopo viciniori, quàm conferre beneficium vacans per reſignationem, & non per mortem.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

10 Neque obſtant rationes in contrarium. Ad primam Reſpondetur; Non ſolùm errorem circa materiam, vel cauſam finalem delegationis, ſed etiam circa perſonam delegatam, vitiare delegationem. Sicut non ſolùm error circa cauſam finalem, vel materiam diſpenſationis, vitiat diſpenſationem, ſed etiam error circa perſonam diſpenſatam; Nam hic etiam error ſufficit ad mutandam voluntatem Superioris delegantis, vel diſpenſantis, à quà deſumitur valor diſpenſationis, vel delegationis; Cum perſona delegata, vel diſpenſata, ad diſpenſationem, vel delegationem, non minus eſſentialiter pertineat, quam cauſa finalis, & materia.

11 Ad ſecundam Reſpondetur; In caſu præſenti, non eſſe errorem ſolùm in nomine, ſed etiam in perſonâ ipsâ Ordinarij, cui committitur diſpenſatio; hæc enim committitur viciniori, cuiuſmodi non eſt Epiſcopus Maceratenſis, ſed Recinetenſis. Eſſet error ſolùm in nomine, ſi Epiſcopus Recinetenſis diſpenſationem expediuiſſet; cum enim ipſe ſupponatur eſſe vicinior, ad ipſum verè dirigeretur diſpenſatio, licet deinde per errorem appellaretur Epiſcopus Maceratenſis. Sicut ergo, cum quis baptizat Infantem præſentem, quem putat eſſet

Filium Petri, cum ſit filius Pauli, validus eſt Baptiſmus, quia Baptizans intentionem habet baptizandi Infantem præſentem, quicumque tandem ille ſit, licet deinde erret, dum putat eſſe filium Petri; Ita Pontifex, dum diſpenſationem dirigit expediendam, Epiſcopo viciniori, quem putat eſſe Epiſcopum Maceratenſem, valida eſt delegatio reſpectu Epiſcopi Recinetenſis, quia hic eſt verè vicinior, & intentio abſoluta Pontificis eſt, delegare Epiſcopum viciniorem, licet deinde erret in nomine, dum illum nominat Epiſcopum Maceratenſem.

COROLLARIA.

12 Colligitur ex dictis primò; Falſum eſſe, quod docet *Sanchez lib. 8. matr. diſp. 2. n. 39.* Quando erratur in Diœceſi, vt ſi quis in ſupplicatione, vel diſpenſatione, dicatur eſſe Diœceſis Albanenſis, cum ſit Tuſculanæ, irritam eſſe diſpenſationem, quia tunc neuter Epiſcopus cum eo diſpenſare poteſt, Non Tuſculanus, quia mandatum diſpenſandi, dirigi videtur ad Epiſcopum Albanenſem, & Tuſculanus mandatum non accepit ad diſpenſandum. Neque Albanen. quia Pontifex intendit mandatum diſpenſandi committere Ordinario Petentis; Epiſcopus autem Albanenſis non eſt Ordinarius petentis. Hoc inquam, videri falſum; quia Epiſcopus Tuſculanus, cum ſit Ordinarius Petentis, videtur in hoc caſu diſpenſare poſſe; Pontifex enim intendit, facultatem diſpenſandi dare Ordinario Petentis, licet erretur in nomine Ordinarij, illum appellando Epiſcopum Albanenſem; Quando autem conſtat de corpore, nihil obſtat nominis error; parum enim refert, quod Ordinarius Petentis appelletur Epiſcopus Tuſculanus, vel Albanenſis. *Salas de legib. diſp. 20. ſect. 16. n. 123.*

13 Secundò; Inualidam fore diſpenſationem, ſi quis peteret diſpenſationem Voti certi, exprimendo in ſupplicatione, eſſe dubium; Quia daretur error circa aliquid pertinens ad materiam diſpenſationis; hoc autem ſufficit ad vitiandam diſpenſationem, cum tollat in Superiore voluntatem diſpenſandi; Pontifex enim diſpenſaret tunc in voto dubio, non verò in certo. *Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 47. num. 34.*

14 Tertiò; Inualidam etiam fore diſpenſationem, ſi quis petens diſpenſationem contrahendi cum Conſanguinea, exponeret pro cauſa diſpenſationis copulam, quæ verè non interceſſit. Licet enim Pontifex poſſit ſine cauſa diſpenſare, non vult tamen diſpenſare, niſi preces veritate nitantur. Non niterentur autem veritate, ſi copula non interceſſiſſet. Si tamen Petens diſpenſationem, exponeret tanquam cauſam, copulam habitam, & periculum ſcandali, vel infamiæ inde ſuborituræ; tunc, ſi periculum verè non immineret, inualida eſſet diſpenſatio, quia Pontifex, propter illud periculum, concedit diſpenſationem, ſi verò periculum immineret, ſed verè copula non interceſſiſſet, validè eſſet diſpenſatio; Quia Pontifex, in hoc caſu, moueretur ad dandam diſpenſationem à periculo, non verò à copula, cum hæc potius retardare ſoleat, quam mouere

ad

concedendam; Vnde, in hoc caſu, copula connexionem non haberet cum materiâ diſpenſationis. *Suarez. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 27. num.* 10.

15 Quartò; Validam eſſe collationem Beneficij, ſi petens in ſupplicatione exponat, beneficium eſſe curatum, cum tamen ſit ſimplex; cum enim Pontifex difficiliùs concedat beneficium curatum, quam ſimplex, qualitas iſta beneficij, non mouet ad concedendum beneficium, ſed potius retrahit; Vnde non tollit voluntatem abſolutam Pontificis beneficium conferendi. Valor autem collationis, ab hac voluntate deſumitur.

16 Quintò; Validam eſſe diſpenſationem Irregularitatis contractæ ob homicidium Sacerdotis, quamuis in obtinendâ diſpenſatione, circumſtantia Sacerdotij expreſſâ non fuerit. Tum quia, nullo iure, vel conſuetudine probatur, hanc circumſtantiam, in huiuſmodi diſpenſatione obtinendâ, eſſe neceſſariò exprimendam. Tum quia hæc circumſtantia non habet connexionem cum materiâ diſpenſationis, ſed eſt illi merè extrinſeca; Irregularitas enim, impoſita eſt homicidio, non ex eo, quod ſit aliquod delictum graue; nam multis grauioribus, vt ſunt blaſphemia, periurium, & ſimilia; non eſt impoſita; ſed ex eo, quod Chriſti manſuetudini opponatur; In ordine autem ad hanc oppoſitionem, per accidens omnino ſe habet, quod occiſus, fuerit Sacerdos, vel Laicus. *Sanchez lib.* 8. *matr. diſp.* 21. *num.* 22.

QVAESTIO LVI.

An quodlibet mendacium ad Priuilegium irritandum ſufficiat.

CASVS.

1 TITIVS, vt faciliùs à Patre facultatem obtineret Ordines ſuſcipiendi, Votum emiſerat non nubendi. Poſt aliquod verò tempus, volens cum Bertâ Matrimonium contrahere, diſpenſationem petijt, & obtinuit Voti Caſtitatis. Quæritur; Vtrum matrimonium licitè contrahere poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſatio à Titio obtenta pro voto non nubendi, videtur fuiſſe inualida.*

3 *Pontifex conceſſit diſpenſationem Voti Caſtitatis.*

4 *Vnum Votum eſt narratum pro alio.*
5 *Eſt fictio in materiâ diſpenſationis.*
6 *Sicut ſi petita fuiſſet diſpenſatio pro Voto non fornicandi.*
7 *Et ſicut, ſi erratum fuiſſet circa ſpeciem impedimenti.*
9 *Diſpenſatio obtenta, fuit valida pro Voto non nubendi.*
10 *Votum caſtitatis, eſt veluti genus ad Votum non nubendi, & non fornicandi.*
11 *Se habent ſicut includens, & incluſum.*
12 *Diſpenſatio in Voto non nubendi, faciliùs concreditur, quam in Voto Caſtitatis.*
13 *Volens diſpenſare in voto Caſtitatis, neceſſariò vult etiam diſpenſare in Voto non nubendi.*
14 *Expreſſo Voto Caſtitatis, exprimitur ſufficienter votum non nubendi.*
15 *Votum non nubendi, & non fornicandi, ſunt Vota diſparata.*
16 *Etiam diſpenſatio Voti Sacros Ordines ſuſcipiendi, valet pro Voto non nubendi.*
17 *Non tamen, ſi Votum non nubendi ſit factum in fauorem alterius.*
18 *Diſpenſatio in impedimento ex Matrimonio rato, valet, quamuis impedimentum ſit ortum ex ſponſalibus.*
19 *Et legitimatio, quamuis exprimatur, illegitimum eſſe natum ex adulterio Coniugati cum Coniugata.*
20 *Et diſpenſatio in Voto, quamuis exprimatur iuramentum.*

RATIONES DVBITANDI.

2 QVamuis ad valorem priuilegij, quod ad inſtantiam Partis conceditur, ex parte rei in ſupplicatione narratæ, requiratur veritas; Adhuc tamen dubitari ſolet; An ita requiratur, vt quodlibet mendacium, ad irritandam gratiam ſufficiat. Videtur enim ſufficere; & propterea diſpenſationem obtentam, fuiſſe inualidam; ita ſentire videntur *Nauarrus cap. 22. num. 86. Angelus v. Reſcriptum, num. 3. Tabien. ibi quaſt. 3. num. 4. Beia, reſponſ. caſ. 62. Menochius conſ. 385. num. 32. Gutierez lib. 2. cap. 15. num. 100.*

Primò; Quia Pontifex, diſpenſationem conceſſit Voti Caſtitatis, non verò Voti non nubendi; Nam Pontifex, voluntatem non habuit diſpenſandi, niſi in re ſibi narratâ; ſicut neque Ordinario facultatem concedit diſpenſandi, niſi preces veritate nitantur. Res autem narrata fuit Votum Caſtitatis, non verò Votum non nubendi. Cum ergo valor diſpenſationis, totus pendeat à voluntate Diſpenſantis ſequitur, diſpenſationem conceſſam in Voto caſtitatis, non eſſe validam pro Voto non nubendi; & hoc eſſet verum, etiamſi Titius, non malitioſè, ſed bonâ fide hoc feciſſet; Nam ad valorem diſpenſationis, non attenditur culpa, vel ſimplicitas Petentis, & Impetrantis, ſed ſola intentio Concedentis; ab hac enim ſolâ vires ſuas ſumit diſpenſatio; vt benè docet *Sanchez lib. 8. matrim. diſp. 21. num. 41. & in ſum. lib. 4. cap. 47. num. 17.* 3

Secundò; Quia inualida eſt diſpenſatio, quoties impedimentum certum narratur ſub dubio; vt, ſi quis petat diſpenſatio- 4

ſationem Voti, quod certò nouit ſe emiſiſſe, ſed in precibus exprimat Votum dubium, vt dictum eſt *Quæſt. præced. coroll.* 2. Ergo à fortiori, inualida erit, quando vnum narratur pro alio, vt contingit in caſu propoſito, in quo narratur Votum Caſtitatis, loco Voti non nubendi: ſi enim omnino non exprimere ſubſtantiam rei diſpenſandæ, ſufficit, vt diſpenſatio ſit nulla, à fortiori ſufficiet, aliam rem, loco rei diſpenſandæ narrare.

5 Neque obſtat, validam eſſe diſpenſationem Voti, obtentam ab eo; qui narrauit; ſe eſſe Doctorem, cum verè non eſſet. Nam huiuſmodi fictio non pertinet ad materiam, vel cauſam diſpenſationis; At, narrare vnum Votum pro alio, eſt fingere in materiâ diſpenſationis. Hoc autem ſufficit, vt diſpenſatio reddatur inualida.

6 Tertiò; Quia, ſi quis habens Votum non nubendi, diſpenſationem peteret, & obtineret Voti non fornicandi, non valeret hæc diſpenſatio pro Voto non nubendi. Ergo ſimiliter, ſi habens Votum non nubendi, diſpenſationem petat Voti Caſtitatis, non valebit hæc diſpenſatio pro Voto non nubendi; Non minus enim ſunt diuerſa, Votum non nubendi, & Votum Caſtitatis, quam Votum non nubendi, & Votum non fornicandi.

7 Quarta; Quia inualida eſt diſpenſatio, quando, in ipſâ obtinendâ erratur circa ſpeciem impedimenti, quamvis impedimentum, quod exprimitur, ſit maius; vt, ſi in ſupplicatione dicatur, volentes matrimonium contrahere, eſſe conſanguineos in tertio gradu, cùm ſint ſolùm affines; vt docet *Sanchez lib. 8. matr. diſp. 24. num. 19.* Ergo inualida etiam erit, ſi in ipſâ obtinendâ, erretur in ſpecie Voti, quamuis Votum Caſtitatis, quod exprimitur, ſit maius, quàm Votum non nubendi, quod tacetur.

RESOLVTIO.

Reſpondetur tamen, Titium poſſe licitè matrimonium contrahere. 8

Probatur; Quia, licet Voto ſolùm non nubendi eſſet obſtrictus, diſpenſatio tamen obtenta Voto Caſtitatis, valet etiam pro Voto non nubendi. *Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. ult. n. 8. Sanchez lib. 8. matrim. diſp. 24. n. 17. & lib. 4. ſum. cap. 47. num. 29. Gutierez de matr. cap. 234. nu. 8. Ledeſma in ſum. cap. 27. matr. poſt. 7. concl. diſp. 1. Rodrig. par. 1. cap. 238. concl. 3. num. 3. Bonac. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 5. num. 15.* & alij apud iſtos. 9

Primò; Quia, Votum caſtitatis eſt veluti quodam genus ad Votum non nubendi, & ad Votum non fornicandi; & hæc duo Vota tanquam ſpecies ſibi ſubiectas includit. Impoſſibile autem eſt, diſpenſare in ratione aliquâ generica, quin eo ipſo diſpenſetur etiam in omnibus ſpeciebus, ac indiuiduis ſub illâ contentis; Impoſſibile enim eſt, quod priuilegium aliquod concedatur Ciuitati, V. G. quin eo ipſo concedatur eius Ciuibus; & Religioni, quin concedatur ſingulis Religioſis in illâ exiſtentibus; quia Ciuitas nihil eſt aliud, quàm eius Ciues, & Religio, quàm eius Religioſi. 10

Sicut

Sicut ergo Priuilegium conceſſum Religioni extenditur neceſſariò ad ſingulos Religioſos, ab eisque participatur; ita diſpenſatio in Voto Caſtitatis, extenditur neceſſariò ad Votum non nubendi, & ad Votum non fornicandi, eaque comprehendit; Sicut enim Caſtitas, eſſentialiter includit abſtinentiam à nuptijs, & à fornicatione, ita Votum Caſtitatis, eſſentialiter includit Votum non fornicandi; ideoque diſpenſari non poteſt in Voto Caſtitatis, quin eo ipſo diſpenſetur etiam in Voto non nubendi.

11 Secundò; Quia Votum Caſtitatis, & Votum non nubendi ſicut includens, & incluſum totum & pars; qui autem diſpenſat in toto, cenſetur etiam diſpenſare in parte; vnde in hoc caſu, licet argumentari à maiori ad minus.

12 Tertiò; Quia omiſſio, vel falſa narratio qualitatis, cuius vera expreſſio, faciliorem redderet diſpenſationem, eam non irritat; non enim tollit voluntatem abſolutam Diſpenſantis de eà ſimpliciter concedendà, imo potius illam arguit; Vnde, ſi Impetrans beneficium, in ſupplicatione dicat, illud eſſe curatum, aut habere dignitatem annexam, cum tamen ſit ſimplex, aut officium, valida eſt diſpenſatio, quia faciliùs conceditur ſimplex, quàm curatum, vt docet *Sanchez lib.8. diſp.21.n.35.* Sed longè etiam faciliùs conceditur diſpenſatio in Voto non nubendi, quam in Voto Caſtitatis; cum Caſtitas dicat abſtinentiam ab omni copulà; non nubere verò, dicat abſtinentiam à ſolà coniugali. Ergo huius etiam omiſſio, vel alterius falſa narratio, diſpenſationis valorem non impediet. Et per hoc patet reſponſio ad rationes oppoſitas.

OBIECTIONUM SOLUTIO.

AD primam enim reſpondetur; Pontificem, eo ipſo, quod habuit voluntatem diſpenſandi in Voto Caſtitatis, habuiſſe etiam neceſſariò voluntatem diſpenſandi in Voto non nubendi, cum hoc includatur in Voto Caſtitatis; neque exprimendo in ſupplicatione Votum Caſtitatis, fuit expreſſa falſitas, quia, cum in Voto Caſtitatis contineretur etiam Votum non nubendi, eo ipſo, quod petita eſt diſpenſatio in Voto caſtitatis, petita eſt etiam implicitè in Voto non nubendi. 13

Ad ſecundam, Negatur conſequentia; Diſparitas autem eſt, quia, cum impedimentum dubium non ſit verè impedimentum, ſicut Votum dubium non eſt verè Votum, exprimendo impedimentum dubium, non omnino exprimitur ſubſtantia impedimenti, ſicque falſa eſt narratio; At exprimendo Votum Caſtitatis, exprimitur etiam ſufficienter ſubſtantia Voti non nubendi, cum hoc includatur in Voto Caſtitatis. 14

Ad tertiam, Negatur conſequentia. Votum enim non nubendi, & Votum non fornicandi ſunt omnino diſparata. At vtrumque continetur ſub Voto Caſtitatis, tanquam duæ ſpecies ſub ſuo genere; Hinc ergo fit, vt diſpenſatio Voti non nubendi, non valeat pro Voto non fornicandi, diſpenſatio verò Voti Caſtitatis, valeat etiam pro Voto non nubendi. Eodemque modo reſpondetur ad quartam; inualida enim eſt diſpenſatio, quando 15

Digitized by Google

quando erratur circa ſpeciem impedimenti, ſi impedimenta ſint diſparata; ſecus verò, ſi vnum impedimentum includat aliud. Vnde, ſi quis in obtinendâ diſpenſatione conſanguinitatis, vel affinitatis, erret in gradu remotiori, dicendo, eſſe in tertio gradu, cum ſit in quarto, valida eſt diſpenſatio, quia qui diſpenſat in tertio, cenſetur etiam diſpenſare in quarto, cum hic in illo tanquam in maiori contineatur.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Validam eſſe diſpenſationem ſi quis obſtrictus Voto non nubendi, diſpenſationem obtineat Voti Sacros Ordines ſuſcipiendi, quia in Voto Sacrorum Ordinum continetur obligatio non nubendi, & aliquid aliud. *Suarez c. 17.* idemque dicendum eſt, ſi quis diſpenſationem obtineat in Voto perſeuerandi in Religione, cum tamen Votum emiſerit ſolùm Religionis; quia Votum perſeuerandi, continet Votum ingrediendi, & aliquid plus; Si quis tamen è contra obſtrictus Voto Caſtitatis, vel perſeuerantiæ in Religione, diſpenſationem peteret, & obtineret Voti non nubendi, vel Voti Religionis, inualidà eſſet diſpenſatio. Tum quia, qui diſpenſat in parte, non cenſetur diſpenſare in toto, ſicut qui diſpenſat in toto cenſetur diſpenſare in parte, cum pars non includat totum, ſicut totum includit partem. Tum quia difficilius conceditur diſpenſatio totius, quam diſpenſatio partis; ideoque Diſpenſans in parte, non cenſetur velle diſpenſare in toto. Diſpenſatio autem, totum ſuum valorem obtinet à voluntate diſpenſantis. *Sanchez lib. 8. diſp. 21. num. 23. & lib. 4. ſum. c. 47. num. 35.*

Secundò; Inualidam eſſe diſpenſationem Voti non nubendi, facti in fauorem alterius, ſi in petitione expreſſum fuit ſolum Votum non nubendi. Tum quia non fuit expreſſa tota ſubſtantia Voti. Tum quia Votum non nubendi factum in fauorem alterius, continet Votum non nubendi, & aliquid plus. Tum quia, cum per huius Voti acceptationem, alteri ſit acquiſitum ius, Pontifex non præſumitur voluiſſe alteri præiudicium afferre; ideoque tacetur aliquid pertinens ad materiam diſpenſationis, quo cognito, Pontifex, vel omnino non diſpenſaſſet, vel ſaltem difficiliùs. *Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. c. 41. Sanchez lib. 8. matrim. diſp. 21. num. 50. & lib. 4. ſum. 47. num. 36.* 17

Tertiò; Diſpenſationem obtentam in impedimento publicæ honeſtatis in primo gradu, conſurgentis ex matrimonio rato, validam eſſe, licet impedimentum conſurgat ex ſponſalibus. Tum quia hoc impedimentum videtur includi in illo, ſicut ſponſalia in matrimonio rato. Tum quia difficiliùs conceditur diſpenſatio in illo, quam in hoc; neque hæc impedimenta ſunt inter ſe diſparata, ſicut ſunt impedimentum conſanguinitatis, & affinitatis in eodem gradu. Si tamen impedimentum publicæ honeſtatis, ſit in ſecundo, vel tertio, aut quarto gradu, tunc neceſſè non erit exprimere, impedimentum, ortum fuiſſe ex matrimonio rato, quia conſtat, impedimen- 18

mentum publicæ honeſtatis, excepto primo gradu, non aliunde conſurgere, quam ex matrimonio rato, cum ex ſponſalibus non oriatur publica honeſtas, vltra primum gradum. *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 24. *num.* 17.

19 Quartò; Validam eſſe legitimationem, ſi Illegitimus ex adulterio coniugati cum ſoluta, in ſupplicatione exprimat, ſe eſſe natum ex adulterio Coniugati, cum Coniugatà; Tum quia, in hoc caſu, diſpenſatio difficiliùs conceditur, quam in illo; Tum quia, ſimplex comprehenditur ſub mixto, in eoque includitur tanquam pars in toto. E contra tamen, non eſſet valida diſpenſatio, ſi Illegitimus natus eſſet ex adulterio Coniugati cum Coniugata, & in petitione narraret, ſe eſſe natum ex adulterio Coniugati cum ſoluta; Tum quia Superior, in hoc caſu, non intenderet diſpenſare; eſſet enim dolus circa ſubſtantiam, ac materiam diſpenſationis; Superior autem non cenſetur velle diſpenſare, niſi ſub conditione; ſi res ita ſit. Tum quia, tacetur aliquid, quo expreſſo, diſpenſatio difficiliùs concederetur. Tum denique, quia qui diſpenſat in parte, non cenſetur propterea diſpenſare in toto. *Sanchez diſp.* 24. *num.* 5.

Quintò; Validam eſſe diſpenſationem, ſi quis habens Votum ieiunij, falsò dicat ſe iuraſſe ieiunium, tacito Voto, vel dicat, ſe habere Votum iuratum ieiunij; quia ad valorem diſpenſationis, parum refert, an ſit Votum, an iuramentum; ſolùm enim ſpectatur obligatio ex Religionis vinculo, Deo facta. Hæc autem, æquè ex quolibet eorum conſurgit. Quare mendacium, non erit circa aliquid pertinens ad ſubſtantiam diſpenſationis, ſicque eam non vitiabit. Quod ſi Votum, fuerit iuratum; tunc, quia ſolum Votum indiget diſpenſatione, eoque ſublato, ceſſat iuramentum, ideò valida erit diſpenſatio, ſiue exprimatur ſolum Votum, negato iuramento, ſiue ſolum iuramentum, tacito, vel negato Voto; quia iuramentum habet in ſe incluſam promiſſionem; ideoque taciturnitas illa, vel falſitas, non eſt circa aliquid pertinens ad ſubſtantiam diſpenſationis: *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 24. 20

QVAE.

QVAESTIO LVII.

An quælibet taciturnitas, ſufficiat ad Priuilegium irritandum.

CASVS.

1 TITIVS, cum ſororem ſuæ Sponſæ carnaliter cognouiſſet, affinitatis inde cum Sponſa contractæ, diſpenſationem à Sede Apoſtolica petierat. Antequam tamen diſpenſatio executioni mandaretur ab Epiſcopo, cui expeditio erat commiſſa, cum eadem ſorore iterum copulam habuit, expeditaque deinde ab Epiſcopo diſpenſatione, cum Sponſa matrimonium contraxit. Quæritur; Vtrum matrimonium fuerit validum.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſatio à Titio obtenta, non videtur validè fuiſſe expedita.*
3 *Non fuit expreſſa copula ſubſequens.*
4 *Noua copula, eſt nouus titulus ſufficiens ad affinitatem contrahendam.*
5 *Inualida eſt legitimatio, non expreſſa qualitate Illegitimi.*
6 *Et abſolutio ab hæreſi, omnibus actibus non expreſſis.*
7 *Diſpenſatio tamen fuit valida.*
8 *Valet pro omni copulà ante diſpenſationis expeditionem habita.*
9 *Sicut diſpenſatio Voti, etiam pro illius repetitione.*
10 *Et vna diſpenſatio pro omnibus irregularitatibus.*
11 *Affinitas, eſt impedimentum per modum habitus.*
12 *Pontifex vult diſpenſare in affinitate orta ex quocunque copulis.*
13 *Exprimendi ſolùm ſunt diuerſi tituli, cum ex illis oritur impedimentum diuerſum.*
14 *Impedimentum ex duplici copula contractum, eſt vnicum.*
15 *Abſolutio ab hæreſi datur ſolùm ſub conditione.*
16 *Diſpenſatio non valet pro copulà expeditionem ſubſequente.*
17 *Idem dicendum eſt de diſpenſatione Compaternitatis.*
18 *Et de diſpenſatione Bigamiæ.*
19 *Et de diſpenſatione irregularitatis ex homicidio.*

RATIONES DVBITANDI.

QVemadmodum ad irritandum priuilegium, quod ad inſtantiam partis conceditur, ſufficit vitium obreptionis, ſiue narratio alicuius falſitatis, modo explicato: ita ſufficit vitium ſubreptionis, ſiue taciturnitas, aut ſuppreſſio veritatis. Dubitatur tamen; An quælibet ſuppreſſio 2

Digitized by Google

veritatis ſufficiat. Quælibet enim, ſufficere videtur; Ideoque diſpenſatio à Titio obtenta, inualidè videtur fuiſſe expedita, & conſequenter etiam matrimonium, quod ab eius valore pendebat, fuiſſe nullum. Ita in ſimili *Suarez de irreg. ob homicidium tom. 5. d. 44 nu. 18. & lib. 6. de legib. c. 24. nu. 12. Coninch. diſp. 18. d. 14. num. 112. Molina tom. 1. tract. 2. diſp. 161. Ledeſma in ſumm. de matr. c. 27. concl. 6. Syluester v. legitimus qu. 3. dub. 2. Auila de cenſuris par. 2. c. 6. diſp. 2. dub. 3.*

3 Primò; Quia Pontifex intendit diſpenſare in impedimento affinitatis, ſolùm quatenus eſt ortum ex copula iam habita, ac expreſſa, non verò ex habenda; Imo, ſi ſciuiſſet, copulam, habendam poſt conceſſam, & ante expeditam diſpenſationem, vel nullatenus, vel difficiliùs eam conceſſiſſet. Ergo taciturnitas copulæ poſt diſpenſationis conceſſionem, & ante expeditionem habitæ, reddit diſpenſationem inuoluntariam, & conſequenter nullam.

4 Secundò; Quia noua copula, eſt nouus titulus ſufficiens ad impedimentum affinitatis contrahendum. Ex iure autem, ac ſtilo Curiæ, non ſolùm impedimenta ipſa ſunt exprimenda, ſed etiam tituli, ex quibus ſunt orta; ſic enim, ſi quis ex duplici titulo, ſi alteri cognatus, vel affinis; vt, quia duos eius filios in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcepit; vel quia duas eius ſorores carnaliter cognouit; vtrumque titulum exprimere tenetur, quamuis eorum alter, fuerit poſitus poſt Pontificis conceſſionem, & ante eius executionem, alioquin inualida eſſet diſpenſatio. Cum ergo etiam copula ante diſpenſationis executionem, cum Sorore Sponſæ habita, ſit nouus titulus, nec in diſpenſatione fuerit expoſitus, diſpenſatio fuit inualida ex defectu formæ, à iure, vel ſtilo Curiæ introductæ.

Tertiò; Quia, ſi Illegitimus ex adulterio Coniugati cum Coniugata, diſpenſationem impetret, narrans ſolùm, ſe natum ex adulterio, ſed non exprimens, ſe natum ex adulterio ex parte vtriusque Parentis; legitimatio eſt irrita, & ſubreptitia, vt docent *Sanchez lib. 8. matr. diſp. 26. num. 5. Angelus v. legitimatio num. 5. Syluester v. legitimus quaſt. 3. d. 2.* & alij communiter. Ergo irrita etiam eſt diſpenſatio, ſi narretur ſolùm affinitas, contracta ex copulà habità ante conceſſionem diſpenſationis, & non etiam ex copulà habità ante eius expeditionem; ſi enim ad valorem legitimationis requiritur à iure expreſſio coniugij ex parte vtriusque Parentis, à fortiori requiretur expreſſio vtriusque copulæ. 5

Quartò; Quia inualida eſt abſolutio, quam obtinet Hæreticus, expreſſis omnibus hæreſibus, ſed tacitis, dedita opera, aliquibus actibus circa aliquam illarum hæreſim factis, vt docent. *Sanchez lib. 2. ſum. cap. 12. num. 9. & Auila par. 2. cap. 6. diſp. 2. dub. 3. ad finem.* Ergo à fortiori inualida erit diſpenſatio affinitatis, tacità copulà ante eius expeditionem ſecuta; Si enim ad valorem abſolutionis, non ſolùm exprimendæ ſunt omnes hæreſes, ſed etiam omnes actus circa quamlibet illarum exerciti, cur ad valorem diſpenſationis, ſimiliter exprimendæ non erunt, 6

Digitized by Google

erunt, tam omnes affinitates, quam omnes copulæ, quibus quælibet illarum fuit contracta?

RESOLVTIO.

7 RESpondetur tamen, diſpenſationem, fuiſſe validam, & conſequenter etiam matrimonium ex eâ contractum. *Sanchez lib. 8. diſp. 24. num. 4. & lib. 4. ſum. cap. 47. num. 33. Henriquez lib. 12. cap. 10. num. 3. & lib. 14. cap. 7. num. 3. Auila diſp. 10 de irreg. dub. 8. Toletus lib. 7. c. 19. Azor. par. 3. lib. 3. cap. 10. qu. 1. Garzias par. 8. de benef. cap. 3. num. 80. Gutierez de matr. c. 124. num. 2. Rodriguez par. 1. cap. 258. num. 1. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 27. num. 12.* & alij communiter.

8 Primò; Quia, Diſpenſatio obtenta, valet non ſolùm pro copulà habita ante petitionem diſpenſationis, ſed etiam pro copulà habita poſt petitionem, & ante diſpenſationis expeditionem; Ad eius enim valorem, ex ſtilo Curiæ, exprimendum non erat, copulam fuiſſe multiplicatam; Nam nemo hoc exprimit, nec, quando diſpenſationem petit in affinitate ex copulà coniugali, ab eo petitur, vt numerum copularum, vel tempus, quo durauit matrimonium explicet. Satis ergo erat, exprimere affinitatem; atque hanc Titius in petitione expreſſit, Non eſt autem imponendum nouum onus, ſine cauſa.

9 Secundò; Quia; Qui Voti diſpenſationem à Pontifice obtinuit, expediendam à Confeſſario; virtute talis conceſſionis diſpenſari poteſt à Confeſſario, quamuis ante obtentam à Confeſſario diſpenſationem, Votum ſæpius repe ierit. Ergo etiam, qui ſimilem diſpenſationem affinitatis obtinuit, diſpenſari poteſt ab Ordinario, quamuis ante obtentam ab Ordinario diſpenſationem, replicauerit copulam; ſicut enim ex multiplici repetitione Voti, non multiplicatur Votum, ita ex multiplici copulà cum eàdem, non multiplicatur affinitas; Nam ex actionibus eiusdem ſpeciei in eodem ſubiecto, fit vnum numero accidens, vt loquitur *Henriquez loco citato.* Cum ergo copula ſuperueniens, nouum impedimentum non inducat, ſed prius ſolùm quaſi confirmet, & huius impedimenti auferendi facultas data ſit Ordinario, poterit Ordinarius, nouà copulà non obſtante, in eo validè diſpenſare.

Tertiò; Quia Clericus, qui in excommunicatione pluries celebrauit, numerum celebrationum exprimere non tenetur, ſed vnà diſpenſatione, ab omnibus irregularitatibus eximitur, vt docent *Nauarrus in addit. ad cap. 27. num. 32. Garzias par. 8. de benef. cap. 3. num. 80. Zerola in praxi par. 2. v. irreg. §. 12. in fine*; Neque ex conſuetudine, aut ſtilo Curiæ conſtat oppoſitum, quamuis concedatur, ex iteratione celebrationis, iteratam eſſe Irregularitatem. Ergo à fortiori vnicà diſpenſatione, auferetur affinitas conſurgens ex copulà habita ante diſpenſationis petitionem, & poſt illam; Sicut enim, in diſpenſatione irregularitatis, intentio Diſpenſantis, eſt, ab omnibus ex celebratione contractis liberare, ita in diſpenſatione affinitatis, 10

Mm 3 eius-

eiuſdem intentio, eſt, omnem affinitatem ex copulà cum ſorore ſponſæ quomodocumque contractam tollere. Intentio autem Diſpenſantis, eſt menſura valoris in diſpenſatione, cum hic ab eà totaliter pendeat.

11 Quartò; Quia affinitas, eſt impedimentum, & inhabilitas quædam ad matrimonium per modum habitus. Huiusmodi autem inhabilitas ex eàdem causà, multiplicari non poteſt; neque enim quis ſemel inhabilis, poteſt amplius ex eàdem causà inhabilitari, neque vna cauſa ſuper aliam operari vt tradunt *Henriqu. lib.* 12. *c.* 10. §. 3. *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 24. *num.* 7. *Auila diſp.* 10. *de irreg. diſp.* 8. Cum ergo ex multiplici copulà cum ſorore ſponſæ, vnica affinitas ſit contracta, eo ipſo quod Pontifex facultatem Ordinario conceſſit, illam per diſpenſationem ſimpliciter auferendi, voluit illam auferri, ſiue per vnam, ſiue per plures copulas, fuerit contracta, ſiue per copulam habitam ſolùm ante petitionem diſpenſationis, ſiue etiam poſt illam. Diſpenſatio autem, ſuas vires ſumit à voluntate Diſpenſantis.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

12 AD rationes in contrarium Reſpondetur: Ad primam Negatur antecedens; Pontifex enim, eo ipſo, quod diſpenſare voluit in affinitate, neceſſariò diſpenſare voluit in eà, ex quotcumque copulis, & quomodocumque habitis eſſet orta, vt patet ex dictis.

13 Ad ſecundam reſpondetur; Ex ſtilo Curiæ, tunc ſolùm exprimendos eſſe diuerſos titulos, cum inde oritur impedimentum diuerſum, ſecus verò, cum nouum impedimentum non inducitur, vt patet exemplo Voti ſuperiùs adducto. Ex multiplici autem copulà cum eàdem, nouum impedimentum affinitatis non inducitur, ſed idem; quidquid ſit, an ex copulà cum duabus ſororibus oriatur affinitas diuerſa; quod etiam multi negant, cum in hoc, eadem videatur ratio, ac in Compaternitate.

Ad tertiam; Negatur conſequentia; Diſparitas autem eſt, quia adulterium Coniugati cum Coniugata, non eſt vnicum, ſed duplex, huiusque duplicis adulterij notitia difficiliorem redderet diſpenſationis conceſſionem. At impedimentum ex duplici illa copula contractum, eſt vnicum, nec poteſt Superior in eo diſpenſare quin ſimul diſpenſare velit ex quibuscumque copulis fuerit contractum. 14

Ad quartam; Negatur ſimiliter conſequentia; diſparitas eſt, quia abſolutio, Hæretico conceditur, non abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione (modo aliud contra fidem actum non ſit.) At diſpenſatio affinitatis, regulariter abſolutè conceditur. Quod ſi, hæc etiam concederetur conditionatè, (dummodo noua copula non interceſſerit,) in hoc caſu, hæc etiam eſſet inualida, ſi noua copula non exprimeretur. Addo tamen, abſolutionem Hæretico datam, quoad actus expreſſos, eſſe validam, licet valida non ſit, quoad alios non expreſſos; quia cenſura ob vnam cauſam contracta, auferri poteſt, remanentibus alijs ob alias cauſas contractis; vt tradunt. *Suarez diſp.* 7. *de cenſ. ſect.* 9. *num.* 4. *Vaſquez diſp.* 18. *num.* 14. *Sayrus lib.* 2. *cap* 21. *n.* 13. 15

Digitized by Google

n. 13. & alij plurimi, quos refert, & ſequitur *Bonac. de cenſ. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 6. num. 1.* Quæ regula, non valet in diſpenſationibus, præſertim impedimentorum matrimonij, propter contrarium vſum, ac ſtilum Curiæ. Vnde, ſi quis factus affinis ſponſæ propter copulam cum eius ſorore, ac matre habitam, peteret diſpenſationem affinitatis, exprimendo ſolùm copulam cum Sorore, inualida eſſet diſpenſatio etiam quoad affinitatem contractam ex copulà cum Sorore, quia ad valorem diſpenſationis, ex ſtilo Curiæ, requiritur expreſſio vtriusqne tituli, & affinitatis. Ad valorem autem actus, forma à iure introducta, ſeruanda eſt, eaque non ſeruata, corruit actus.

COROLLARIA.

16 Colligitur ex dictis primò; Diſpenſationem affinitatis obtentam à Pontifice, licet valida ſit ad tollendum affinitatis impedimentum, quando ſecuta eſt copula ante ipſius expeditionem, non valere tamen, ſi copula talem expeditionem ſubſecuta ſit; Cum enim, poſtquam Ordinarius, vel Confeſſarius diſpenſauit, prior affinitas ſit per diſpenſationem iam omnino ſublata, per ſubſequentem copulam, noua affinitas contrahitur, ad cuius diſpenſationem non extenditur commiſſio. Ad priorem autem copulam extenditur, quia, per illam, noua affinitas contracta non eſt, ſed eadem manſit, cuius diſpenſandæ facultas Ordinario iam data erat, ſed ab eo nondum expedita, ac executioni mandata, *Sanchez lib. 8. diſp. 24. num. 8.*

Secundò; Eum, qui in Baptiſmo, filium alicuius tenuit, & poſt obtentam à Pontifice Compaternitatis diſpenſationem, alium filium tenuit ante eius expeditionem, validè diſpenſari; quia vnica tantùm orta eſt Compaternitas, cujus tollenda facultas Ordinario conceſſa erit, neque ex ſtilo Curiæ filiorum numerus erat exprimendus, cum ſinguli nouum impedimentum non induxerint. *Garzias loco citato n. 78.* 17

Tertiò; Si quis ter, vel quater, nuptias celebrauit, neceſſarium non eſſe, in diſpenſatione Bigamiæ, hoc exprimere, ſed ſatis eſſe exprimere ſecundas; quia omnes illæ nuptiæ vnicum Bigamiæ impedimentum induxerunt, ad quod auferendum, datur in commiſſione Ordinario poteſtas. *Auila par. 7. diſp. 8. in fine. Henriq lib. 12. c. 6. nu. 9. Sanchez lib. 7. d. 86. n. 24.* 18

Quartò; Eum, qui pluries occidendo irregularitatem contraxit ex homicidio; in petitione diſpenſationis, non neceſſariò omnia homicidia exprimere debere, ſed ſatis eſſe, ſi vnius tantùm delicti mentionem faciat; Tum quia, ſingula delicta nouum impedimentum non inducunt, ſed idem confirmant; Tum quia, expreſſio ſingulorum delictorum, à iure ſpecialiter non exigitur. *Garzias par. 8. cap. 3. n. 80.* 19

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO LVIII.

Anceſſante cauſà Priuilegij, ceſſet Priuilegium.

CASVS.

1 EPISCOPVS Albanenſis, accepto mandato ad diſpenſandum cum Titio in irregularitate, propter Parentum paupertatem; illum ad ordines diſpenſauit. Antequam tamen Titius Ordines ſuſciperet, eius Parentes, per obitum cuiusdam Conſanguinei, pinguem hæreditatem adepti ſunt; poſt quam, ipſe Ordines ſuſcepit. Quæritur; Vtrum eos licitè ſuſceperit.

SVMMARIVM.

2 *Ceſſante cauſa finali diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio.*

3 *Aliquando tamen non ceſſat.*

4 *Videtur ceſſare, quando ad effectum vltimum perducta non eſt.*

5 *In Iure, gratia reuocatur, ceſſante cuſà.*

6 *Cenſetur conceſſa, ſub tacità conditione, ſi cauſa ſubſiſtat.*

7 *Etiam lex ceſſat, ceſſante cauſa.*

8 *Et diſpenſatio ad carnes comedendas, ceſſante infirmitate.*

9 Duo *dantur genera obligationum.*

10 *Et duo genera cauſarum ad diſpenſandum.*

11 *Diſpenſatio ad Ordines, ob paupertatem, non ceſſauit, etiam ceſſante paupertate.*

12 *Tota cauſa, erat tunc, cum fuit conceſſa diſpenſatio.*

13 *Cauſa temporalis, poteſt eſſe ſufficiens ad diſpenſationem perpetuam.*

14 *Diſpenſatio, eſt ſpecies quadam donationis.*

15 *Alia eſt conditionata, alia abſoluta.*

16 *Diſpenſatio ad matrimonium, ob paupertatem, ceſſante paupertate non amittitur.*

17 *Ceſſante cauſà, ceſſat diſpenſatio, quando cauſa eſt ſucceſſiua.*

18 *Diſpenſatio abſoluta, manet etiam eius cauſà ceſſante.*

19 *Cur faciliùs ceſſet priuilegium, quam Lex.*

20 *Diſpenſatio conceſſa dependenter à cauſà futurà, ceſſat cauſà ceſſante.*

21 *Diſpenſatus ad matrimonium, ob incontinentia periculum, aliud matrimonium inire poteſt.*

22 *Diſpenſationes abſolutè conceſſa, non ceſſant, niſi reuocentur.*

23 *Qua diſpenſatio, ceſſante cauſà, ceſſet.*

24 *Cauſa diſpenſationis, in dubio, præſumitur non ceſſaſſe.*

25 *Vſus diſpenſationis, ex circunſtantià ſuperueniente, impediri poteſt.*

RATIONES DVBITANDI.

CErtum eſt primò; Ceſſare diſpenſationem, ſi ceſſet eius cauſa finalis, 2 an-

antequam diſpenſatio ſit integrè conceſſa, quia ceſſat Intentio Concedentis; hic enim intendit diſpenſationem concedere ſolùm ob illam cauſam, ſiue, ſi illa cauſa ſubſiſtat, & non aliter; ideoque dat mandatum ad diſpenſandum, ſolùm ſub conditione; ſi preces veritate nitantur. Vnde, ſi Pontifex committat Epiſcopo facultatem diſpenſandi Titium in irregularitate ad Ordines ſuſcipiendos, propter paupertatem; ſed interim, antequam Epiſcopus diſpenſet, Titius ad pinguiorem fortunam veniat, Epiſcopus, illum diſpenſare amplius non poteſt quia paupertas, quæ erat iuſta diſpenſandi cauſa, iam ceſſauit; Pontifex autem non conceſſit Epiſcopo facultatem diſpenſandi, etiam ceſſante iuſtà causà diſpenſationis; Non enim præſumitur, voluiſſe Epiſcopo facultatem dare ad id, quod ipſe licitè præſtare non poterat; Ipſe autem licitè diſpenſare non poterat ſine iuſtà causà. *Sanchez lib. 8. matr. d. 30. n. 8.*

3 Certum eſt ſecundò; Non ceſſare diſpenſationem, etiamſi ceſſet eius cauſa finalis, poſtquam diſpenſatio eſt integrè conceſſa, & ſuum vltimum effectum adepta, quando eius effectus non habet tractum ſucceſſiuum, ſed eſt momentaneus. Si enim, tempore abſolutionis ab excommunicatione, vel diſpenſationis ab irregularitate, aut Voto, aut aliquo impedimento dirimente, vel non dirimente, vera fuit cauſa allegata, etiamſi poſtea ceſſet, non propterea ceſſat abſolutio, vel diſpenſatio; Tum quia *ex reg. 73. de reg. iuris in 6.* factum legitimè, retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari. Tum quia effectus iam conſummatus, & completus, non pendet à cauſa conceſſionis; hæc enim ad eius ſolùm productionem fuit neceſſaria, non verò ad eius conſeruationem; Vnde, ſi quis centum donauit Amico, ob paupertatem, in qua, tempore donationis degebat, quamuis poſtea Amicus ad pinguiorem fortunam veniat, non propterea ceſſat donatio; &, ſi cum Irregulari diſpenſetur ad Ordines ob paupertatem, quamuis hic poſtea, ordinibus ſuſceptis, diues fiat, non propterea ceſſat, nec ceſſare poteſt diſpenſatio, quia iam habuit ſuum effectum conſummatum, & grauiſſima alias ſequerentur inconuenientia, ſi ceſſaret; Si enim, ceſſante causà diſpenſationis in irregularitate ad omnes Ordines obtentæ, ceſſaret diſpenſatio, poſtquam Diſpenſatus Subdiaconatum iam ſuſcepit, itavt ad vlteriores Ordines aſcendere non poſſet, ad rem nimis difficilem cogeretur; eſſet enim iam ligatus, nec retrocedere valeret à ſtatu aſſumpto. Idemque contingeret, ſi quis, obtenta diſpenſatione in Voto caſtitatis ob carnis tentationes; poſt contractum matrimonium, ceſſantibus tentationibus, Votum ſeruare teneretur, quantum poſſet, debitum non petendo; vel enim diſcedere deberet ab Vxore cum maximo Filiorum detrimento; vel in matrimonio, ſine magno ſalutis periculo, permanere non poſſet *Sanchez num. 10. Bonac. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 10. §. 1. n. 11.*

Difficultas ergo ſolùm eſt, an ceſſet diſpenſatio, quando totaliter ceſſat eius cauſa finalis, antequam ad effectum vltimum perducta ſit; vt accidit in caſu 4

propoſito; in quo paupertas ceſſauit, antequam Titius Ordines ſumeret. Et quidem, videtur ceſſaſſe, ita vt Titius, illâ validè, ac licitè vti non potuerit ad Ordines ſuſcipiendos. *Sanchez lib. 8. matrim. diſp. 30. num. 14. plures referens, & Bonac. diſp. 1. de legib. quæſt. 2. pun. 10. §. 1. num. 5.*

5 Primò; Quia *in cap. Generaliter 16. quæſt. 1. & in cap. Tua; de Cler. non reſid. & cap. Abbas in fine de verbor. ſignific.* reuocatur gratia, & priuilegium, ceſſante cauſa. Ergo ad durationem diſpenſationis, requiritur duratio cauſæ.

6 Secundò; Quia Superior, cenſetur ſemper velle diſpenſationem concedere ſolùm ſub tacitâ conditione, ſi cauſa permaneat; Sicut cum concedit mandatum diſpenſandi, illud ſemper ſub hac conditione concedit (ſi preces veritate nitantur;) alioquin, ſi vellet diſpenſationem ad eum caſum extendi, quo cauſa omnino ceſſaret, iniquus eſſet Diſpenſator; Vnde *in L. Facto. ff. De vulgar. & pupill. ſubſt.* deciditur. Priuilegium Patri conceſſum ſubſtituendi alium Filio furioſo, ceſſare, ſi Filius iterum ad mentem redeat, quamuis priuilegium, iam eſſet ad effectum deductum; quia, inquit textus: *Iniquum incipit fieri beneficium Principis, ſi adhuc id valere dicamus*; Auferret enim homini ſanæ mentis, teſtamenti factionem. Cum ergo eodem modo, ceſſante causâ diſpenſationis, incipiat eſſe iniqua diſpenſatio, vtpote, quæ ſine vllâ causâ hominem eximit à iure communi, vel naturali diuino, conſequenter ceſſabit, quoad effectum, qui ſine inconuenienti reuocabilis eſt; vt eſt in caſu præſenti, promotio ad Ordines. Neque enim credendum eſt, velle Diſpenſantem peccare, intendendo, vt diſpenſatio vim habeat, etiam dum eſt illicita, aut iniqua.

7 Tertiò; Quia, ceſſante cauſa legis, ceſſat lex, eiusque obligatio. Ergo à fortiori, ceſſante causâ diſpenſationis, ceſſabit diſpenſatio; faciliùs enim tollitur priuilegium, ac diſpenſatio, quod eſt ius extraordinarium, ac ſpeciale, quam lex, quæ eſt ius commune. Si ergo ius commune ceſſat, ceſſante cauſa, vt omnes concedunt, à fortiori ceſſabit priuilegium, ac diſpenſatio; Hæc enim, non habet tantam firmitatem, faciliùsque reuocari poteſt, quam ius commune.

8 Quartò; Quia diſpenſatio in eſu carnium in Quadrageſimâ, ob certam infirmitatem, ceſſat, ceſſante infirmitate, quæ fuit cauſa diſpenſationis; abſurdum enim videtur, vt is, cum quo eſt diſpenſatum ob debilitatem dubiam, & quæ ex ſe, ſeclusâ diſpenſatione, non excuſabat, carnes eodem modo comedere poſſit, quamuis perfectam ſanitatem recuperauerit. Ergo eodem modo, diſpenſatio irregularitatis, ceſſante eius causâ, ceſſauit.

NOTABILIA.

9 Aduertendum eſt primò; cum Diſpenſatio, nihil ſit aliud, quam exemptio à legis obligatione; duo dari genera obligationum: Aliquæ enim ſunt veluti momentaneæ, & indiuiſibiles, quia totæ ſimul, & per vnicum actum, integrè contrahuntur; vt obligationes

Voti,

Voti, irregularitatis, excommunicationis, & aliorum impedimentorum; Hæ enim, per vnicum actum, totæ ſimul acquiruntur. Aliquæ verò; ſunt diuiſibiles, & ſucceſſiuæ, quia contrahuntur per partes, vna poſt aliam; vt obligatio ieiunij, officij, & aliæ ſimiles; obligatio enim ieiunandi, vel officium recitandi hodie, eſt diuerſa ab obligatione ieiunandi, vel recitandi cras, & vna ponitur ſucceſſiuè poſt aliam.

10 Aduertendum eſt ſecundò; Dari ſimiliter aliquas cauſas diſpenſandi, quæ integrè, & adæquatè exiſtunt tunc, quando conceditur diſpenſatio; vt, cum Pontifex diſpenſat in Voto Caſtitatis ob carnis ſtimulos, vel in impedimento matrimonij ob paupertatem, vel in pluralitate beneficiorum, ob munus, quod quis tunc gerit; In his enim caſibus, adeſt integra cauſa diſpenſandi, quando diſpenſatio conceditur; Nam diſpenſatio in Voto Caſtitatis, conceditur ob tentationem præſentem, non ob præteritam, vel ob futuram; Similiter, diſpenſatio in impedimento matrimonij, conceditur ob paupertatem, quæ de præſenti exiſtit, non ob illam, quæ fuit, aut erit. Aliquas verò dari, quæ non ſunt totæ tunc, cum conceditur diſpenſatio, ſed partim ſunt de præſenti, partim de futuro; vt, cum Pontifex diſpenſat in carnium comeſtione propter dubium infirmitatis, vel in officij recitatione propter imminentes occupationes; in his enim caſibus, cauſa diſpenſationis, non integrè exiſtit tunc, cum conceditur diſpenſatio, ſed ſuccedit, ſicut ſuccedit ipſe vſus diſpenſationis. Nam Pontifex, hoc menſe in officij recitatione diſpenſat propter occupationes huius menſis, nec propter iſtas, diſpenſare poteſt pro menſe ſequenti, cum occupationes huius menſis, parum deſeruiant ad honeſtandam officij omiſſionem, menſe ſequenti. His poſitis.

RESOLVTIO.

AD Caſum Reſpondetur; Diſpenſationem Titio conceſſam ad Ordines ſuſcipiendos ob paupertatem, non ceſſaſſe, quamuis ceſſauerit eius paupertas; ideoque licitè Titium Ordines ſuſcepiſſe. *Suarez lib. 8. de legib. c. 30. num. 12. Sa-las diſp. 2. ſect. 6. n. 67. Eman Sà, v. Gratia, num. 6. Silueſter v. Diſpenſatio quæſt. 6. Gutierez lib. 1. cum quæſt. cap. 15. n. 22. & lib. 2. num. 30. & alij apud Sanchez lib. 8. diſp. 30. n. 13.* qui hanc opinionem affirmat eſſe probabilem, licet ipſe contrariam ſequatur. *Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt.* 189. *num.* 197. & alij communiter. 11

Primò; Quia tota cauſa, ob quam Titio fuit conceſſa diſpenſatio, erat tunc, cum fuit ab Epiſcopo diſpenſatus; Tunc enim verè erat pauper. Sed cauſa, tunc fuit ſufficiens ad valorem diſpenſationis, vt ſuppono. Ergo, quamuis poſtea ceſſauerit, adhuc fuit ſufficiens, parum enim refert, quod poſtea ceſſauerit, vel non ceſſauerit. Nam diſpenſatio fuit conceſſa ob paupertatem tunc exiſtentem, non ob futuram, vel ob eius perſeuerantiam. Quamuis ergo non perſeuerauerit paupertas, adhuc fuit valida diſpenſatio. 12

Secundò; Quia poteſt cauſa temporalis, eſſe ſufficiens ad diſpenſationem 13

perpetuò, & abſolutè concedendam, eamque honeſtare poteſt; Summus enim Pontifex, de facto, non ſolùm in ijs, quæ ſunt de iure humano, ſed etiam in ijs, quæ ſunt de iure diuino, ac naturali, abſolutè, & in perpetuum aliquando diſpenſat; Vt, cum Virum aliquem Principem diſpenſat in Voto peregrinationis, vt negotium aliquod graue, ad Eccleſiæ ſtatum pertinens, agat; vel, cum propter incontinentiæ periculum, diſpenſat in Voto Caſtitatis. In hoc autem caſu diſpenſatio non pendet in conſeruari à causâ conceſſionis, ideoque ipsâ etiam ceſſante non ceſſat.

14 Tertiò; Quia per diſpenſationem legitimè factam, acquirit Diſpenſatus, ius vtendi re ſibi donatâ; Diſpenſatio enim eſt ſpecies quædam donationis. Sed ius ſemel per donationem quæſitum, non reuocatur per ceſſationem cauſæ, ob quam fuit facta donatio, vt per ſe patet. Ergo neque ius, ſemel per diſpenſationem quæſitum, reuocabitur per ceſſationem cauſæ, ob quam fuit conceſſa diſpenſatio. *Menochius lib. 4. præſumpt. 189. num. 197. Gutierez loco citato.*

15 Quartò; Quia, ſi diſpenſatio conceſſa Titio, ceſſaſſet, ceſſante paupertate, tolleretur communis diſtinctio diſpenſationis, in abſolutam, & conditionatam; Omnes enim diſpenſationes eſſent conditionatæ; Nam diſpenſarent ſolùm, quandiu cauſa duraret. Conſequens autem videtur abſurdum; Cur enim dari non poſſit etiam diſpenſatio abſoluta, & nullius conditionis durationi alligata, cum non repugnet, dari cauſam temporalem, ac tranſeuntem, quæ ſit ſufficiens ad honeſtandam conceſſionem aliquam, & diſpenſationem etiam perpetuam. Diſpenſatio autem abſoluta, eſt illa, quæ ob caſuſam ſemel poſitam, in perpetuum conceditur, & conſequenter, quæ remanet etiam causâ ceſſante.

16 Quintò; Quia, ſi Mulier, ob paupertatem diſpenſetur in impedimento conſanguinitatis, & antequam matrimonium contrahatur fiat diues, non propterea amittit diſpenſationem, nec eius vſum, cum diſpenſatio, ei conceſſa non fuerit ſub conditione, ſi paupertas toto tempore ante matrimonium perſeuerauerit, ſed abſolutè; Vnde hoc à Contrahentibus non inueſtigatur, eſſetque non leuis occaſio ſcrupulorum, & aliorum inconuenientium, vt optimè notat *Garzias par. 6. de benef. cap. 2. n. 291.* Ergo etiam Titius, quamuis ante Ordinum ſuſceptionem, ad pinguiorem fortunam venerit, non propterea amiſit diſpenſationem, ac ius ad Ordines ſuſcipiendos; alioquin diſpenſatio, non fuiſſet abſoluta, ſed conditionata; Imo non fuiſſet diſpenſatio, ſiue relaxatio irregularitatis, ſed ſuſpenſio.

OBIECTIONVM SOLVTIO.

17 NEque rationes in contrarium adductæ, nobis aduerſantur; Hæc enim probant ſolùm, ceſſare diſpenſationem, ceſſante causâ, quando conceſſio diſpenſationis, requirit cauſam ſucceſſiuam, ac ipſi diſpenſationi commenſuratam quod nos non negamus. Vnde ad primam Reſpondetur; In *cap. Generaliter*; Concedit priuilegium immunitatis omnibus Eccleſiaſticis, qui apud Eccleſias, vel Monaſteria permanent non diuagantes. Hoc autem priuilegium, eſt conditionatum, & habet cauſam ſucceſſiuam, ſcilicet permanentiam

nentiam in Eccleſijs, aut Monaſterijs. Similiter *in cap Tua*; conceditur Canonicis, ſtudiorum cauſà, vt etiam in abſentià, fructus præbendarum percipiant; quod priuilegium, eſt ſimiliter conditionatum, & habet cauſam ſucceſſiuam, ſcilicet aſſiſtentiam in ſtudijs. Denique *in cap. Abbates*; conceditur Cœnobio S. Bertini, vt ex illo, Alciatenſes Monachi, ſibi eligant aliquem in Abbatem, quandiu obſeruantia regularis ibi viguerit; quod priuilegium, eſt etiam conditionatum, & dependens, à viridi obſeruantià, quæ eſt cauſa ſucceſſiua.

18 Ad ſecundam, Negatur Antecedens, præter diſpenſationem enim conditionalem, admittenda eſt etiam abſoluta, vt patet ex dictis. In huius autem conceſſione, intentio Concedentis eſt, vt diſpenſatus illà vtatur, etiam ceſſante cauſa, ob quam fuit conceſſa; Neque per hoc peccat Concedens, cum concedat ob cauſam legitimam, quam tamen non neceſsè eſt ſemper exiſtere, quandiu durat diſpenſatio. Similiter neque vtens diſpenſatione, peccat, quia vtitur re ſibi legitimè conceſſà; Priuilegium autem ſubſtituendi alium Filio furioſo, ceſſat, ſi Filius ad mentem redeat, quia ex ſubiectâ materià conſtat, fuiſſe conditionale, ſi videlicet Filius in furore vſque ad mortem permaneat alioqui, vt rectè ibi dicitur, iniqua eſſet ſubſtitutio.

19 Ad tertiam Reſpondetur; Faciliùs quidem ceſſare poſſe priuilegium, ac diſpenſationem, quam legem; Tum quia, illa faciliùs reuocari poſſunt à Principe; Tum quia, oriri poteſt aliqua circunſtantia, quæ eorum vſum impediat. Ex hoc tamen non ſequitur, illa ceſſare debere ex omni cauſà, ex quà ceſſat lex; Nam lex ceſſat, ceſſante eius cauſa finali adæquata; quia tunc redditur omnino inutilis, nec Subditos ad obſeruantiam legis omnino inutilis obligare, æquum eſt. At diſpenſatio, ac priuilegium, etiam ceſſante eorum cauſà, ſunt vtilia Priuilegiato, & aliunde Priuilegiatus, ad eorum vſum non obligatur.

Ad quartam, Negatur conſequentia; 20
Cum enim diſpenſatio in eſu carnium, conceſſa fuerit dependenter à cauſà futurà, non mirum, ſi, ceſſante tali cauſa, ceſſet. At diſpenſatio in irregularitate, fuit Titio abſolutè conceſſa ob paupertatem præſentem, non verò ob eius perſeuerantiam in futurum. Hinc ergo fit, vt, etiam ceſſante paupertate, ipſa non ceſſauerit.

COROLLARIA.

Colligitur ex dictis primò; Eum, qui 21
ob incontinentiæ periculum, diſpenſationem obtinuit in Voto Caſtitatis, aut Religionis ad matrimonium contrahendum; primo matrimonio diſſoluto, aliud matrimonium, etiam ceſſante incontinentiæ periculo, inire poſſe; Quia præſens incontinentiæ periculum, videtur cauſa ſufficiens ad abſolutè diſpenſandum; alioqui non eſſet diſpenſatio, ſed ſuſpenſio à Voti obligatione; Diſpenſatio autem ſemel abſolutè obtenta, non ceſſat, etiam ſi ceſſet cauſa, ob quam fuit conceſſa, vt patet ex dictis. Idemque dicendum eſt de diſpenſatione ſemel legitimè obtenta in aliquà lege humanà, vel diuina; vt in iuramentis; Nam hæc etiam, ſi ſit abſolutè conceſſa, ceſſante eius cauſà, non ceſſat,

Digitized by Google

cum ab illâ non pendeat in conſeruari, ſed ſolùm in fieri; Et hoc à fortiori valet, cum diſpenſatio obtinetur ab ipſo Legiſlatore, vel eius Succeſſore, aut Superiore; Nam hic, in propriâ lege, validè diſpenſare poteſt, etiam ſine causâ, vt patet ex dictis.

22 Secundò; Diſpenſationes abſolutè conceſſas, ceſſare non poſſe, ipſo facto, ſed indigere reuocatione ad hoc, vt ceſſent; Habent enim rationem donationis, quæ non ceſſat, niſi reuocetur. Imo aliquæ ex ipſis, nec reuocatione ceſſare poſſunt; omnes enim illæ, quæ conſiſtunt in remotione alicuius impedimenti, ſemel conceſſæ, reuocari non poſſunt, quia impedimentum per illas ſublatum, redire amplius non poteſt; neque enim redire poteſt excommunicatio ſemel per abſolutionem ſublata neque irregularitas, aut Votum, ſine voluntate Vouentis, vt docent *Menochius lib. 4. præſumpt. 189. nu. 197. Suarez lib. 6. de legib. cap. 30. n 4. Sanchez lib. 8. diſp. 30. n. 10.*

23 Tertiò; Diſpenſationem, quando eximit ab obligatione diuiſibili, & ſucceſſiua, & propter cauſam ſimiliter diuiſibilem, ac ſucceſſiuam; ceſſante causâ, ceſſare; quia eximit ab obligatione ſolùm ſub conditione, quandiu fuerit cauſa, & cum obligatio ſit multiplex, multiplex etiam cauſa, ad illius exemptionem, requiritur, vt patet in Officij recitatione, quæ ſingulis diebus, nouam cauſam requirit, cum ſit noua exemptio, nec præſens infirmitas, ſit cauſa ſufficiens concedendi perpetuam diſpenſationem in ieiunio. *Suarez lib. 8. cap. 30. n. 18.*

24 Quartò; Cum dubitatur; An cauſa diſpenſationis conditionatæ, ceſſauerit; præſumi ſemper non ceſſaſſe, & conſequenter diſpenſationem adhuc eſſe validam. Tum quia, poſſeſſio ſtat pro diſpenſatione, quam conſtat validè fuiſſe conceſſam. Tum quia, ceſſatio, in dubio, non præſumitur, niſi probetur, cum ſit dubium facti. Tum demum, quia in dubio, an ſit valida diſpenſatio, iudicanda eſt valida, eo quod in dubio, in fauorem valoris actus, iudicandum ſit, vt magis valeat, quam pereat, vt habetur *cap. Abbate: de verbor. ſignific. Sanchez lib. 8. diſput. 21. num. 25.* Ergo à fortiori, de illius valore præſumendum eſt, ſi ſemel conſtitit de eius valore, & dubium poſtea ſuboriatur, an, ob cauſæ ceſſationem, ceſſauerit. *Sanchez lib. 8. diſput. 30. num. 9.*

25 Quintò; Quamuis diſpenſatio abſolutè conceſſa, non ceſſet, ceſſante eius cauſa; eius tamen vſum impediri poſſe ex aliquâ circunſtantia ſuperueniente, quæ eius vſum reddat iniquum; Si enim vſus iniquus eſt, licitus eſſe non poteſt. Tunc tamen, diſpenſatio non extinguitur, ſed potius ſuſpenditur, ac quaſi ſopitur; quia, remotâ illa circunſtantiâ, iterum eius diſpenſationis vſus, eſt licitus. *Arg. cap. Abb. de verbor. ſignific. Suarez lib. 8. c. 30. n. 22 Sanchez lib. 8. diſput. 30. n. 17.*

LAVS DEO.

IN-

Digitized by Google

508

INDEX
RERVM NOTABILIVM.
QVÆ IN SECVNDO LIBRO TRACTANTVR.

Primus numerus, Paginam, Secundus, Numerum indicat.

ABBATES, leges ferre poſſunt, pag.14. num.26.

Ablatio vnica acus, non eſt culpa grauis in genere furti. p.67. n.6. Quando ſufficiat ad cenſuram incurrendam, pag.68. n.12.

Ablatiuus abſolutus, non ſemper importat conditionem.p.227.n.16.

Abſciſſio digiti, corporis integritatem non tollit.p.160 n.8.

Abſentia à Choro ob iniuſtam excommunicationem, eſt impedimentum legitimum, pag.193. n.9.

Abſolutio ab hereſi, eſt inualida, ſi omnes actus non exprimantur. p. 276. n.6.

Abſolutio ab hereſi, datur ſolum ſub conditione.p.278.n.15.

Abſolutio, ad tollendam cenſuram, eſt neceſſaria.p.199.n.2. In mortis articulo à Cenſuris reſeruatis, à ſimplici Sacerdote dari poteſt. p.200.n.8.

Abſolutiones data poſt facultatis acceptationem, ſunt valide. pag.238. num.15. Date ante illam, ſunt inualida. ibi num.19.

Abſolutio cenſura data ſub conditione, an ſit valida. pag.215. num.3. Nunquam ſic inuenitur à iure data.p.216. n. 5. à Superioris voluntate totaliter pendet. ibi n.8. Dum datur, nullum habet effectum. ibi n.9. Eſt illicita.p.217 n. 11. imprudenter ſic datur ibi n. 12. Eſt contra reuerentiam rei ſpirituali debitam. ibi num. 14. Eſt valida. n.15. Non pendet in ſuo valore à conditione. ibi n.16.

Abſolutio, in mortis articulo, à Sacerdote vitando data, an ſit valida. p. 204. n. 3. Eſt valida.p.208. n.16. A quolibet Sacerdote, tum ex iure, quam conſuetudine, tunc dari poteſt.p.210.n.25. Etiam ab excommunicato vitando.ibi n 26. & à quolibet habente characterem Sacerdotalem.pag.211.n.27.

Abſo-

INDEX

Abſolutio, in mortis articulo, ab excommunicato vitando in præſentia alterius Sacerdotis data, eſt inualida pag.212.num. 33. Si Sacerdos non ſit vitandus, eſt valida, & licita. ibi n.34. A quo dari debeat in concurſu plurium Sacerdotum. ibi num. 35.

Abſolutio conditionata, ex Eccleſia non vſu, redditur ſolùm illicita p.219.n.23.

Abſolutio, an tollere poſſit vnam cenſuram ſine aliâ pag.220 num.2. Eas ſolas tollit, quas Sacerdos tollere intendit. ibi num.4. Nihil infundit cum cenſuris incompoſſibile, ibi n.5. Tollit ſolùm cenſuram cognitam. num.6. Accommodatur petitioni, p.221.n.7. Quomodo dari poſſit. ibi nu.8. Data in Confeſſione tollit omnes cenſuras. ibi n.9. Eſt diſpoſitio ad abſolutionem peccatorum. num.10. In Sacramento, cenſurarum manifeſtationem requiri. p.223 n.17. Extra Sacramentum, pendet totaliter à voluntate Abſoluentis. ibi num.18.

Abſolutio, ante partis ſatisfactionem data, an ſit valida. p.224. num.2.

Eſt illicita p.225. n.6. Eſt valida ibi num.7. Tollit cenſuras oblitas p.227. num.17.

Abſolui poteſt, qui ſine graui damno ſatisfacere non poteſt. pag.228. num. 18.

Accedens ad aliquem locum, loci priuilegijs gaudet. pag. 40. num 29. An eandem Vigiliam ieiunare bis teneatur. ibi num.30.

Accedens ad Monaſterium Monialium exemptarum, excommunicationem incurrit. cap.41: num.3. Loquendo cum illis an incurrit. p.42. n.4.

Accelerans mortem Rei, irregularitatem non incurrit. p. 145. n.5. Nec accelerans mortem Infirmi. pag. 146. num. 13.

Acceptatio ad priuilegij valorem eſt neceſſaria. p.237. n.13. In Priuilegiato ſolùm directo. pag.239. num.24. Ad continuationem iuriſdictionis, non requiritur. ibi n.23.

Acceptatio eorum, in quorum damnum cedit priuilegium, non eſt neceſſaria p 241. n:31. Neque eorum in quorum vtilitatem priuilegium cedit indirectè. ibi n. 32.

Acceptatio beneficij, an vllum ius tribuat. p.169. n.4. Nullum ius tribuit. p.170 n.8. Eſt quid facti. ſicut optio prabendæ. ibi n.9. Eſt in vſu. ibi n.10. Eſt ſolum conditio, ſine qua collatio non tribuit ius completum. ibi n.11. Eſt valida ſolùm quatenùs eſt declaratio proprij conſenſus p.171. n.12.

Actiones, ob quas irregularitas incurritur, debent eſſe humanæ p.173. n.6.

Actus irritatio, non requirit in Subdito notitiam p 32. n.15.

Actus, formâ præſcriptâ non ſeruatâ, non eſt validus. pag. 225. num. 4. Contra formam non ſpecialiter præſcriptam factus, eſt validus. pag.227. num. 14.

Actus internus ab Eccleſiâ præcipi non poteſt. p.62. n.4. Ab eâ puniri non poteſt. ibi n.5. Quot modis coniungi poſſit cum externo. ibi n.6. Aliqui prohiberi poſſunt ſolùm ſub conditione. p.63. n.7.

Actus internus per externum, cum quo con-

Digitized by Google

nectitur, ſufficienter manifeſtatur. p. 64. n. 13. Ab Eccleſia in irectè cognoſcitur. ibi n. 14.

Aduena, ſeruare tenentur leges, quæ etiam in proprio Territorio obligant. p. 38. n. 19. Et leges mercibus pretia taxantes. p. 38. n. 20.

Aduena exiſtentia in aliquo loco, in quibus illum ſubijciat legibus loci. p. 39. n. 23.

Affinitas, eſt impedimentum per modum habitus. p. 278. n. 11.

Argumentum pro libera opinionis probabilis electione. p. 214. n. 39.

Articulus mortis, quid ſit. pag. 213. n. 36. Cur tunc detur iuriſdictio in quolibet Sacerdote. pag. 209. num. 19.

Articulus alterius neceſſitatis, hanc iuriſdictionem non confert. p. 213. n. 38.

Articulus mortis quid p. 202. n. 19. Pro eo articulo, quæ facultas à Trid. conceditur. p. 200. n. 9.

Attentio interna, in Officij recitatione, ab Eccleſià præcipitur. pag. 65. num. 16.

B

B*Eneficij fructus, ſunt debiti, iniuſtè excommunicato. pag. 194. num. 12.*

Beneficij collatio, valida eſt, quamuis in ſupplicatione exprimatur eſſe curatum. p. 269. n. 15.

Beneficij priuatio, videtur pœna conditionalis. p. 109. num. 4. Sicut priuatio fructuum. ibi num. 5. Eſt priuatio rei propriæ, ſicut confiſcatio p. 110. num. 10. Imponitur à Trid. ſolum ſub conditione ſententiæ. p. 111. n. 11. Sicut bonorum confiſcatio Hæreticis. num. 12. Et ſic de beneficiorum priuatio Simoniacis. ibi. num. 13.

Beneficij priuatio, in quo differat à cenſuris. p. 111. n. 14.

Beneficiarius, diſtributiones percipere poteſt. pag. 143. num. 5. Et fructus beneficiorum exiſtentium extra Territorium Epiſcopi ſuſpendentis. ibi n. 7.

Beneficij Collatio facta irregulari, eſt valida. p. 162. n. 8.

Beneficium, datur propter Officium. p. 162. n. 5. propter quod Officium aliquando detur. p. 163. num. 13. Non ſemper cum Ordinum exercitio connectitur. num. 16.

Beneficij fructus, an per excommunicationem amittantur. pag. 165. n. 2. amittuntur. n. 6.

Beneficij fructus non meretur, qui eſt extra Communionem Eccleſiæ. pag. 167. n. 12. Aſſignatur ſolùm poſito quod exerceri poſſit Officium. ibi n. 13. Denegantur Excommunicato, ſicut denegatur Communio Fidelium. p. 168. n. 14. Et ſi ſit contumax, etiam in caſu neceſſitatis. ibi n. 20.

Beneficij acceptatio, nullum ius tribuit. pag. 170 num. 8. Eſt quid facti, ſicut optio præbendæ. ibi n. 9. Eſt in vſu. n. 10. Eſt ſolùm conditio, ſine quà collatio ius completum non confert. num. 11. Eſt valida, ſolùm, quatenus eſt declaratio proprij conſenſus. p. 171. n. 12.

Beneficiarius Choro non aſſiſtens ob Eccleſiæ violationem, diſtributionibus non priuatur. p. 187. n. 20.

Bona fides ad præſcriptionem requiritur. p.25. n.16. & p.27. num.25. Non qualibet bona fides ſufficit. pag. 28. n.26.

Breuiarium, ſine iuſtà cauſà proijciens peccat. p.191. n.20.

Breuis mora ſufficit ad ſubiectionem contrahendam p.40. n.25.

C

Canonicus Choro non aſſiſtens, ob Eccleſiæ violationem diſtributionibus non priuatur. pag.187. num.20.

Carthuſianus, in mortis periculo, carnes comedens, non peccat. pag. 75. num.20.

Cauſæ diſpenſandi quænam ſint. pag. 283. n.10.

Cauſa temporalis poteſt eſſe ſufficiens ad diſpenſationem perpetuam. pag.283. n.13. Eà ceſſante, quando ceſſet diſpenſatio. p.284. n.17. & p. 286. n.23. Cauſa diſpenſationis in dubio, præſumitur non ceſſaſſe. ibi n.24.

Cauſæ, ob quas præceptum aliquod ſuſpenditur, aut ceſſat. pag.79. num.14.

Celebrare ſine Sacris Veſtibus eſt mortale. p.72. num. 8. Sicut Confeſſionis ſigillum violare. ibi n.9.

Cenſura, an incurratur à penſionem non ſoluente. pag.76. n.2.

Cenſura contrahitur ex delicto in territorio commiſſo. p.107. n.19. Et ex delicto præterito. ibi n. 20.

Cenſura Pontificia ab omnibus vbique incurruntur. p.107. n.21.

Cenſura grauis non incurritur, niſi ob culpam grauem p.67. num.3. Non contrahitur à Surripiente vnicam acum Sartc. i. ibi n.5. Nec propter mendacia iocoſa. num.7. Propter comæ geſtationem incurri poteſt p.68. n.9.

Cenſura non incurritur, niſi ponatur delictum ab ipsà prohibitum. pag. 95. num.14.

Cenſura non incurritur à tangente Clericum leuiter. pag. 95. num.16. Neque à Profetente hæreſim ſine animo. pag.96. n.17. Neque à leuiter Vulnerante. num. 18. Neque conditionata, ante conditionis euentum. n.19. Neque requirens ſcientiam ab Ignorante. ibi num.20.

Cenſura non ſemper incurritur ſtatim, ac peccatum committitur. pag. 80. n.21.

Cenſuræ, quando incurratur ob lapidis proiectionem in Clericum. pag.68. num.11. Et propter vnicæ acus ablationem Sartori. ibi n.12. Et propter veſtis breuis geſtationem. pag.69. n.13. Et ob ſilentij violationem. ibi n.14. Et ob hæreſis prolationem. ibi n.17.

Cenſura, ſine abſolutione tolli non poteſt. p.199. n.2. Non qualibet, à quolibet tolli poteſt. ibi num.3.

Cenſuræ reſeruatæ, an à ſimplici Sacerdote tolli poſſint in mortis articulo. p.199. n.4. Tolli poſſunt, p.200. n.8. à Trid. conceditur facultas. ibi n.9. Generalis, & abſoluta, num.10. In fauorem animarum redundans. num.11. Pro eo articulo nulla eſt reſeruatio. pag. 201. num.14. Cur hæc facultas conceſſa fuerit. pag. 202. num. 16. A quibus abſoluere tunc non poteſt ſimplex Sacerdos. ibi n.20.

Cenſura validè fertur ſub conditione. p.216. n.6.

